v. 3.

3

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

2.


MÁSODIK OSZTÁLY: IRÓK.

4.

NEGYEDIK KÖTET.

PEST, 1858.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIAN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFER, RÁTH PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.



MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

IV.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

ELSŐ OSZTÁLY: IRÓK.

NEGYEDIK KÖTET.

PEST, 1858.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIAN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFER, RÁTH PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.

VERANCSICS ANTAL

M. KIR. HELYTARTÓ, ESZTERGOMI ÉRSEK

ÖSSZES MUNKÁI.

KÖZLI

SZALAY LÁSZLÓ

M. AKAD. R. T.

V. 3


HARMADIK KÖTET.

ELSŐ PORTAI KÖVETSÉG

1553–1554.

PEST, 1858.

EGGENBERGER FERDINÁND AKADEMIAI, ÚGY GEIBEL, HARTLEBEN, KILIÁN EGYETEMI, LAMPEL, LAUFFER ÉS STOLP, OSTERLAMM, PFEIFER, RÁTH, PESTI, HAAS BÉCSI KÖNYVÁRUSOKNÁL.



Pest, 1858. Nyomatott Emich Gusztáv könyvnyomdájában.

Verancsics összes munkáinak jelen harmadik kötete az általa 1553—1557-ben viselt portai követség első részét tartalmazza. Valamennyi szám — ide nem értve a toldalékot — vagy magából az eredeti fogalmazatból, vagy ennek letisztázott hivatalos példányából, vagy a szerző, illetőleg a titkár által készített egykorú másolatból iratott le. Találtatnak ezek a magyar nemzeti muzeum kézirati gyűjteményének következő codexeiben:

I. Correspondentia autographa Ferdinandi I. et Maximiliani cum suis oratoribus ad Portam Ottomanicam. „1660. fol. lat." jegy alatt.

Az innen vett számok: II. IV. X. LV. LVI. LXXXV. XCVII. XCIX. CVII. CXXV. már világot láttak Miller Jakab Ferdinánd ily czímű könyvében: „Epistolae imperatorum et regum Hungariae Ferdinandi Primi et Maximiliani Secundi ad suos in Porta Ottomanica oratores Antonium Verantium, Franciscum Zay, Augerium Busbek, Albertum Wyss et Christophorum Teuffenbach, quas ex autographis edidit Jacobus Ferdinandus Miller.

Pestini typis Mathiae Trattner C. R. priv. typographi. 1808." Figyelmes összehasonlítás talán hívebbnek fogja láttatni kiadásunkat a Millerénél, hívebbnek névszerint a titkos jegyekkel írt levélrészek feloldását is, noha ezt általán véve a Miller kiadásában kielégítőnek, lelkismeretes gonddal készültnek mondhatni.

II. Antonii Verantii Epistolae Autographae. „1681. fol. lat." jegy alatt. Ezen négy kötetes gyűjteményből, mely b. Fischer Istvánnak, Eger második érsekének ajándékából került a nemzeti muzeumba, Katona már számos levelet bocsátott közre Historia Criticajának XX-dik kötetében, de czéljához képest, talán egykettőnek kivételével, megannyit csak kisebb nagyobb töredékekben; közőlök egy — a Nádasdyhoz 1554 aprilis 1-én adott — Koller ‚Historia Episcopatus Quinqueecclesiensis' czímű munkájának V-dik kötetében is olvasható, hibás évszámmal, s még azonfelül annyiban a jelen kiadástól eltérve, mennyiben Kollerí s illetőleg a közlő Pray előtt maga a Nádasdyhoz küldött levél, előttem pedig azon párja feküdött, melyet Verancsics az ‚illustris et magnifice domine'-féle czímek sat. mint kissé barbar kifejezések némi módosításával sajátkezüleg írt be a már általa, úgy gondolom, sajtó alá készített gyűjteménybe. — A jelen codexből, még pedig ennek első és

második kötetéből kivont levelek kiadásunk következő számait képezik: V—IX. XI—XIII. XV—XVIII. XX. XXII—XXIX. XXXI.—LIV. LVII—LXXXIV. LXXXVI—XCVI. XCVIII. C—CVI. CVIII—CXXIV. CXXVI—CXXXIV.

III. Idiographa Verantiana. „2380. fol. lat." jegy alatt. I. kötet. A XIV. XIX. XXI. XXX. számok innen vétettek s a következőből:

IV. Epistolae autographae Verantianae „1680. fol. lat." jegy alatt, hová — idegen tárgyak közé — félívnyi töredék tévedt belőlök. Az 1555-dik évszám, melyet Verancsics unokaöcscse, Faustus, elejökbe írt, szembeszökő tévedés. A négy rendbeli szám első ízben most lát világot.

Ha itt még pótlólag említem, hogy az I. és III. számok alatti párbeszéd-töredékek, miről külön jegyzet is szól, Verancsics munkái jelen kiadásának első kötetéből iktattattak ide: valamennyi szám forrására utaltam. Mindnyáját magam kezével másoltam, sajtó alá, minél hívebb kiadás eszközlésére időt, fáradságot nem kímélve, s annyiban talán megközelítve e czélt, mennyiben nem gátolt benne a körülmény, hogy Verancsics saját minutái a siető kéz miatt gyakran majdnem olvashatlanokká váltak, s hogy irodai személyzetének egynémelyik tagja nem igen tudván deákul, egy másik pe-

dig olaszúl épen semmit: a tollaikba adott vagy általok másolt levelek néha példátlan, részben meg nem szűrhető zagyvalékká lettek. Minthogy közőlök nehánynak tisztára írt hivatalos példányai a császári királyi államlevéltárban őriztetnek, kevesebb fáradság mellett is tökéletesebb munkát nyujthattam volna az olvasó közönségnek, ha e levéltár nyitva áll előttem; s miután számra is teljesebbé válandott ez esetben a gyűjtemény, kétszeresen kell ohajtanom, hogy ama levéltár látogatói a hibákat helyreigazítani, a hézagokat pótolni buzgólkodjanak.

A toldalék számai Pray kézirataiból s az általa szerkesztett ‚Epistolae procerum Hung. Pozsony, 1806' czímű gyűjteményből soroztattak ide. Közőlök a VI-dik szám alattit, mint bizonyossággal tudjuk, s talán az utolsónak, a VIII-diknak kivételével a többieket is az akkori pozsonyi magyar kamara levéltárában másolta le Pray magokból az eredetiekből; a VIII-dik gyarló pár után készült. Pest, 1858. decemberben,

Sz. L.

TARTALOM.

I.

Párbeszéd Verancsics Antal és testvéröcscse Mihály között amannak első követségéről a Portánál. *)

ANTONIUS. Puto, te meminisse, frater, quanto semper studio, quamque vario multiplici conatu jam inde ab ipsis regni Hungariae sumptis auspiciis inclytus rex noster Ferdinandus mentem ac vires suas exercuit, ut certam, firmamque aliquam rationem inveniret, qua memoratum regnum, quod jam tum armis Turcarum graviter labefactari inceperat, allevare a calamitatibus et in pristinum statum restituere posset, nihil prorsus vel occasionum praetermittendo, quaecunque illi sese obtulissent, nihil intentatum vel bello vel pace relinquendo; necdum tamen ejus regni fortunam ob seditiosorum partim quorumdam procerum intemperias, partim ob imperium hostile, nimis jam in ipsius regni visceribus illatum, eo potuit perducere, ut conquiesceret, discriminique eximeretur. Nunc igitur denuo, quum ad renovandam cum eodem hoste eam pacem fuisset provocatus, quam haud ita pridem deditio turbaverat Transsylvaniae, etsi nec bellatoribus viris, nec opibus sic esset exhaustus, animumque ad belligerandum de-

*) L. e dolgozatot Verancsics munkái jelen kiadásának első kötetében a 268—288. lapokon, honnan a töredéknek csak töredékét, csak egyes helyeit, iktattuk ide.

spondisset, ut viam armorum urgere vel nequiret vel non auderet, — quis enim regum id temporis aliorum, qui censentur christiani, et diutius Turcae restitit, et constantius nunc eodem rege nostro resistat? — consideratis tamen cladibus, quibus fere assiduis et continentibus ab excessu regis Ludovici ea gens fatigatur, visum est non alienum fore a sua magnitudine et cura ejusdem gentis reparandae, si usu armorum seposito, et suis ipsius viribus instaurandis navaret operam, et eam ipsam gentem otio potius nonnihil et quiete reficeret, quam bellorum gravaret pertinacia: non ignarus, quod genti, bello diuturno implicitae plurimum emolumenti ad augendas et firmandas vires afferre consuevit temporaria laborum et dimicationum remissio. Quapropter habito mature cum purpuratis et proceribus suis de memorata pace, kalendis Martii anni M. D. L. III. consilio, oratores ad Solymanum Turcarum principem decrevit mittere. MICHAEL. Causa quidem certe digna, omnique etiam sollicitudo laude prosequenda. ANTONIUS. Probe sentis. Sed interim, dum de pace Constantinopoli transigatur, opus erat induciis, quo et oratores apud Turcam securi de incolumitate forent, et in ambarum partium limitibus a grassatione cessaretur. MICHAEL. Oportebat id quidem fieri, sed ubi, quomodove actum est de his induciis? ANTONIUS. Budae. Turca enim bellum gesturus contra Persam, in Asiamque profecturus cum exercitu, pacem optabat relinquere in Hungaria,*) quo uni dumtaxat hosti in-

*) Szulejman 1553. februariusban (rebiul-evvel, 960.) tudósitotta Ferdinandot, hogy a budai és temesvári pasákhoz parancs ment: adjanak menevédet a király követeinek, és kössenek hat hónapra fegyvernyugvást. Hammer, Geschichte des osmanischen Reiches. IX. 370.

tentus, omni alia sollicitudine vacaret. Igitur demandata hujusce negotii provincia passae Budensi, quem nos primatem et praesidem vocaremus, Aly nominato,*) ipse, in Asiam transmissis copiis, fixisque ad Calcedonem castris, exitum rei Constantinopoli opperiebatur. Aly vero cautis interim quibusdam modis animum regis curavit explorandum. Sic demum re utrinque explorata et in medium producta, Aly regem fecit certiorem, se et induciarum secum feriendarum habere facultatem, et si serio ad pacem quoque ipsam animum appellere voluisset, oratores ad suum principem decernendos; suam insuper operam cura diligenti interpositurum sese, ut ea possit confieri, recepit. MICHAEL. Recte omnia. ANTONIUS. Plane. Verum ubi primum rex de his edoctus est, et rem geri placuit, me ad Aly passam, Paulo Palineo decurione suo **) adjuncto, destinavit, dimissusque ex urbe Gratiana, Styriae metropoli...... ***)

II.

Verancsics Antalnak és Palinai Pálnak Ferdinánd király.

Venerabili, et egregio, fidelibus nobis dilectis Antonio Vrancio, praeposito Pornensi, secretario nostro, ac Paulo Litterato de Palyna, nunciis nostris Budam emandatis.

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. rex. 1553. martius 29.

*) Chadim Ali; budai pasává neveztetése 1551. május 16. s 22. dike közé esik. l. Gévay Antal: A budai pasák, Bécs, 1841., 7. l.
**) A komáromi őrség egyik tiszte.
***) A nap nincsen feljegyezve; az utasitás, mint Hammernél, III. 328. olvassuk, 1553 martius 13. án kelt.

Venerabilis, et egregie, fideles nobis dilecti. — Cum praesentibus litteris nostris habuistis litteras securitatis vel salvi conductus, quas passa Budensis ad nos superioribus diebus pro vobis transmiserat,*) ut tuto earundem vigore vos ad ipsum, et sine periculo tractandi de induciis gratia conferre, rebusque confectis vel infectis ad nos redire possetis. Quocirca vobis clementer committimus, ut, acceptis praesentibus, iter vestrum in Dei Optimi Maximi nomine prosequamini, rectaque Budam pergatis, et ibidem pro vestra singulari erga nos fide, observantia ac industria, rerumque gerendarum dexteritate, commissa vobis negotia cum passa illo, juxta praescriptum instructionis vobis datae, tractetis, et ex animi nostri sententia, ad gloriam Dei Omnipotentis, et pro fidelium subditorum nostrorum commodo ac tranquillitate inducias istas concludere studeatis, quemadmodum nobis de vestra fide, sollicitudine ac ingenio plane pollicemur. In qua sane instructione nihil nobis occurrit, quod emendandum, magisve et dilucidius explicandum esse videatur, praeter unicum articulum: nempe si alteri vestrum per postas ad nos veniendum erit, quod sicut ex instructione intelligere poteritis, eo casu futurum est, si passa Budensis ad acceptandas conditiones induciarum a nobis propositas, nullo modo induci posset, aut tales difficultates vobis objicerentur, quas non possetis explanare, nisi uberiore informatione a nobis habita, et propter quas diutius vobis isthic haerendum

*) Hammer IX. 371. Ali pasának 1553 martius 9. én (28- rebiul-evvel 960.) Budáról Ferdinándhoz adott ily tartalmu levelét említi: ő a nagyvezírhez intézett s gondjaira bizott levelet Konstantinápolyba indította, hová rövid idő mulva maga is el fog menni; Ferdinánd mondjon le igényeiről a behódolt falvakra. — A szövegben említett menevédlevél valószinüleg ehhez volt mellékelve.

fore videretur: tum enim volumus, ut tu Vrancie ad nos celeriter venias, tu vero Paule reditum Vrancii isthic Budae expectes. — Praeterea potestis ipsi passae etiam significare, quod citius vos ad ipsum expedivissemus, statim scilicet, postquam salvum conductum pro vobis accepimus, sed quando cognovimus litteras principis Turcarum jam Budam allatas esse, et quod ipse passa easdem per unum ex aulicis et familiaribus suis ad nos mittere statuisset, nobis satius fore visum esse, ut vestram expeditionem tamdiu differremus, quoad litteras principis Turcarum videremus, mentemque magnitudinis suae inde intelligeremus, prout hoc etiam nos ipsi per litteras ei significavimus. Deinde transmittimus vobis cum hisce litteris nostris alias credentiales ad passam Budensem, ne quid difficultatis propter errorem in tuo, Paule, nomine admissum exoriatur. Caeterum in praemissis exequemini bene gratam ac expressam voluntatem nostram, regia nostra gratia erga vos recognoscentes. — Datum in oppido nostro Gratz, die XXIX. mensis Martii anno Domini MDLIII°., regnorum nostrum Romani XXIII°, aliorum vero XXVII°. Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium. J. Jonas vicecancellarius m. p. M. Singkmoser m. p.

Verancsics kezével: Redditae ultima martii, 1553.

III.

Párbeszéd Verancsics Antal és testvéröcscse Mihály között amannak első követségéről a Portánál.

ANTONIUS. Budam Aprilis die VII. veni, ibique rei tractandae et conficiendae biduo dumtaxat

dato, quod passa ad principem festinato proficisci cogebatur, ubi de induciis transegisset, XVI. ejusdem mensis ad regem in Civitatem Novam cum semestribus induciis *) regressus sum. MICHAEL. Quum jam induciis utrobique receptis, regi oratores in Turciam mitti placuisset, quo pacto res tota acta fuerit, scire cupio. ANTONIUS. Refero. Delectus initio voluntatum de assumenda memorata legatione non hominum magno labore et conatu habitus, nec enim vel senatus vel ipsa tanti principis regia summorum et peritissimorum virorum ad quas velis functiones obeundas indiga est. Sed tentati et rogati fuere plures, qui hoc munere digni habiti sunt et munus ipsis, immo a quibus etiam omnia optima et maxima sperare patria potuisset. Ii tamen omnes summa contentione, periculum metuentes, deprecati electionem, ne a rege quidem adacti sunt nolentes. Ubi ab iis, quos et virtus tanto munere dignos faciebat, et imprimis genus ac patriae pietas hortabatur, impetrari non potuit, quod rogabantur, in Franciscum cognomento Zay, virum nobilem, cordatum, et nazadarum classis Danubii minoris summum ducem, atque in me, apud regem omnium minimum versa sunt suffragia. MICHAEL. Quid demum postea? ANTONIUS. Habes rei initia. Prensati dein comiter patrum suasionibus et prehensi haud magno negotio, sed non quod eo ambitu teneremur, verum quod jure obsequentes regi et patriae esse debebamus. Me novitas etiam mea, et regis quum gratia erga me non vulgaris, tum ingens et vere regia liberalitas, quae praecessit merita, hortabatur. Etenim eo tunc primum in ejus

*) Verancsics és Palinai jelentésök e küldetésbeni eljárásukról a cs k. államlevéltárban, Hammer, III. 328.

fidem concesseram, et ad episcopatum Quinqueecclesiensem ab eodem evectus, permissaque mihi et Pornensis abbatia, et praepositura Transsylvana, quam Heremitae avaritia in suo peculatu detinuerat, restituta, in senatum quoque illius ascitus sum. Postquam designati et pronunciati sunt oratores, duo circiter menses expediendis Turcae muneribus et ad iter oratorum necessariis dati sunt.

IV.

I. Ferdinánd megbízó levele Verancsics Antal, Zay Ferenc és Malvezzi János Mária számára.

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. rex semper augustus, infans Hispaniarum, archidux Austriae, dux Burgundiae, marchio Moraviae, comes Tyrolis etc. Recognoscimus et notum facimus tenore praesentium universis: quod cum nos pro quiete et tranquillitate universali, et praecavenda imposterum majori universorum nostrorum subditorum et colonorum oppressione, humanique sanguinis effusione cupiamus cum serenissimo et potentissimo principe domino sultano Soleymano imperatore Turcarum ac Asiae et Graeciae amicitiam et bonam, stabilem, firmamque pacem, vel inducias inire ac firmare: idcirco plenam, indubitatam et singularem fiduciam gerentes de fide, integritate, prudentia et experientia reverendi Antonii Vrancii, episcopi Quinqueecclesiensis et praepositi Pornensis, ac magnifici Francisci Zay, nazadistarum nostrorum generalis capitanei, necnon nobilis Joannis Mariae Malvezii pristini nostri ad excelsam portam oratoris, consiliariorum nostrorum, fidelium

1553. június 13.

nobis dilectorum, eosdem sponte et ex certa nostra scientia. animoque bene deliberato, omnibusque melioribus modo, via, jure, causa et forma, quibus melius et efficacius potuimus et debuimus. possumus ac debemus, oratores, commissarios, mandatarios, actores, factores, negotiique nostri infrascripti gestores et nuncios speciales et generales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, elegimus, nominavimus, creavimus, fecimus et deputavimus per praesentes: dantes et concedentes eisdem tanquam legitimis et indubitatis oratoribus, commissariis et mandatariis nostris plenam facultatem, auctoritatem et potestatem nostro nomine, loco et vice unionem, amicitiam et pacem perpetuam, vel saltem inducias ad aliquot annos cum praefato serenissimo ac potentissimo Turcarum imperatore, illustrissimis ac magnificis passis aut commissariis suis, ad hoc intervenire habentibus, et ab eo eligendis ac deputandis, pro nobis, filiis et haeredibus ac universis regnis et dominiis nostris, eorumque subditis quibuscunque tractandi, concludendi et firmandi, atque super omnibus ab hujusmodi pace vel induciis dependentibus, emergentibus, annexis et connexis concordandi et transigendi juxta conditiones, quas a nobis in mandatis acceperant, *) nosque superinde erga ipsum potentissimum Turcarum imperatorem vel praefatos illius passas efficaciter obligandi et obstringendi, ac etiam, si opus fuerit, juramentum de observandis et adimplendis omnibus iis, quae per eos nostro nomine juxta articulos desuper conficiendos conclusa fuerint, praestandi, et generaliter omnia

*) Az utasítás, mint jelen megbízó levél, szintén június 13-án kelt, s a cs. k. államlevéltárban őriztetik. Hammer, III. 328.

alia et singula faciendi, tractandi, concludendi et firmandi, quae nosmet facere, tractare, concludere et firmare possemus, si praemissis omnibus et singulis praesentes et personaliter interessemus, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum. Promittentes insuper et pollicentes in verbo nostro regio, nos perpetuo gratum, firmum, validumque habituros totum id et quidquid per supradictos oratores nostros actum, factum, gestum, tractatum, pactum et conclusum fuerit in praemissis seu quolibet praemissorum, nec contra illud unquam tempore directe vel indirecte facturos aut contraventuros, omni dolo et fraude semotis. Harum testimonio litterarum manus nostrae subscriptione ac sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate nostra Vienna, die XIII. mensis Junii,*) anno Domini M. D. L. III°., regnorum nostrorum Romani XXIII°., aliorum ero XXVII°. Ferdinandus rex m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium. J Jonas D. vicecancellarius m. p.

V.

Ferdinánd királynak Verancsics Antal.

Antonius Verancius Ferdinando regi suo clementissimo felicitatem.

Hodie privatis rebus meis apud Sopronium et domi meae, quibus octo dierum spatium petieram, confectis et expeditis, veni ipse Comaromium. Neque hic est quod agam penitus, praeterquam ut collegam

*) Verancsics és társa ekkor Bécsben voltak. „XXI. die mensis Junii — olvasom a felebbi párbeszédben — jussi summus Vienna decedere et iter maturare".

meum expectem, ac deinde, ubi ille advenerit, sine mora recedamus. Et ne fortassis, dum me ab hoc loco diutius abesse intelliget, ipse quoque nonnihil serius adveniat, ac indulgeat suorum affectibus, quorum charitate detinetur, tam longe peregre profecturus, ea ipsa hora, qua huc appuli, litteras ad eum dedi, et institi summo studio, ut moram omnem abrumperet et venire maturaret, quandoquidem etiam nunc nimis nos tardasse certum est. Monitum eum etiam litteris tuae majestatis non dubito. Quo fit, ut celerius adventurum maxime confidam, praesertim ubi et me jam adesse cognoverit, quod alioqui in rebus tuae majestatis et sedulus et celer et vigilantissimus esse semper soleat. Aliud quod nunc scribam, non occurrit, nisi quod passa Budensis urgentissime exigit adventum nostrum,*) quum dicat, nos dumtaxat ab imperatore suo expectari, nec interim moturum exercitum in passam Casulem, donec advenerimus, et nisi venerimus, mutaturum sententiam de gerendo bello, pacemque, quam a nobis desiderat, Casulo concessurum atque in nos arma conversurum. Ajebant etiam, quod in dubium jam venisset de adventu nostro, et succenseri plurimum tuae majestati, quasi verba illi dedisse curavisset. Ego igitur his cognitis, dedi statim ad passam litteras, et hoc dubium homini eximendum diligenter adnixus sum, ita ut aequiore jam et firmiore animo haud multo post redditum fuisse intelligam. Tuam majestatem quam felicissime valere cupio. Tertia Julii 1553. Comaromii.

*) Szulejman 1553 aprilis 15.-én (1. dzsemasziul-evvel 960,) kelt levele által is felhivta Ferdinándot, küldené követeit békealkudozás végett a Portára; hogy biztosan jöhessenek, mehessenek, arról már gondoskodva van. S nehány nappal később kelt levelében ismétli: hogy a magasságos Portához vezető ösvény nyitva áll mindenki előtt. Majus vége felé (Dzsemasziul-achir közepe) pedig paran-

VI.

Sforza Palavicinak Verancsics Antal.

Antonius Verancius Sforciae Palavicino *).

Michael Litteratus, homo tibi non ignotus, proximis annis praefuit abbatiae divi Martini Jauriensi summa integritate et fide, ita ut ei nec regni nec regiae majestatis desunt testimonia. Nunc privatus domi agit, cupitque statum aliquem aptum suae conditioni apud te invenire et obtinere, et sub tuis signis militare. Quoniam autem pervenire in gratiam tuam posse se non speravit, nisi per quempiam hominem quem tu in charis habeas, me elegit, et cum pluribus bonis viris mihi amicissimis adiit, magnopere petens, oransque, ut ipse ille esse velim, cujus opera consequi posset, quod tantopere oprabat, tanquam ipse unus essem ex iis, quorum gratia facile votis hominum flecti consuevisset. — Itaque quum hanc publicam opinionem de tua erga me benevolentia non vanam esse certo scio, eaque plurimum gaudeam, immo et mihimet ipse etiam vehementer gratuler, velimque omni studio atque conatu illam augeri et confirmari, non tam meorum erga te meritorum causa, quam propter virtutes tuas et magnitudinem tuam singularem, motus probi et militaris viri necessitate, totque nobilium hominum mihi charissimorum petitione, qui id a me officii summa fidueia contenderunt, contendo et ipse apud te solita mea fiducia, ut velis mihi hac in re gratiam tuam accomodare, meaque inter alios causa, qui pro Michaele intercedunt, ita

1553. Julius 7.

---

csot küldött a temesvári és budai pasáknak, hagyják szabadon hozzá utazni a követeket s tartsák fenn a fegyvernyugvást. Hammer IX. 371.

*) Ferdinánd hadainak a dunai részekben fővezérę.

ejusdem Michaelis votis respondere, ut consequatur quod postulat. Et quia forte fortuna non poterit tam repente de meliore statu illi providere, priore contentus erit praefectura, dabitque interim operam, ut meliorem promereatur. Caeterum quicquid ex hoc officio tu mereberis, Michael vero debebit, ipse gratificari curabo, tanti erit apud me, quicquid in hunc hominem contuleris. Vale. Septima Julii 1553. Comaromii.

VII.

Zay Ferencnek Verancsics Antal.

Antonius Verancius Francisco Zay collegae suo S.

Motus Transsylvanos jam et per Hungariam 1553. 9.
serpere latius, fierique passim clandestina video colloquia, adeo ut non possum non vereri nobis periculum quodpiam, propter res, quas nobiscum vehimus. Clarius eloqui nequeo. Semper tamen tumultus ejusmodi ingens et perniciosa consuevit comitari licentia. Oro igitur atque obsecro te, ut omnes moras abrumpas, omissisque rebus tuis privatis, quibus detineris, capesse regias, et venire matures, quo inceptum iter prosequamur, nosque eripiamus huic furori hominum perditorum, ne si diutius in his finibus versabimur, avaritia illorum intercipiamur. Quod si forte fortuna acciderit, vide, quaeso, quantum principem offendemus, quove etiam damno afficiemus; fateorque ingenue, timere me, quod caveo. Veni igitur et advola. Heri autem accepi tuas litteras, et intellexi, quae scire me voluisti. Qua vero die Comaromium veni, eadem, datis ad Budensem passam litteris, feci eum certiorem de adventu nostro minime dubio. Nec rescripsit, sed dicitur magnopere perturbari nostra

mora, quo tu etiam incitari debebis, ut celerius advenias. De pelvi et gutto habeo gratias, et fac, ut agam etiam pro candelabris. Vale. Nona Julii 1553. Comaromii.

VIII.

Tujgún pasának Verancsics Antal.

AntoniusVerancius Tuygoni passae Budensi*) salutem.

Collega meus Franciscus Zay jam advenit domo, 1553. július 13.
et intra triduum, Deo Optimo Maximo comite, iter Strigonium versus accipiemus. Inde Budam ad te festinabimus, quod significandum tibi quamprimum duxi, quemadmodum aliis meis litteris non ita pridem ad te datis facturum me obtuleram. Scripsi hoc ipsum et ad Ahmad begum, Strigoniensem praesidem, quo jam de adventu nostro nihil dubitetis, et praemoniti sitis, quando nos expectare debebitis. Quod autem biduum adhuc protrahemus adventum nostrum, cupimus esse apud te excusati. Laboramus enim pro quibusdam captivis intra induciarum tempus captis, ut eos pro induciarum concordia liberemus, et ad te nobiscum deducamus ex mandato regis nostri, qui tuo principi hac etiam parte gratificari non omittit. Vale. Tertiadecima Julii 1553. Comaromii.

IX.

Sforza Palavicininak Verancsics Antal és Zay Ferenc.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Sforziae Palavicino S.

Agimus tibi gratias, primum quod maturasti nos 1553. július 14.

---

*) Chadim Alinak a pasaságban utóda; egykoru iróinkál: gólya basa, noha Tujgún sólyomfiat jelent. l. Gévay az id. h. 7. l.

de his facere certiores, quae passa Budensis ad te ratione induciarum perscripsit, quas nullas et per nos esse violatas denunciat, tum quod admones, ut praevideamus, quonam pacto ulteriorem progressum nostrum dirigere debeamus. Certe duabus horis ante quam tuae litterae nobis sunt redditae, jam nostras ad te miseramus, nunciantes qua hinc die moturi essemus Strigonium versus, id ipsumque omnino faciemus, quod mones, nec hoc tam ejusmodi hominis intemperies curantes, quam rem nostri principis promoventes, quae exigit multis rationibus, ut etiam cum periculo nostro incepto itineri non desimus. Caeterum videtur et hic passa, ut alii, qui eum praecesserunt, multa suo potius arbitratu, quam fortasse principis sui mandato velle gerere. Verum quoniam nobis cum ejus principe erit negotium non cum illo, ejus terriculamenta non sunt magnifacienda, quamquam easdem suas litteras, quas ad te dedit, mitius finit, quam exorsus est, quo manifestius apparet, eum tumultuari potius, quam judicio duci. Sed succenseat, quantum vult, nos modestia nitemur pro fortuna nostra et rerum nostrarum conditione, dantes omnem operam, ut praerupta animorum devitemus. Vale. Decimaquarta Julii 1553. Comaromii.

X.

Verancsics Antalnak Ferdinánd király.

Reverendo devoto fideli nobis dilecto Antonio 1553. J
Verancio, episcopo Quinqueecclesiensi et Praeposito 15.
Transsylvanensi, nostro consiliario ac ad serenissimum principem Turcarum destinato oratori, ubi fuerit. Cito, cito, cito.

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. rex. Reverende, devote, nobis dilecte. Intelleximus te et collegam tuum in prosequendo itinere commissae vobis legationis ultra permissum vobis tempus, quo res domi componeretis, ita et tamdiu tardasse, ut ne Budam quidem adhuc perveneritis, sed potissimum id ex collegae tui, quem Comaronii jam aliquot diebus expectasses, mora accidisse. Cum autem negotia illa, propter quae ablegati estis, magnae sint importantiae, magnamque celeritatem requirant, et non solum nostra ac regnorum et dominorum nostrorum, sed totius reipublicae christianae intersint, istiusmodi tarditatem et cunctationem profectionis tuae et collegae tui non immerito molestissimo animo accepimus. Et propterea tibi firmissime committimus et mandamus, ut si fortasse collega tuus nondum tecum esset, cures ut vos quamprimum conjungatis, et sine ulteriore mora, iter coeptum ambo prosequamini, et admissam istam moram adhibita posthac acceleratione et diligenti negotiorum omnium, quemadmodum de vobis confidimus, procuratione compensare studeatis. Et quando apud passam Budensem eritis, nos excusetis, ostendendo ei, quod licet jam ante plures dies a nobis dimissi fueritis, ut recta ad excelsam Portam pergeretis, vos tamen coactos fuisse propter nonnulla vestra privata negotia aliquot diebus subsistere; sed cum intellexeritis, nobis id magnopere displicuisse, vos daturos esse operam, ut tarditatem hanc, adhibita posthac celeritate, compensetis. In quibus nostram expressam exequeris voluntatem. — Datum in civitate nostra Vienna die XV. mensis Julii, anno Domini M. D. LIII°. regnorum nostrorum Romani XXIII°. aliorum

vero XXVII°· Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium J. Jonas D. vicecancellarius m. p. J. Jordanus m. p.

XI.

Ferdinánd királynak Verancsics Antal és Zay Ferenc.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ferdinando regi suo clementissimo f.

Cras nos hinc, Deo Optimo Maximo comite, 1553. jú 16.
Strigonium versus proficiscemur, inde ulterius iter omni celeritate adhibita continuabimus. Appendicem instructionis, quem nobis summisisti, intelleximus, enitemurque diligenter, ut in omnes meliores eventus sic rem geramus, ut scimus tuae majestatis esse voluntatem. Passa Budensis (quantum intelligimus) convocavit ad se complures vicinorum praesidiorum praesides, duces ac milites, vultque nos honorifice excipere Veteri Budae. Hoc ipsum facturus est et Ahmad beghus, Strigoniensis praeses, qui jam praemisit nobis obviam trecentorum equitum turbam ad Muslam pagum, videnturque hoc tempore Turcae magnopere esse intenti in adventum nostrum, quod nobiscum non aegre sunt pacem inituri. Illud tamen non parum nos sollicitat, quod audimus ad sexingentos hajdones transitum nostrum circa Tolnam et per vicinas solitudines observare, nobisque tam in Danubio quam in continenti intendisse insidias. Eramus autem eo animo, ut navigatione Belgradum usque uteremur, lassitudini equorum consulturi. Verum quia non multa classe pro id temporis Turcae pollent, qua nos comitari deberent, terrestre iter elegimus, quod equitatus

non deerit, quantuscunque erit necessarius. Speramus igitur, Deo adjuvante, inoffense nos evasuros, quo perg'mus. Aliud quod tuae majestati scriberemus, non occurrit, praeterquam quod Joannes Paxius *) alium quoque captivum conditionis non extremae, quod jam majestas tua scit, una cum Hamzabego ad petitionem tuae majestatis manumisit, qui et ipse in harum induciarum principiis captus fuerat, eumque cum Hamzabego ad passam deducemus, dantes omnem operam, ut quibuscunque modis poterimus, favorem et benevolentiam apud gentis hujus primates tuae majestati conciliemus. Patitur tamen Joannes Paxius magnam injuriam a relicta quondam Horwathynowyth, quae egressa muliebrem et vidualem audaciam, videtur illi plurimum insultare, quod in concedendo tuae majestati Hamzabego sine ulla conventione, et petitione secunda, statim paruerit. Immo, quod eum gravius habet, honoris etiam illum arcessit per litteras, quas missurum tuae majestati arbitramur. Visum itaque est, nostri esse officii, ut tuae majestati, clementissime princeps, supplices commendaremus, quo dignetur gratiose illi prospicere, ne vir probus et tuae majestati fidelis, impigerque ad ejus jussa omnia, damnum quodpiam ratione similium captivorum percipiat, neve ejus mulieris intemperiis, quantum ad virilem honorem pertineat, laedatur, quandoqaidem idem Paxius nihil prorsus in concessione Hamzabegi vel causa vel instinctu suo egit, sed tantum ut voluntati tuae majestatis citra moram et tergiversationem obtemperaret. Quod in posterum quoque semper est facturus, quantum et verba et a-

*) Komáromi kapitány

ctiones ejus declarant. Tua majestas felicissime valeat. Sextadecima Julii 1553. Comaromii.

XII.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Regi suo Verancius et Zay.

De Transsylvaniensibus tumultibus illud maje- 1553.
stati vestrae pro nostra fidelitate dixerimus nostro in 16.
discessu, ut si aliis incommodis praesentibus occurrere nequiverit majestas vestra, in eo tantum toto et animo et virium conatu intendat et prohibeat, ne reginae Isabellae filius in Transsylvaniam inducatur, etiamsi quid hostilius committi oportebit. Manifestus enim hostis erit, si eo irrepere contenderit; si autem eo penetraverit, afferet procul dubio majestati vestrae magna incommoda. Si vero procul ipse aberit, sola factio ejus remanebit, cum qua facilius gerendum erit negotium, quia perseverare in rebelli proposito non poterit, non existente coram, cujus gratia conspiravit. Reliqua majestas vestra Deo committat et nostrae fidei, cui certe, quemadmodum et de me polliceor, et de collega meo nihil est dubitandum, non deerimus, etiam si moriendum erit. Majestas vestra felicissime valeat. Comaronii XVI. Julii, 1553.

XIII.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Ad majestatem regiam Verancius et Zay.

Hodie nos Comaromio solvimus, et primum Stri- 1553.
gonium mox Budam, inde Belgradum, post, reliquum 17.
iter bonis angelis, omnique sedulitate urgebimus, et

enixe connitemur, ut quicquid in discedendo Vienna morae commisimus, eundi celeritate recuperemus. Hoc tibi, clementissime princeps, pro officio et fide nostra significare voluimus, quod succisivis quoque diebus facturos nos offerimus, quotiescunque fideles nobis occurrerint tabellarii, quo non actiones nostras solum, verum etiam singulos progressus crebro intelligas. Statuimus autem terra proficisci, nisi aliud consilium intervenerit, et hoc ob hajdonum metum, quorum mutato nuncio non exiguam manum coisse, et transitum nostrum cupiditate praedae in Danubii ripis observare cognovimus. Verum certius de hoc Buda tuae clementiae scribere poterimus, ubi passae illius consilium perspexerimus. Tua majestas felicissime valeat. Decimaseptima Julii, Comaromii, 1553.

XIV.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Sacratissima regia majestas, domine, domine 1553. Július 20. (?)
nobis clementissime. Decimaseptima die mensis praesentis Julii Strigonium, Budam decimaoctava pervenimus, et utrobique excepti, habiti et honorati sumus, ut decuit oratores vestrae serenissimae majestatis. Verum passa Budensis quanto est Strigoniensi sangzaccho major, tanto majori honore pro more gentis suae in excipiendis et tractandis nobis usus est. [Misit primum obviam nobis usque ad Salmar ad quingentos circiter equites optime apparatos. Inde donec ad tentorium nostrum in ripa Danubii prope tentorium passae positum perducti sumus, et a dextra et a sinistra occurrerunt nobis plures equitum ordines passim circa viam dispositi, praecedentibus

currus nostros multis melioris conditionis zkuffiatis *) Turcis. Ejaculatae sunt etiam multae bombardae et sclopi, et pulsata tympana aliaque id genus classica. Tentoria nobis quatuor erant praeparata, cum attegiis, quercinis ramis tectis, et sepe totus locus circumvallatus, in quo descendimus.

Die sequenti hora circiter octava deducti sumus ad passae tentorium per duodecim praecipuos chawsos, ad quod confluxerat omnis turba, quam secum in illis castris habebat, in duos ordines distincta, segregatique a trivialibus meliores prout cujusque erat gradus atque conditio. Inducti ad consessum passae, qui in loco tapetibus late strato intra sua tentoria sub quercinis attegiis cum sangzacchis quatuor et militiae suae aliis insignioribus ducibus per directum a dextra et sinistra ordinem in cathedris nostro more sedebant, ipseque passa medius sedens assurrexit reverenter, una cum assessoribus, factoquo bino passu obviam nobis, excepit nos porrecta manu, et aspectu plurimum comi, jussitque ex opposito sibi in similibus cathedris assidere.] **) primumque, ut valeremus et quale iter habuerimus, interrogavit, demonstrata humanis verbis laetitia, quod utrumque nobis ex voto contigisset Post haec orsi a salutatione ac felicium rerum precatione. et oblatione munerum cum benevolentia, devenimus ad narrationem nobis commissam, eaque exposita et attente exaudita, respondit nobis dominus passa ad omnia summa cum humanitate et lenitate, agendo gratias pro omnibus, quae tunc obtulimus, dicendoque omnia se facturum, quae

---

*) Szkófiumos.

**) A [] közti hely kitörölve s helyette Verancsics kezétől a lapszélre irva: „Deducti post die sequenti ad tentorium passae, is cum multis viris insignibus assurrexit, et perreverenter porrecta manu nos excepit, ac sibi ex opposito sedere fecit.

petebamus, tam scilicet in deducendis nobis secure, quam in commendandis apud passam et suos amicos. Subjunxit post, quod quum ipse esset a parvulo parva admodum pecunia imperatoris Turcarum emptus, et in ejus Porta educatus, haberetque a suo principe et honorem et non exiguas opes, non curaret tam ea quae alii homines, quam ut misera plebes secura esset, non opprimeretur, nec esset inter principes, id est, dominum suum et majestatem vestram constituendorum dissidiorum author; hocque studium semper se habiturum, si modo et majestas vestra animum suum ad id applicaverit, regetque et gubernabit suos ita, ut tot querimoniae de illius limitibus non afferantur. Homines enim sui principis nullam adhuc caussam laedendarum induciarum dedisse, sed vestrae majestatis tam milites quam hajdones nunquam ad id tempus a grassatione cessasse, et cognovisse se hoc a majestatis vestrae hominibus, qui praedatum ab Agria, a Corotna, a Kapwswywar, a Zygeth et ab aliis quibusdam locis profecti atque intercepti, fateantur, et inter alios Joannes Fodor, qui praecipuus inter caeteros hajdones habeatur, palamque declamitat, a domino Volffgango Dersfy se missum fuisse praedatum. Caeterum idem dominus passa dicebat, non dolere se nec principem suum, quod majestas vestra castellanos et praefectos, viros bonos pro custodia locorum suorum in suis finitimis arcibus teneat, sed quod in eisdem arcibus foventur hajdones, et similis praedonum colluvies, quodque facta praeda aut latrocinio in easdem arces admittantur, ut in perfugium tutissimum, ibique ex aequo inter se praedam partiuntur. Quod si duraverit, nec majestas vestra providere dignabitur, quo haec licentia ali-

quando tandem sopiatur, dicit passa, nescire se, quomodo aut praesentes induciae firmae remanere, aut futura pax poterit constitui. Dicebamus nos, non ex arcibus ejusmodi fieri latrocinia, quia majestas vestra constituisset in eis novos praefectos, eosque bonos viros et majestati vestrae morigeros; sed esse quosdam vagabundos homines sine dominis et stipendiis, qui ejusmodi committunt et exercent furtim facinora. Respondit, id negari non posse, quum habeat hajdones et alios homines captos, qui certam fidem de his faciunt. Ad quae iterum nos subjunximus: omnino haec non perpetrare arcium, de quibus querebatur, milites praesidiarios, sed praefatos latrones vagabundos, hique inducturi arcium illarum custodes in invidiam et odium vobis, domine passa, culpam hanc in eos ab se transferunt. Verum ubi dixit, se etiam illum habere in manu, qui Hamzabegum ceperat, et plures alios, quos proferre volebat, nobis renuentibus: quid respondere illi potuerimus aliud, majestas vestra consideret; vertimusque ad alia sermonem. Itaque supplicamus, ut majestas vestra dignetur hiis obviare, si vult rite, ut dicebat passa, cum imperatore Turcarum pacificari.

Venimus ab his sermonibus ad alia, quae post dicemus suo ordine. Verum mox ad tentoria nostra ab hac prima audientia reversi, venit ad nos Adrianus Litteratus,*) et clam porrexit nobis litteras Clementis Artandy**) et regestum nominum quorundam regnicolarum a regina Isabella missum, ad quos hortatus passa ab eadem regina Isabella, per proprium

*) A pasának magyar titoknoka. V. ö. Gévay, az id. h. 6. l.
**) Biharnak egyik dynastája, külsőleg egyike Izabella legbuzgóbb hiveinek, de, mint innen látszik, atyja vagy bátyja Pálképére, Ferdinándnak hírt vivő.

nuncium dedit litteras praeceptorias, ut ad ipsam reginam et Joannis filium deficerent, sub gravissima poena, qui noluissent. Has autem litteras mittere ad majestatem vestram statim curare statuimus, sed non occurrit certus modus. Verum majestas vestra vel ex hac sola reginae cum Turcis intelligentia facile perpendet ejus perfidiam, consilium et conatum, et quae una cum filio longe alia ratione tractari debebit, quam verbis et clementia, putamusque in similibus et consanguinitatis et pietatis obliviscendum esse hiis praesertim, qui regnare volunt.

Caeterum, quoniam ad eas litteras, quas proxime majestas vestra miserat passae, ex parte tumultuum Transsylvanorum, quibus idem passa magis videbatur incendium suppeditare, praecipiendo Temesvariensi et Zolnokiensi sangzaccho, ut conspiratoribus ejus insanae factionis opitularentur, nihil interim respondere voluerit, ut scripserat domino Paxy, donec oratores ad eum pervenissent: nos in secunda audientia, praemissis multis aliis sermonibus provocati, et ipso passa his de litteris, quantum arbitramur, mentionem omnino supprimente de industria et praehabito consilio, rem silentio praeterire noluimus.

Ubi igitur orsus est queri de finitimorum hominum vestrae majestatis, praesertim vero de hajdonum Corotnensium, Zygethiensium, Kapuswywariensium et Agriensium grassationibus, nosque excusaremus diversis rationibus praefatos, ut edocti sumus, devenimus tandem in illud argumentum: quod quum majestas vestra initura amicitiam tam diuturnam, sinceram et firmam cum imperatore Turcarum, omnem animum et mentem suam appulisset ad ejusmodi inquietorum hominum in confiniis suis, qui turbulentius

haberentur, licentiam et excursiones comprimendas, jamque et praesides suos aliquot hac de causa commutasset, et nonullos etiam milites in quibusdam locis praesidiorum suorum morte multasset, qui in his ejus majestati et suis ducibus non parebant: ecce motus Transsylvani, ecce conspiratio, immo et rebellio multorum, qui non ita pridem novis juramentis fidei majestatis regiae sese obstrinxerant et addixerant. Et id ausi, quantum ad serenissimum regem nostrum multis ex locis affertur, tua, inquientes, magnifica dominatione, domine passa, suppeditante hujusmodi facinorosis hominibus animos ad tumultuandum, nempe data commisione Themesvariensi et Zolnokiensi praesidibus, ut iis ad peragendum, quod aggressi perhibentur, ferrent subsidium. Quo motu concitato, adductaque ea provincia cum vicina parte Hungariae majestati regis nostri subditae, in ejusmodi contumaciam et rebellionem, quantum credis posse jam ejus majestatem et has et alias perditorum hominum insolentias, de quibus vos, domine passa, conquerimini, sopire et comprimere?

Hic passa: Bene, inquit, fecistis, quod hac de re in mentionem incidistis. Quid enim aliud et Transsylvani et hii, qui foris existentes Transsylvaniae adjacent, facere debuissent, quam insurgere, et tueri se ab iis, qui contra se a vestro rege mittebantur armati? Nam Dobo cum episcopis Transsylvano et Varadiensi noviter factis exercitum coeperat conscribere, et in Transsylvaniam hostiliter intrare pergebat. Illi, ut iis resisterent, tutelae suae gratia obsistere voluerunt, quod jure, ob acceptam causam, non datam, eos fecisse debet judicari.

Nos ad haec: Si sic res se haberet, domine pas-

sa, ut narras, certe posses et apud principem tuum et apud nostrum excusari, motusque conjuratorum aequior haberetur. Verum quia male informatum te esse his de rebus perspicimus, necesse est nonnulla dicere nos, quae ad veritatem hujus rei aperiendam et te edocendum pertineant, rogamusque, ut nos aliquantulum patienter audire velis.

Rem igitur ab origine exponemus, et cognosces motum conjuratorum scelus esse, et te magnopere contra inducias jam ab imperatore tuo acceptatas et subscriptas, confirmatasque et Hruztani litteris et tuis, facere, simodo revera ope tua foventur illi tumultus, eo pacto, quo refertur. Hicque data dicendi facultate: Hoc primum, diximus, scire debebis, domine passa, quod adhuc anno superiore in comitiis Posoniensibus Transsylvani frequentes ad praefata comitia venerant cum publica totius provinciae commissione, maximisque et votis et instantia contenderunt, ut eis majestas sua vajvodam et episcopum daret juxta veterem eorum consuetudinem et usum. Hoc ipsum reliqui quoque status Hungariae, qui in potestate ejus majestatis existunt, efflagitaverunt, ut curiae quoque officia et magistratus cum episcopatibus et praelaturis ecclesiarum distribueret, quo quaelibet regni pars rite posset procurari.

Tunc temporis occupata sua majestas novo bello Turcico et Germanorum motibus Themesvariensem tantum comitem Losonzyum et vajvodam Transsylvanum Andream Batory fecit. Neque hic diutius eam praefecturam assumpsit, quam ad annum unum, quod esset ob gravem valetudinem corporis ad tantae provinciae curam minus idoneus. Revoluto itaque anno et aliis comitiis Sopronii habitis, denuo Transsylvani

oratores suos misere ad regem nostrum, episcopum et vajvodam postulantes, qui non ad tempus, ut Batory, sed stabilis esset, et eorum curam gereret. Eo igitur tempore exauditis Transsylvanorum et aliorum dominorum regnicolarum postulationibus, majestas regia, primum collato archiepiscopatu cum episcopatibus, viris, quos cognovit esse dignos, vajvodas quoque in Transsylvania duos creavit, uti petebatur, alium Stephanum Dobo Hungarum, alterum Franciscum Kendy Transsylvanum, ut hoc etiam Transsylvanis gratiam tuam declararet.

Atque haec dum aguntur, et praeparat se vajvoda Dobo cum episcopo ad proficiscendum in Transsylvaniam, nihil prorsus quicquam adhuc cognito de Transsylvanorum, compliciumque eorum motu, cumque jam nos majestas regia ab se dimisisset, essentque ad summum cum trecentis hominibus, pro honore regio et sua conditione ingressuri, insurrexere in eos praefati conjurati, instituteruntque prohibere ab ingressu, magno coacti numero. Hac insperata rebellione et hostilitate illorum visa, nulla armorum causa praebita, Dobo quoque cum episcopo ad majores vires cogendas sese convertere, non ut vi aliquid agere vellent, sed ut tuti forent a fortuitis casibus et ab his qui in se insurrexerant.

Jam, magnifice passa, judices et expendas per temet ipsum hujus rei originem, et, nostrine an hi conjurati causam praebuerunt tantis tumultibus? et praeterea, hocne est denuo Transsylvaniam occupare, an dudum occupatae curam velle gerere, non quidem in contemptum et praejudicium imperatoris tui, sed pro ejus possessione etiam munera quotannis offerendo? Unde quum jam plane intelligas omnem hujus

negotii seriem, quam alioqui etiam ex litteris regiae majestatis paulo ante datis cognoveras, rogamus tuam dominationem, nomine regis nostri, ut velis in hoc ita te gerere, ut amore et benevolentia respondeas ejus majestati; et si aliqua fomenta huic incendio subdideris, ea submoveas, et sangzacchis Themeswariensi et Zolnokiensi, Transsylvanisque et eorum complicibus frena injicias atque audaciam inhibeas. Alioqui, proculdubio, si feceris, facies contra inducias, quibus et imperator dominus tuus et Hrustan passa ac tu subscripsistis, datis litteris ad regem nostrum serenissimum.

Et in hanc sententiam quum plura dicere pergeremus, ostensuri Transsylvaniam fuisse in manu vèstrae serenissimae majestatis multo ante quam induciae factae fuerunt, habuisseque praecipuum locum Transsylvaniam in articulis, qui ad principem suum per Alypassam missi sunt, quumque ipse nimis multa familiariter nobiscum colloquendo diceret, non opus esse tam copiose de his hic loqui sed illic, ubi res tota peragetur: nos quoque excusavimus nos de longiori oratione, adjungentes, alioqui opus fuisse ut hic illi exponeremus, eumque admoneremus, ne quid in hoc attentaret suo consilio, et ante scitum sui domini ac Hrustani, et donec nos imperator ejus cum ipso Hrustano audierit, quando sciret rex noster aliam esse voluntatem Turcarum principis, quam ut hoc pacto, dum secum de solita pace tractat, detrudatur sensim e possessione Transsylvaniae.

Subjunxit hoc interim passa aliquoties: Et cujus esset Transsylvania, ad quemnam pertineret ejus procurationem gerere, mittereque in eam praefectum?

Nos non ignari captionis et quo deduceremur ab

eo: Quidni? certe ad regem nostrum. Caeterum, non credas, domine passa, regem nostrum adeo esse parum circumspectum, ut non intelligat et Hungariae et Transsylvaniae statum, et quantum imperator Turcarum tam in Hungaria quam in Transsylvania habeat potestatis. Et ob id amicitiam quoque cum eo ac vicinitatem colere, eumque quotannis honorario munere prosequi contendit, sicut jam ab aliquot annis facere inceperat, semperque summo studio perseverasset, nisi delatorum hominum et vobis et principi vestro malitia mendaciis odiosum reddere conaretur, prout nunc quoque id videre manifeste potes: dum nos ad ipsum imperatorem vestrum mittit sua majestas cum muneribus ad pacem faciendam cum eo, ii, quos jam saepe nominavimus, scelestissimi homines accusant apud vos, quod nec inducias servat constanter, nec sincero animo pro pace agit. — Verum, domine passa, quid decedet imperatori vestro, si rex noster pro Hungaria et Transsylvania illi est quotannis honoraria dona collaturus, ut conferrent alii? immo etiam si in hoc laborat, ut nemo alius id faciat, quam ipse, ad quem jure et Hungaria et Transsylvania pertineat, quum ob id et Dobo non est missus de novo occupare Transsylvaniam, sed ut succedat in officio domino Bathory, — cur adversari vobis videatur, non intelligimus?

Alia etiam quaedam verba intercesserunt de ultronea discessione reginae, Petrowith et Monachi ex Transsylvania, et de Transsylvanorum studiis, ut ad fidem regis nostri devenirent. Verum quoniam festinabamus persuadere passae, ne in hoc proposito perseveraret juvandi conjuratos supranominatos, pluribus et quam melioribus modis potuimus, eum roga-

vimus, ut declararet erga majestatem vestram benevolentiam, facta prohibitione Themeswariensi et Zolnokiensi praesidi ac etiam conjuratis, ut cessarent a tumultuando, donec oratores majestatis vestrae peragerent res in Porta sui domini, liberumque esset interim vajvodae et episcopo Transsylvaniensibus ad sua loca proficisci.

Ubi tandem respondit: Libenter volo ejus majestati gratificari, daboque mandatum et ad Themeswar et ad Zolnok et in Transsylvaniam, ut abstineant ab his tumultibus, et sint omnino quieti, donec vos in Porta imperatoris mei permanebitis, modo et rex vester itidem suis praecipiat, sintque mutuo pacifici, aliique ab aliis abstineant. Nec unquam, licet ter et quater mentionem fecerimus, efficere potuimus, ut diceret, jussurum se, ne ingressum domini Dobo et domini episcopi impedirent; tantummodo generaliter locutus est, ut utrimque sint quieti.

Quod autem ad pacem attinet, dicebat se sperare futuram, sed sic, si rei non aurem solam sed totum caput amplecteremur, et ita omnia perficeremus. ut revera inter nos et ipsos pax sisteretur, et utrique suos limites scirent; nesciens quibusnam conditionibus essemus pro pace acturi, quum ne verbo quidem idem passa a nobis fuerit sciscitatus, (tanta est usus modestia,) qualemnam pacem essemus petituri, et ideo hac in parte parcius extendimus nos in loquendo. Caeterum dicebat etiam in vestrae majestatis esse manu et pacem et bellum, dummodo, obtenta ipsa pace, turbatores ejus non foveat in finitimis arcibus, sed castiget.

De captivorum liberatione etiam plura est locutus, impium esse dicens, (nam audivimus hominem

esse studiosum litterarum et minime crudelem atque avarum) diu carceribus detinere et cogere ad majora pretia redemptionis, quam quorumdam fortunae patiantur. Ideo offerebat, se velle afferre ad eorum citam et facilem dimissionem suam operam, defalcuturumque etiam de pretiis eorum, qui solvendo non essent, quod ab illis peteretur, modo et majestas vestra idem de Turcis quoque faceret, qui per Hungariam vincti tenerentur; libereque posse pro his homines ad se mitti, eosque vel solis litteris vestrae majestatis fore securos.

XV.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ferdinando regi suo clementissimo f.

Proximis diebus veniebat Budam ex Turcia qui- 1553. ján. 21.
dam imperatoris Turcarum chawsus Zynan nomine, cui erant servi duo, equi tres, floreni octuaginta, patera argentea una paulo amplior et supellex militaris non tenuis, isque quum pervenisset ad Baathazyk, prope quendam pontem occurrere illi LX. hajdones ex castello Corotna, ubi captis duobus servis, quos habebat solos, alterque adolescens Murath, alter virili aetate Aly nominatus, equos quoque et omnem supellectilem interceperunt. Ipse chawsus fuga se servavit. Accidit hoc quarta die post captum Mustaham vajvodam, quem huc nos deduximus, et passae dono, tuo nomine, restituimus. Quare hortati ab eodem passa, quem videmus valde affici pietate in pauperem plebem, supplices tuam majestatem oramus, ut ejus cognito desiderio, velis hos quoque duos capti-

vos, Murath et Aly conquiri facere, inventosque una cum pecunia, equis et alia supellectile ad eundem passam mittere, eidemque reddi jubere non dedigneris. Quod quidem, postquam postularis; regium erit opus, accipieturque a tua amplitudine magno nomine, quum alioqui memorati captivi sub induciis capti sint, et nos omnia de tua clementia et aequitate, quae optima sunt et digna bono principe, pollicemur. De specie autem rerum his pro nunc scribimus nihil, quum aliis ad sufficientiam scripserimus. Verum si omnes res, de quibus queritur, reperiri non poterunt, saltem quas nominavimus recuperare cupit, nec alibi praefata quaeri debebunt, quam apud ejusdem castelli Corotnae praefectos. Tua majestas quam felicissime valeat. Vigesimaprima Julii 1553. Ex Sicambria ad Budam.

XVI.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ferdinando regi suo clementissimo f.

Sunt quidam oppidani Kewienses *) quorum su- 1553. Július 21.
periori tempore tam merces quam ipsimet a tuis subditis fuerunt detenti, quod majestati tuae notum esse non dubitamus, magnaque damna acceperunt et incommoda, quemadmodum ex hoc eorum libello, quem ad te mittimus, plane intelliges. Quoniam hi oppidani in adventu nostro ad Budensem passam plurimum instituerunt, ut nobiscum ageret et experiretur, numquid opis et beneficii a nobis in eos proficisci

*) Ráckevi; akkoron kivált bécsi árúk rakhelye.

posset: igitur egit apud nos passa his de rebus tam coram, quam per internuncium diligenter, sed citra omnem animi motum (uti sese nobis humanissimum in omnibus congressibus exhibuit), hortando tantum et petendo, ut siquid in nobis esset ejusmodi facultatis, Kewienses juvaremus. Quod cum polliceri et praestare, uti postulabant, non possemus, quandoquidem res tales transigi nequirent, nisi coram tua majestate, scribendi ad te obtulimus officium, praebita illis de clementia et aequitate tua summa fiducia. Igitur supplices oramus tuam majestatem, digneris horum quoque hominum causas gratiose ad tuum conspectum admittere, et de eis exequutionem pro justitia fieri jubere, quod plurimum (spe et judicio nostro) praesenti nostrae legationi afferet favoris et momenti, et is etiam passa confirmabitur magis et magis in optima de tua in omnibus rebus aequitate, et de benevolentiae ejusdem erga se opinione, cujus nos jam apud eundem magna jecimus fundamenta, quum hominem longe humaniorem et tractabiliorem invenimus, quam antea audiveramus; quod suo tempore clarius te cogniturum speramus. Tua majestas felicissime valeat. Vigesimaprima Julii, 1553. Ex Sicambria apud Budam.

XVII.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ferdinando regi suo clementissimo f.

Hortati sumus a Welibego praeside Hatva- 1553. július 22.
niensi, ut ad tuam majestatem de illius quoque negotio scriberemus, ageremusque summo studio, u ejus

damni non ita pridem apud Comarom accepti, quemadmodum exponemus inferius, dignareris benignam habere rationem. Superiori tempore, paulo antequam induciae quinquennales fuerunt interruptae, miserat per suos homines Comarom mille quingenta modia nostrae mensurae tritici, tribus navibus imposita et empta in loco mille florenis. Hoc triticum dum venditur Comaromii, turbantur induciae, vixque floreni quadringenti una cum navi ad Welibegum incolumes remissi. Sexcentos reliquos cum duabus navibus Andreas Tarnozy *) intercepit suo jure, nec alia prodita causa, ut hii ferunt, quam ob inducias ruptas, et intempestivo bello exceptas. Cupit jam Welibegus hac in re benevolentiam tuam erga se declarari, paratus ipse quoque eidem suo tempore per omnes occasiones referre gratiam. Nos vero functuri nostro officio, non cessamus omnibus modis amicos et fautores tuae majestati comparare. Quo circa summo studio postulamus, velis juris authoritate adhibita praefatam summam sexcentorum florenorum apud Tarnozy existentem eidem Welibego reddi facere. Quod non erit alienum a justitia. Caeterum et commodo rerum tuarum suffragabitur, si hac in petitione nostra benigne nos exaudire dignabere. Tua majestas felicissime valeat. Vigesimasecunda Julii 1553. Ex Sicambria ad Budam.

XVIII.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ferdinando regi suo clementissimo F. 1553. július 24.

Etsi jam sufficienter scripsimus aliis litteris no-

*) 1549-ben Ferdinánd követe a budai pasánál. Jelentését lásd Kovachichnál, Script. rerum. hung. minores, I. 89.

stris tuae majestatis de his, quae cum eo Turca, Mustaha vojvoda ad Batham capto accepta sunt per praedones Volfgangi Dersffy, *) Zygethiensis praesidis, ut scilicet ea conquiri et restitui curare dignaretur, quod et induciarum jus postulat, et quod ille vajvoda fuerit homo passae Budensis Tuygani, omnino facere te ejus amicitiae et vicinitatis gratia operae pretium fore ducimus, hoc praesertim tempore, quo pro conficienda pace in Turciam proficiscimur, estque tibi et a minoribus ejus gentis hominibus venanda benevolentia, postquam sic visum Superis est et Hungariae tuae fortunae. Nec id ad majestatem tuam scribimus nostro motu, quod nescimus, in quem finem aut quid referret: verum hortatus est nos ipse passa ad hoc officium, quod ei negare non debuimus; et alioqui non inutile futurum majestati tuae speramus, si et hoc et alia majora in eum contuleris, quum haec natio facile et donis et officiis capiatur. Tua majestas felicissime valeat. Vigesimaquarta Julii. 1553. Ex Sicambria ad Budam.

XIX.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

— — Vigesimaquarta Julii, quum discessum apparamus, nunciavit nobis passa, venisse ad se nuncium ex Zolnok, qui nunciaret, undique gentem magno numero e mandato vestrae majestatis ad dominum Dobo confluere, jussisseque eum per vim in Transsylvaniam irrumpere; quod si verum sit, se quoque non permissurum ditionem et amicos impera-

*) Korotna, melynek hajdúi, mint felebb láttuk, a rablást elkövették, a Dersffiaké volt.

toris sui opprimi, et daturum ad Portam litteras, quae hic per regem nostrum agantur.

Nos scientes, unde haec tempestas oriretur, quandoquidem huc venisset homo reginae Isabellae, de quo in aliis litteris scripsimus,*) renunciavimus rem tanti esse, ut per internuncium de illa agere non possemus tam ad nostram quam ad ipsius passae satisfactionem. Igitur petere nos, ut ad se venire liceat. Annuit. Mox ad eum deducti, haec illi ad verbum exposuimus, quae sequuntur:

XX.

Tujgún pasának Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Tuygano passae Budensi S.

Quod nobis heri nunciasti de gentibus nostri re- 1553. július 24.
gis, quos insurgere et coire ad arma, proficiscique contra rebelles suos accepisti; quodque tu, si ea ita sese habuerint, ut ad te perlata sunt, nequaquam amicos et dedititios principis tui opprimi patiere, intelleximus. Igitur, etsi non ab re commoveri regem nostrum certo scimus, aequumque est ut rebelles suos corripiat et castiget, tamen quoniam sic falso criminatum regem nostrum indefensum sinere jure non possimus, haec ad illa respondemus per litteras, coram dicturi eadem, si nos admiseris, quum alioqui nec per internuncios tanta res agi possit. Sed jam ad ipsam rem. — Superiori anno, secundo proximo, rex noster nec vi nec fraude aut dolo malo intercepit Transsylvaniam, sed a regina Isabella, ab ejus filio, ab Heremita, a Petrovio, et ab omnibus Transsylvanis ultro et communi omnium concensu eidem tradita

*) V. ö. a XXII-dik szám alatti levéllel.

est, quod Solimano quoque principi tuo notum est perquam optime. Cui rex noster, ubi primum in Transsylvaniae possessionem rediit, non semel sed pluries, quum per litteras tum per nuncios et amicum se et vicinum bonum esse velle, et quotannis munus et honorarium pensurum, quantum ipsa olim regina cum filio pendebat, obtulit; ac simul in ipsam Transsylvaniam misit vajvodam suum Andream Bathoraeum cum exercitu, nec interim quispiam illum molestavit, aut deturbare ea possessione tentavit. Atque hunc in modum existente statu Transsylvaniensi, iniit rex noster cum tuo imperatore inducias, in quibus etiam Transsylvania, et quidem primo loco continebatur, quemadmodum apparet in articulis earum, quas tuus antecessor Alypassa miserat ad tuum principem. Quieta igitur Transsylvania, quum jure possessionis veteris, et eo, quod ultro regi est tradita, tum etiam ratione induciarum praesentium, quibus jam et imperator tuus et post eum Hruztanus quoque passa, ac tu subscripsistis, ratasque et firmas esse in sex menses voluistis: cur illi homines perditi et turbatores patriae, freti tua ope conjurarunt in legitimum principem suum, audeantque contra et inducias agere, tam conclusas firmiter, et contra fidem, obliti et Dei et juramenti et humanitatis suae? Quare si in eos rex noster quoque pergit animadvertere, quid, quaesumus, vel contra imperatorem tuum agit, vel contra inducias? An malefidi subditi non sunt puniendi, ut mox majora aggredi audeant perfidia, et patrum imitatione omnia, quae libuerit, ad evertendam patriam accomoda? Plura ejusmodi possemus afferre in medium, quae ad causam regis nostri facerent, sed brevitatis ergo, et quod hic apud te haec

controversia non determinabitur, hortamur te, ne velis in hos horum conjuratorum motus authoritatem tuam adhibere, idque potissimum ante quam ab imperatore tuo accipies mandatum, nosque apud illum constituemur, et audietur nostra legatio. Caeterum et aequo animo feras, quicquid rex noster aget in rebelles suos; quos ipse et tu et imperator tuus propter ejusmodi temeritatem et perfidiam corripere et coarguere deberetis. Alioqui in manu Dei primum altissimi, deinde imperatoris tui, quod modestiae nostrae gratia dicimus, esse non negamus, cui cessura sit Transsylvania, quum rex noster serenissimus illud cum imperatore tuo statuit jam hoc tempore inire amicitiae vinculum, ex quo, si Deus Optimus Maximus annuerit, non honorem solum maximum, sed etiam quam maximum commodum et perpetuam famam sine et impensa et jactura rerum suarum percipiet. Haec ut tua amplitudo bene expendat secum, neu velit aliquid tanta in re aggredi, oramus, quod posset paulo post facile tibi secus cadere et evenire, ubi legatio nostra intelligetur, quam speravisses. Vale. Vigesimaquarta Julii. 1553. Ex Sicambria ad Budam.

XXI.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Quae quum ad finem usque audisset, etsi fortasse intra se agnovit et concessit veritati, tamen inter multa verba nulli horum locum dedit, affirmans: in summa domini sui et Hungariam et Transsylvaniam esse (potestate), et ita Transsylvaniam filio Joannis dedisse, ut suam et ut patri etiam dederat ejus, quod amicus imperatori suo fuerit, et illi ser-

viverit; postquam sua mater ad neminem alium ipsum regnum spectare scit quam ad imperatorem Turcarum, ideo nescire se, quo pacto, quo vel quibus privilegiis regi vestro ipsum dederit regnum. Petendo penes haec, ne his tam perfide secum colloqueremur, quum hic finis nullus fieri possit: nos quoque diximus: nihil nos loqui de summa nostrae legationis, sed tantum de his, quae hoc praesens negotium in medium adduxit. Ideo scire debes, quod regnum totum a Joannis filio nemo alius alienavit, quam initio ipse pater ejus, et postremo mater cum Monacho et Petrowyth, uti jam audistis. Et hic brevibus exposuimus tenorem concordiae Joannis cum majestate vestra de successione, simulque diximus: majestatem vestram libenter usuram gratia et amicitia ejus imperatoris, modo illum ab se non rejiciat. Sed utcunque sese ejusmodi habeant, diximus, rogare majestatem vestram, ne ipse passa impediat officiales suos ad curiam imperatoris proficisci, et jubeat tam Zolnokiensibus, Temeswariensibus et Transsylvaniensibus quam etiam Petrowyth, ne interea tumultuarentur, donec nos Constantinopolim proficiscimur.

Ad quae omnia respondit: facturum se pro voto nostro; caeterum nolle dominum Dobo pati intromitti; sed postquam dominus Bathory jam intromissus est, et gerit officium bene ac pacifice, majestas vestra non curet alium illi subrogari, sed in eundem dominum Bathory denuo vajvodatum rejiciat et jubeat gerere; caveat autem maxime ne quae arma moveat, vel in Transsylvaniam intendat, quia alioqui nos parum feliciter ambulabimus, uti dicebat.

Quae quum ita se habeant, et ipse passa jussurus est suis, ut quieti sint, quid consulere dobeamus

majestati vestrae, nescimus; tamen postquam tantum intrare dominus Dobo recusetur, et commissa denuo cura domino Bathory, si cum majestate vestra sentit, quod non dubitamus pertinerev vel hoc tempore maxime in fide et commodo vestrae serenissimae majestatis; *) alioqui non sit nostrum consilium sed majestatis vestrae.

Non praetermittemus et privata verba. Heri quum accepto commeatu a passa ad tentorium nostrum profecti fuimus, nunciavimusque Welibego de quodam captivo, inter alia renunciavit: amicum se nobis esse, verum si pro Transsylvania laborabimus, et Hungariam perdemus.

Item: Et Saffer aga, de quo alias majestati vestrae Verancius locutus est, per nuncium interrogavit me Franciscum Zay: ubinam habeam matrem et uxorem? et ut curarem eorum quietem et salutem, quia nescirem, quid futurum de pace, quidque sequeretur.

Haec nos non terrent, clementissime rex, sed voluimus scire vestram majestatem, ut occurrat tumultibus non tam armis quam artibus. Nec Polono omnino fidat, quia hic saepius nominatur, et quaerimus: an Constantinopoli cum eo homine majestatis vestrae amicitiam (colamus). — Haecque sunt, quae hic egimus, jamque, Deo duce, hodie Danubio discedemus.

XXII.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Regi suo Verancius et Zay.

Die XXII. dum expectaremus naves ex Coma- 1553. július
ron, quibus ut ad Belgradum usque descenderemus, 25.
non ab aliis solum hominibus sed etiam a passa ipso

*) Verancsis minutája itt alig olvasható, s jelen hely, ugy szólván, fogalmazás nélkül vettetett papirosra.

consultum erat nobis, venit nuncius reginae Isabellae ad passam Gregorius a Bethleen, *) nobilis Transsylvaniensis, homo loquax et audaculus, quique ab initio quoque horum motuum aliquoties fuerat apud hunc passam in iisdem negotiis. Ejus adventus delatus est ad nos ea fere hora, qua advenit, sed clandestine, quod passa jusserat eum occultari, ne de adventu ipsius quicquam cognosceremus. Frustra id tamen. Quia non defuerunt, qui etiam praeter Adrianum nobis hoc genere officii gratificari studuerunt zelo christianae pietatis. Caeterum is Gregorius, quantum intelligere potuimus, missus est a Petro Petrowyth, reginae tamen rem gerit nomine, venitque per Zolnok, et fuit apud Kassumbegum praesidem Temeswarii, ac summa instantia passam sollicitat, ut laboraret apud imperatorem Turcarum, quo concedat reginae Isabellae filio pro sede Waradinum, donec Transsylvania recuperaretur; ut sine longa dilatione mittat ei obviam gentium sui principis auxilia, quum ipse ex arce Munkach cum quinque millibus hominum ad occupandum Waradinum veniat, conjuratis illum advocantibus. Passa quid in animo secum volutet, plane nescimus. Retulit tamen nobis occulte ciausus unus, qui ad nostri curam designatus est, passam dixisse: nullo pacto se id honeste et tuto posse facere, nec omnino facturum, donec litteras sui imperatoris acciperet, nisi si temere velit caput suum fortunae committere; caeterum quoniam et majestas vestra oratores mittit in Turciam, mitterent etiam ipsi, operirentur illic, quicquid in solidum his rebus foret agendum, et interim quieti sint, et ab armis abstineant. Adjecit etiam, quod aut is Gregorius recta hinc,

*) Az iktáriak ágából, Domokosnak Kasza Ágnestől fia.

aut alius quispiam sine longa mora orator mitteretur in Turciam; nec conquiescere volunt, donec puero Transsylvaniam obtineant. Non defuimus sub hoc breve tempus alios quoque, quibus confidere poteramus, sciscitari, quandonam hunc Gregorium passa fuisset dimissurus. Responsum est: non interim, dum hic erimus, verum quod parum ex sententia absolvetur. Satis igitur speramus temporis habiturum majestatem vestram in revocandis suis rebellibus ad officium, si modo sani esse voluerint, et ad prospiciendum aliis quoque suis negotiis, quae nunc malorum ingeniis perturbantur. Verum quod ad nos attinet, putamus operae pretium fore, ut cum incommodo etiam ejusdem benigne eniti non dedignetur, quo omnes hi, pro quorum negotiis passae hortatu supplices petiimus, contenti et satisfacti ad eum revertantur. Sunt enim hic majestati vestrae hujuscemodi homunciones valde molesti, et quasi quidam quotidiani vermes, adeo ut non potest fieri, quin aequitas et existimatio majestatis vestrae perstringatur, dum totos dies declamitant et querulantur, quod illis-justitia in vestris judiciis non administretur. Quapropter supplices petimus, ut in hoc dignetur, nostra etiam nonnihil causa efficere, quo ii memorati homines voti sui compotes evadant, idque non quod essemus aliquid, sed quia jam ii susceperunt hoc principio bonam de nobis opinionem: quod scilicet vera cessimus, uti coram nobis loquuntur, simodo sine assentatione, seriaque omnia de majestate vestra erga imperatorem suademus; ulterius etiam meliorem de nobis habeant, ut vulgo dicitur, credentiam. Potissimum enim est oratorum officium, si benevolentiam sibi conciliarint, ubi dicunt. At quantumcunque nos de animo et inte-

gritate hujus passae, bonaque voluntate erga majestatem vestram scribamus, facimus uti videamur hominem cognovisse, uti se nobis ostendit. Nihilominus majestas vestra sciat Turcam esse et ex operibus credendum illi oportere. Saepe enim alia dicunt, alia faciunt, commodo suo omnia metientes. — De novis ex Turcia hoc habemus. Cum rege Persarum nulla pax est, nec speratur. Et dicitur habere ad centum millia hominum, jamque a proxime elapso vere duobus conflictibus supra XXXII. millia Turcarum confecisse, paucis admodum ex Persianis desideratis, quorum capita circiter ducenta Constantinopolim pro magna ostentatione allata et in publicum proposita fuerunt. Exercitus Turcae adhuc non movit, et tantum noster adventus expectatur, ac legationis nostrae exitus. Sollicitudine tamen Turcam non carere ob potentiam Persae. Alypassae data erat praetura quaedam in Asia, sed eam respuit, agitque privatus Constantinopoli, nec sine indignatione Hruztani passae, quod Sforciam pecunia liberaverit, indeque, nisi ultro facesserit, amandabitur. Hoc Turcae de Alypassa, quanquam quidam alii haeresis alterius aliter de illo ferant. Aliud quod scribamus hinc, non habemus, nisi quod hodie navibus ex Sicambria iter, Deo duce, arripiemus. Majestas vestra felicissime valeat. XXV. (Julii, 1553.) ex Sicambria ad Budam.

XXIII.

Paksi Jánosnak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Joanni Paxio S.

1553. július 25. Habemus tibi gratias pro navibus. Caetérum nos hic a magnifico passa honeste excepti, tractati et ex-

pediti sumus. Ad ea etiam, quae ad eum habuimus, bonum responsum accepimus. Circa tantum negotium de motibus Transsylvanis, juxta litteras regiae majestatis, ad quas respondere noluerat nisi praesentibus nobis, multum laboravimus, nec obtinuimus aliud, quam quod statim jubebit sangzacchis, Temeswarino, Zolnokiensi, qui huc heri venit, Lippensique et Transsylvanis, ac Petro Petrowith, ut quiescant a tumultibus, et arma non attingant, ita tamen ut idem et majestas regia faciat ex parte suorum. Et quoniam ad Transsylvaniam, ut dicebat, nemo habet jus quam ejus imperator, majestas sua dominum Dobo omittat in Transsylvaniam mittere, sed contentus sit ibi ministerio domini Bathory. Et si nollet ibidem remanere, cogat illum; alioqui si qui tumultus majores et certamina concitabuntur, ipse etiam passa non poterit non juvare amicos domini sui. Pluribus ista ad majestatem suam perscripsimus, sed haec est rerum summa. De rebus novis ex Turcia hoc habemus. Cum Persa nulla pax est, nec speratur, et dicitur habere centum millia hominum, jamque a proxime elapso vere in duabus vicibus supra trigintaduo millia hominum confecisse, paucis admodum ex Persianis confectis, quorum capita circiter ducenta Constantinopolim pro magna ostentatione lata sunt. Exercitus Turcae nondum movit, tantum noster adventus opperitur et legationis nostrae exitus. Alypassa in magna est indignatione Hruztani. Nos vero, Deo duce, hodie discedimus, donati a passa cingulis valde levis armaturae. Majora munera promisit cum redierimus. Ab Isabella regina nudius tertius venit huc nuncius, Gregorius Betlehem, de quo Leonhardus Barbyr omnia coram loquetur. Hortati sumus ex curia passae, ut

dominatio vestra huc in posterum Benedictum Zalay *) non mittat. Ajunt nempe eum non placere, quod multa mentitur. Rogati scribimus; precamurque domininationi vestrae omnia felicia, et nos ejus orationibus commendamus. Vigesimaquinta Julii, 1553. Ex Sicambria, ad Budam.

XXIV.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ferdinando regi suo clementissimo F.

1553. július 25. Hodie solvimus ex Sicambria, quatuorque magnis navibus vecti et sex lembis militaribus, quos saykas vocant, milite classiario instructis, comitati, honorificeque et Budae et Pesti, dum praeterimus, innumeris bombardarum ejaculationibus excepti, salvi ad oppidum Kewy, quod est in insula Chepel, pervenimus. Passa etiam, quum e portu solveremus, prodierat ad ripam Danubii, nobisque praetereuntibus inclinatione capitis et totius corporis valedixit. Caeterum, dum hic essemus, venit ad nos Georgius quidam, cognomento Espan, civis oppidi hujus, passae mandato, qui querebatur, quod anno abhinc quarto Valentinus Magyar, **) tuae majestatis centurio, sub induciis quinquennalibus eum in itinere comprehensum cum suppellectile non exigua, spoliaverat omnibus rebus et in captivitatem redegerat, habitoque annum integrum in carcere, trecentis postmodum duca-

---

* Elesett ifju korában, 1556. Babocsánál, midőn Nádasdy Tamás és Zríni Miklós ott a törökökkel többszörös ütközetekben megvívtak.

**) 1551. Nádasdy Tamás alatt részt vett Lippa bevételében; az 1563-diki országgyülés, hatalmaskodásaiért büntetést mért reá.

tis pactus est ejus liberationem, et interim donec eam pecuniam obtulisset, filium pro obside coactus dedit; proinde idem Valentinus accepta ab homine pecunia, filium non reddidit nec reddendum curat. Supplices itaque petimus tuam majestatem hortatu passae, ut velit ex gratia sua huic misero patri jus administari facere. Demum si eandem pecuniam hominis malignitate amittere cogetur, filium recuperasse in lucro habebit. Tua majestas felicissime valeat. Vigesimaquinta Julii, 1553. In Kewy.

XXV.

Wernherr Györgynek Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Georgio Vernero *) S.

Quoniam ex mandato regiae majestatis, et re ita exigente, cogimur properare, moras hactenus commissas suppleturi, jacturam in equis facimus, idque non tam oneris gravitate, quam ob aestus intensissimos. Ideo quum hic essemus empturi unum equum rhedalem, currui regio necessarium, occurrit nobis vir quidam, Franciscus Kokay nomine, qui est praesentes porrecturus, nobisque ultro equum, quo egebamus, ea conditione dedit, ut eum ex camera regis solvendum illi curaremus. Freti itaque tuae amicitiae fiducia, rogamus te magnopere, ut velis memorati equi pretium huic viro numerare, monita etiam principis majestate, si secus tibi non licuerit. Quis autem et unde sit is Franciscus Kokay, quoniam ipse etiam per te cognosci desiderat, sua quadam secreta causa, ex eo intel- 1553. július 25.

*) Wernherr György, magyar kamaratanácsos, a „de admirandis Hungariae aquis, Bécs, 1551" czimü munka szerzöje.

liges. Nec enim potest esse non bonus vir, qui sic iter nostrum sublevare voluerit, quandoquidem etiam aliis impensis et praesertim quotidianis munerationibus longe magis exhaurimur, quam et princeps ipse et consilium ejus putaverit. Non aegre itaque levabis nos hac impensula. Vale. Vigesimaquinta Julii, 1553. Ex oppido Kewy.

XXVI.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ferdinando regi suo clementissimo F.

Nos Tolnam hesterno vesperi incolumes perve- 1553. júl.
nimus, hodie ulterius progrediemur. Caeterum si ma- 27.
jestas vestra serenissima non dignabitur inhibere, saevitiamne an audaciam domini Volfgangi Dersffy dicere debeamus, nescimus, veremur ne publicis negotiis magna afferat impedimenta, vestraeque etiam majestati augeat sollicitudines. Ubique enim per haec loca maximis et gravissimis, non tam Turcarum, quam dominiorum nostrorum querimoniis offundimur et molestamur, ita, ut jam responsa etiam nos defecerint, quum, quae de illo referantur, occultari, ut omnium vox est, non possint. Eaque nos, quoniam enormia sunt, et hoc tempore omnino intempestiva, noluimus ipsi describere, sed supplicem miserorum hominum libellum in his litteris nostris inclusimus et misimus, reliqua cura vestrae majestati relicta. Quantum autem Turcae hujusmodi Volfgangi infestationibus offendantur et commoventur, non multis est opus. Verum sola majestas vestra criminatur ab hostibus, quod tales turbatores induciarum non punit.

Tua majestas felicissime valeat. Vigesimaseptima Julii, 1553. Tolnae.

XXVII.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ferdinando
regi suo clementissimo S.

Jam nos Belgradi sumus, quo hodie paulo post 1553. Julius
ortum solis incolumes appulimus, usi navigatione 31.
quam lenissima. Ubi curribus atque equis reparatis, ulterius crastina die itinere terrestri promovebimus. Novi autem ad tuam majestatem aliud scribere non possumus, quam quod paucis horis ante adventum nostrum Job quoque Paxius*) adductus est huc Constantinopoli, et recta Zegedinum abductus, neque cum eo de suis rebus aliter collocuti sumus, quam per internuncium, idque satis aegre. De publicis vero hoc tantum nunciavit: quod nos in magna expectatione sumus Constantinopoli, quodque speraret ad vota nos expeditionem habituros, quia a passa Casule res Otomanae gravissime urgerentur, prostratis hoc anno jam duodecim circiter sangziacchorum copiis, Nec est quod addamus, quum, quae vellemus, ita facile non consequimur, nempe turcico more prohibitis, qui ad nos venire et nova deferre possent. Tua majestas felicissime valeat. Ultima Julii 1553. Belgradi.

XXVIII.

Parrhisi Péter Ferencnek Verancsics.

Antonius Verancius Petro Francisco Parrhisio suo S.

Proficiscenti mihi cum legatione regis mei ad 1553. augu-
principem Turcarum magnis de rebus, ut quae genti stus 1.

*) Jánossal azonegy család tagja. 1552-ben az egri ostrom alkalmával török fogságba esett.

nostrae quietem et otium a bello conciliare debebunt, simodo ex sententia successerit, incidi in quosdam istius nobilissimae urbis*) cives, qui se in patriam profecturos dicerent. Quare adhuc memor, et maxime etiam videndi tui cupidus, nolui praetermittere hoc scribendi ad te officium, quo scires, qualem et quantam memoriam tui retineam, esto quod diu jam inter nos cessat conspectus mutuus, cessant nuncii, et epistolae silent, utque vel solam salutem tibi precarer, meque etiamnum erga te declararem, quem semper alias expertus fueris, quando eramus contubernales et consortes tenuioris illius conditionis nostrae, qua apud Philippum Trivulcium, optimum quidem certe nobis herum et praesulem conjuncti degêbamus. Precata itaque, mi Petre Francisce, salute quam plurima et quam diutissima, meque oblato ad tua vota omnia, restat, ut te de statu meo faciam certiorem. Rex meus ascivit me in senatum suum, et in episcoporum ordinem promovit, auctoque etiam abbatia Pornensi et restitutione praepositurae Transsylvaniensis, oratorem quoque misit ad Turcarum summum principem magno et honesto cum apparatu. Nec de meis rebus ipse plura. Tu, ut semper facere solitus es, tecum de hiis mihi gratulator, aut si etiam epistola voles, hoc quoque solitum feceris, mihique tuis litteris gratius nihil erit, postquam te non consequor. Obiisse nostrum Idinam, dolui sane dolentissime, ut de morte fratris debuissem. Verum senescimus, Petre Francisce, senescimus et ad metam omnes properamus. Quiescat igitur noster Idina in pace et beatitudine Christi sui. Nos, dum licet, vivamus, et amemus mutuo. Vale. Prima Augusti, 1553. Belgradi.

*) Ragúzát érti.

XXIX.

Parrhisi Ferenc Péternek Verancsics Antal.

Antonius Verancius Petro Francisco Parrhisio suo S.

Proxime quum Belgradi essem, dedi ad te litteras cuidam nobili viro, Josepho nomine, qui se dicebat in patriam profecturum. Iis litteris quoniam latius refricavi inter nos mutuam nostri memoriam, non est quod his plura scribam, intentus alioqui etiam itineri, cujus vel horam praeter nocturnas non intermitto. Ignosces itaque, et me vel spiritu tuo tecum amplectere, quum ipse meo te etiam exosculer, quoties in mentem venis. Venis autem quam saepissime, hoc praesertim itinere, in quo dum passim in homines Ragusinos incido, nequeo quin tecum et somnos et vigilias exigam. Verum quoniam avocor ab auriga, qui jam junxit meos jugales et insedit, finire epistolam cogor. Rogo itaque te, ut has inclusas ad patrem meum charissimum quamprimum mittere cures, in quo facturus es mihi rem pergratam. Vale. Duodecima Augusti, 1553. Zophiae apud Tracas. 1553. augustus 12.

XXX.

Ferdinánd királynak Verancsics és Zay.

Prima actio Constantinopoli. *)

Serenissima ac sacratissima regia majestas, domine nobis clementissime.

Ubi primum Buda discessimus, ursimus iter omni 1553. september elején.

*) A felirás Faustus kezétől, de ki az 1555-diki évet hibásan veti utána, mert a jelentés 1553. september elején kelt. Etsi nos omnia — irák sept. 9. én Verancsics és Zay a királynak — quae hactenus egimus apud principem, sufficienter putemus in adjuncto actionis libello ad majestatem vestram perscripsisse etc.

sedulitate et studio, nullibi vel una die quieti tradita, et tandem Dei beneficio sine ulla vel salutis nostrae omnium offensionc, vel rerum majestatis vestrae ac nostrarum damno accepto, 25. Augusti venimus Constantinopolim, quod iter alii soliti sunt 35. diebus perficere, ibique sumus excepti per plures chyawsos, agas et duos dragomannos summi principis, qui nobis obviam missi fuerant.

Et quoniam inde jam a cognito adventu nostro solos nos imperator expectaverat, quod compertissimum est, nolens prius in Casulem passam proficisci, quam certus esset, an cum majestate vestra pacem sit habiturus, adhuc ea ipsa die, qua appuleramus, passa Hruztanus audire nos cupiebat. Verum obtenta illa die respirationi, excutiendisque pulveribus et expediendis mureribus, insequens dies data est audientiae.

Et hoc interim, quia dominus Joannes Maria*) domi se continebat propter suam modestiam, nec eo potiri sine consensu passae poteramus, apud eundem dominum passam diligenter institimus, ut eum nobis concederet, quandoquidem ipse quoque esset collega noster ex mandato regiae majestatis, prout etiam litterae nostrae credentiae declarant. Impetravimus, moxque ad nos advocato, eique instructione nostra ac voluntate vestrae majestatis demonstrata, consultavimus insimul, ejus primum omnium petito consilio, quonam pacto esset nobis constituenda legationis nostrae actio.

Nec in his diu morati, quia tempus consultandi breve erat ob celerem imperatoris discessum, cui vigesimus octavus dies erat designatus, ostendit omnia

*) Malvezzi.

ardua, immo etiam damnosa futura, si vel totum regnum vel partes illas, anno superiore ademptas petissemus, praesertim vero Transsylvaniam. Et hoc, quoniam dudum eorum animos cognoverat, unde et in itinere admoniti sumus per plures, passa, ni fallimur, procurante, ut Transsylvaniam non peteremus, si quid pacis vellemus obtinere. Et quum jam Constantinopoli essemus, in hospitio quoque per dragomannum imperatoris, Ibraimum, nunciavit nobis, et serio dicere jussit, quod si vel verbo unico mentionem de petitione Transsylvaniae faciemus, inducias non obtinebimus, et imperator omnino facta pace cum passa Casule in Hungariam convertetur. Nec enim levis putanda est causa, qua ipse imperator tantam moram commiserit in expectandis vestrae majestatis oratoribus.

Ad quam rem confirmandam illud quoque edocti sumus, et quidem prius per dominum Joannem Mariam, quam ab aliis, quod passae Hruztani omnino ea fuerit voluntas et consilium, ut cum passa Casule foedus iniretur et in Hungariam bellum promoveretur, quodque facile id ab imperatore obtinere potuisset, quum ad hanc sententiam uxoris etiam ac filiae obsecrationibus traheretur, nisi et gravem et foedam injuriam sibi illatam putaret, quam a Casule passa accepit, ferroque suo vindicandam firmissima constitutione decrevisset. Et de his latius coram loquetur dominus Joannes Maria, quem nos fidelissimum esse majestatis vestrae non dubitamus, quandoquidem quae nobis ille de his referebat, ab aliis etiam dicebantur et nunciabantur.

Morati circa haec tota illa die et nocte insequenti, dum quilibet nostrum secum captat salubre

consilium, quidnam agere et quo pacto pacem petere deberemus, quum ab instructionis prima et secunda et tertia et quarta parte discedere non licebat: tandem, posteaquam in tanto rerum discrimine et metu, ne petendo regnum totum aut partes ademptas, vel etiam pro Transsylvania constantius laborando, cujus petitio jam interdicta erat, causam dedissemus belli hujus a Casule in Hungariam transferendi, quod omnino futurum fuerat, quantum postea etiam, quum jam rem tractare incepimus, manifeste cognovimus, facillime judicantes, quod, si Transsylvania nobis ante petitionem negaretur, prohiberemurque etiam a petitione illius, quaenam de majoribus obtinendis sperare possemus. Innixi tum penultimo articulo nostrae instructionis, attemperavimus nos, prout melius et fidelius potuimus, ne et vacui omnino rediremus, et periculum jam alio intentum et directum in nos converteremus, posita in Deum reliqua nostri cura, qui fortasse, quod non est dubitandum, melius brevi vult consulere rebus vestrae majestatis per has breves inducias, quam si perpetuam pacem obtinuissemus. Quae pax certe, quantum jam nos quoque perspicimus, nemini christianorum principum, qui jam cum hac gente dimicarunt, firma et sincera precario concedetur, praesertim vero majestati vestrae, cujus vel minimos motus maximam laesionem putant. Adeo potens est veterum odiorum recordatio.

At inito consilio, ut eam pacem postulemus, quae est nobis in instructione ultimo loco asscripta, modum etiam petendi alium instituimus, quo magis insinuaremus animum vestrae majestatis tam erga hunc principem quam erga dominum passam, et interim perductis ambobus, quantum potuimus ad be-

nevolontiam vestrae majestatis, faceremus nihilominus obiter mentionem etiam aliarum partium legationis, vel tentandi gratia, quid respondere vellent.

Et is modus talis fuit, ut ostenderemus, majestatem vestram semper ab initio, quo coepit cum imperatore amicitiam colere, prout est initio instructionis nostrae, constanti animo et voluntate fuisse erga ejus majestatem, et nunc esse, cupereque amicitiam secum non renovare solum, sed et majorem et firmiorem facere. Et quia majestas vestra singulariter confidit in imperatoris potentissimi amicitia ac in patrocinio passae, eam pacem vestrae majestatis nomine petimus, quam et imperator ipse vult concedere, arbitrio suo tota ejus ratione permissa, et ut consulat ipse passa, quamnam petere debeamus, ex quo majestas vestra tantum sibi haberet de benevolentia ipsius erga se persuasum, ut nihil prorsus esset in suis maximis etiam rebus, qaod ejus fidei committere non auderet. Dignaretur vestrae majestati pro hac sua in illum fiducia, et consilio in hoc et auxilio adesse. Haec fuit statuta summa petitionis pacis, quam postea inter loquendum variis rationibus et argumentis adauximus, quemadmodum oretenus referet dominus Joannes Maria.

His igitur omnibus hunc in modum constitutis die 26. postmeridiem deducti sumus ad Hruztanum passam, ab eoque privatim et sine publica aulae suae pompa, honeste tamen excepti, assidere etiam ac dicere, nemine arbitro, jussi sumus. Functi tunc salutationis officio, litteras quoque credentiae et munera cum Hamzabego, composita oratione exhibuimus. Quae omnia grato animo audita et accepta, vestrae

majestati tam pro salutatione, quam pro munere et Hamzabego gratias egit.

Post, vix initio orationis attente audito, mox silentium nobis porrecta manu indixit, aitque, ut de Transsylvania nihil loqueremur, si vellemus pacem. Et si omnino eam petendi haberemus in mandatis, ne de reliqua quoque legatione quicquam loqueremur. Frustra enim nos venisse et neque venire debuisse; statutum omnino et juratum esse ab imperatore, ut Transsylvania filio Joannis cederet. Et nisi rex in hoc imperatori complacebit, nullam secum amicitiam, nullam pacem habiturum. Indignum insuper fuisse pupillum a patre sibi commendatum, et dudum in tutelam traditum, tanta injuria de sua patria pulsum, immo et provinciam usurpatam, quae imperatoris sui foret.

Offudit nobis tunc veluti tenebras hac interpellatione tam dura. Verum composito et vultu et sermone ad modestiam, diximus, nos nihil commissuros, quo potentissimus imperator et sua dominatio magnifica offendi possit; non posse alioqui ea silentio praeterire, quae dicenda in mandatis haberemus, quum oratores instrumenta sint, quibus absentes principes mutuo de suis rebus colloquuntur. Caeterum si omnino non vult ejus dominatio magnifica petere nos Transsylvaniam, saltem loqui ea (quod rogamus) ne prohibeat, ex quibus clarius informabitur, quonam se pacto habeant res ejusmodi, quam ab iis informatus, qui falsis suis fictionibus regem nostrum criminantur, studentes poenitudinem sui delicti alieno incommodo reparare.

Non concessit, tametsi saepius pro tunc ad idem redire studuimus, quod ejus sermone provocabamur.

Verum nos vix os aperire sinebat, identidem respondendo: dudum se nobis praedixisse, ne de Transsylvanis loqueremur. Tunc mutuo inter nos eodem loci pauca collocuti, quid agere deberemus; et quia loqui etiam de Transsylvania prohiberemur, quid de tota Hungaria sperare deberemus, invicem quaerebamus; quumque et breve tempus ad differendum tractatum, vestigando et opperiendo meliora momenta, esset, ad rem venire cogebamur, quia postero die imperator erat abiturus, passaeque etiam in procinctu erant, et Hruztanus quoque moram non ferebat, videbaturque mox in indignationem erupturus, quum diceret, imperatorem suum paratum habere exercitum, adesseque illi etiam oratorcs passae Casuli, qui pacem postularent, eumque omnino in Hungariam arma proferre voluisse, nisi ipse illum ab hac sententia dimovisset. Esse igitur in manu regis vestri et bellum et pacem: bellum, si puero Transsylvaniam non reddidisset; pacem, si reddidisset; idque pro his solum regni partibus, quas possideret. Nec de aliis loqueremur, quia Turcis ex lege esset, nihil cuiquam de hiis restituere, in quibus ipsi Deo sese inclinassent, et vota prophetae suo reddidissent.

Sic nos, prout jam inieramus consilium, orsi ab initio instructionis, diximus: Quod majestas vestra dudum inceperat magna et constanti deliberatione colere amicitiam cum magnitudine principis Turcarum, eaque causa quinquennalem etiam pacem proximam secum iniverat, quasi initium quoddam ejus pacis, quam postea majorem et diuturniorem erat petitura, quod ejus magnitudini clarius constaret, quam ut nunc opus esset pluribus verbis recensere.

Quare etsi ea pax ante debitum tempus per quos-

dam homines, qui semper ad id tempus, summa sedulitate unitatem ac concordiam inter potentissimum imperatorem et majestatem vestram perturbare studuerunt, fuerit interrupta, semper tamen majestas vestra perstitit in pristina voluntate erga ejus magnitudinem, uti et nunc persistit, nihil aliud cupiens, quam ejusmodi interruptam pacem non solum revocare sed etiam majorem et firmiorem facere, quo animus vestrae majestatis cum ejus magnitudine unitus esset, et subditi atque coloni utriusque partis per Hungariam jam tandem tot oppressionibus conquiescerent et respirarent.

Hisque de causis adjecimus, majestatem vestram fuisse sollicitam, ut ad magnitudinem ejus principis mitteret oratores, qui de hac pace renovanda agerent et concluderent. Et quia ad hunc tractatum opus fuit alicujus temporis induciis propter communium finium quietem et oratorum securitatem, qui mittendi erant ad ejus magnitudinis excelsam Portam, eas ipsas inducias postulaverat vestra majestas medio Aly passae; quas quod ejus magnitudo concessit et dominus passa impetraverat, diximus majestatem vestram gratias agere, eosque oratores, qui mittendi erant, misisse, et nos eos esse, et habere a majestate vestra totam et plenam authoritatem tractandi et componendi cum ejus magnitudine memoratam pacem his conditionibus, quae majestatis vestrae honori nihil derogarent, magnitudini vero imperatoris et honesta et commoda fieret, quod ex litteris quoque credentiae esset sua magnitudo cognitura.

Plura etiam ex mandati instructione, quae huc facere visa sunt, elocuti sumus, quod attentius passa coeperat nos audire, donec diximus, majestatem ve-

stram a potentissimo imperatore pacem et amicitiam postularc. Ubi passa, ulteriore narratione non expectata, prout est etiam ille alieni sermonis, quum longius procedit impatientior, interrupit nos et dixit: principem suum omnino pacem majestati vestrae concessurum, et oblivioni traditurum omnes odiorum caussas elapsi temporis, dummodo Transsylvaniam et ea, quae hactenus acquisivit, non petat; in reliquis pacem, quamcunque petieritis, daturum.

Ibi nos difficile respondimus esse, prohiberi oratores, ne hoc vel illud aut peterent aut loquerentur, quum de honore et capite agitur oratorum, si ea sic non egerint apud principes, ad quos mittuntur, ut habuere in mandatis. Igitur rogare nos, pateretur dominus passa de omnibus dicere, et ea postea facere, quae et ejus illustrissimae dominationi et magnitudini imperatoris visa forent.

Non permisit, quum diceret saepius, frustra nos locuturos, et scire tam se quam principem suum, quaenam essemus locuturi. Caeterum deliberasse caesarem etiam juramento, nolle Transsylvaniam esse alterius, quam Pueri. Et si etiam Puer non esset, pro magna tamen injuria principem suum ducere, eam provinciam, quam ipse suo gladio jam ab anno tricesimo obtinuit, tali modo sibi esse ereptam, nec posse animo conquiescere, donec in aliena erit potestate.

Ubi quum nos dixissemus, majestatem vestram nec vi nec dolo, nec in praejudicium imperatoris sui eam intercepisse, sed ultro traditam recepisse, (toto hic rei progressu paucis exposito, ed data omni opera, ut quae rogando eloqui non poteramus, obiter et quasi aliud agentes eloqueremur,) nec in recipienda Trans-

sylvania majestatem vestram principi ejus peccasse, aut Joannis filium laesisse, eamque culpam primum patris esse Pueri, deinde matris et demum eorum, quibus Pueri cura fuerat demandata. Ubi quum nonnihil passam obticuisse vidimus, totum tractatum de pace inter Joannem et Majestatem vestram facta, et de capitulationibus ejus transactis, in quibus privarat successione filium, et quo pacto regina Budam vestrae majestati tradere voluerit, quod expresse erat contra imperatorem invictissimum, quo etiam modo coronam illi ex Transsylvania miserit, seque una cum filio in fidem et protectionem ejus tradiderit, juraritque, in posterum nihil de Transsylvaniae repititione agressuram, et molituram aliquando filium, dummodo et sibi et filio suo ea darentur, quae cum patre fuerant transacta. Nec dubitaret passa, ea omnia majestatem vestram magna effusa pecunia plenarie perfecisse, facto contento etiam Petro Petrowith, uti desideravit ipsemet.

Hic subjunximus de falsis accusationibus, quas paulo ante intellexeramus litteris Petrowith in majestatem vestram fuisse contortas, et quorumdam aliorum: quod scilicet curasset majestas vestra ultra Transsylvaniae interceptionem ipsos etiam intercipiendos et malehabendos, — ne passa ejusmodi criminationibus credere vellet, falsas et confictas esse, ac imperatori potentissimo verba dari per eos, qui eum prodiderant, atque eidem ingrati fuerant, nec habentes aliam rationem errorem suum restaurandi et delictum diluendi, omnem culpam majestati vestrae impingere.

Placuit de hiis data occasione coram passa pluribus disserere, ut in invidiam adduceremus molestum

et majestati vestrae et Christianitati genus. Verum haec et alia omnia nihili ducta a passa, tanquam omnes rationes et omnem aequitatem de industria non admittere in causa Pueri decrevissent. Scit haec omnia, inquit, imperator, verum postquam semel provinciam illam ei dedit, et ad pietatem suam denuo rediit, nullo pacto eum potest destituere.

Caeterum sciens, inquit, rex vester, Transsylvaniam et Hungariam imperatoris esse, primum a debellato rege Ludovico, deinde a Buda occupata, cur, quando coepta est dari illi ipsa Transsylvania vel per errorem vel per improbitatem, quum sit prudens et sapiens, et studet amicitiae imperatoris, potentissimum ac invictissimum appellat, vires ejus non timuit? et priusquam Transsylvaniam in manus suas recipit, cur non nunciavit nostro imperatori, quod Tıanssylvaniam illi dare contenderent, petiitque consilium, an eam recipere debeat? vel postquam recepit, cur subito non misit ad potentissimum imperatorem tributum solitum, tam pro Hungaria quam pro Transsylvania, rogavitque ipsum imperatorem, ut eum confirmare in Transsylvania et in sua amicitia velit? Nam tunc erat opportunum tempus Transsylvaniam petendi, quum recens erat imperatoris odium in reginam, in Heremitam, in Petrowith et in Transsylvanos, non nnnc, quando ipsum imperatorem et immatura aetas ac innocentia Puero conciliat, et reliquorum erroris agnitio atque confessio, in ipsumque imperatorem summa atque ultima totius iilius provinciae fiducia. Nec dubium est, quin fortasse rex vester magnam tunc gratiam invenisset apud imperatorem, quae nunc ei nullo pacto concedi potest. Immo, quod magis est, nec ego tanti sum, ut jam de hoc ipse im-

peratori audeam loqui, in quantum vitam habeam charam.

Haec propositio passae, quae videbatur nonnihil in se habere rationis, si modo majestas vestra fuisset Turcae subdita, quod Deus avertat, sed quia non est, nec id concedant Superi, difficultatem responsionis nobis movit non exiguam; omnia tamen reducendo ad fiduciam, quam majestas vestra habet in imperatore et in benevolentia passae, respondimus:

Servos et abjectos homines omnia metu agere; amicos et liberos amore et fiducia. Ideo quum vidisset rex noster ultro tradi sibi Transsylvaniam, et assiduis nunciis, litterisque urgeri et-sollicitari, ut eam accipere non differret, quod saepe mora consuevit nocere rebus paratis, ex eo, quod et potentissimus imperator longe esset, et ii, a quibus tradebatur Transsylvania, facile videbantur pejus de ea provincia facturi, nisi rex noster statim de ea accipienda consensisset: factum est, ut oblationem non respuerit, habens firmam semper in imperatore fiduciam, quod tanta in se indignatione ob id non commoveretur, cognitaque prosteritatis Joannis ingratitudine, eandem provinciam in manu ejus reliquisset, ubi pro ea solitum munus quotannis pendisset; eaque causa non omisit pluribus statim litteris imperatori significare, quomodo et qua causa Transsylvaniam in potestatem suam accepisset, quodque imperatoris amicitiam diuturniorem expeteret, velletque ea omnia munera pro illius possessione quotannis solvere, quae regina persolvebat. Verum nullo ad has litteras responso habito, et interim moto hinc Budensi passa cum exercitu in ejus majestatis fines, illhinc Kaszumbego et post aliis atque aliis ducibus cum copiis imperatoris, omnis de

oratoribus mittendis facultas atque fiducia ejus majestati adempta est, et ad tutandos fines suos cura injecta, non sine magno ejus majestatis dolore, quod tam cito turbatoribus pacis hujus potentissimus imperator, immo etiam ipse dominus passa locum dederit, eorumque delationibus aurem praebuerit. Alioqui si serenissimus rex noster vel nutu unico de animo magnitudinis suae erga se fuisset praemonitus, credat et magnitudo ejus, et tu illustrissime domine passa, quod rex noster non obaudisset, neque ulla ex parte neglexisset potentissimi imperatoris erga se tam praeclaram voluntatem, quod vel ex praesenti legatione potest plane ejus magnitudo intelligere.

Nobis passa ad haec parum pro voto, ut antea, respondit, saepius replicans: quomodo id committere sapientissimus rex potuerit contra imperatorem potentissimum; numque habuerit fidos et prudentes consiliarios penes se, qui ab hoc facto non dimovissent vestram majestatem? Caeterum ut, inquit, concludam, omnem occasionem et petendi et potiundi Transsylvania rex vester amisit, vosque frustra in hoc laboratis, ego etiam sine periculo loqui imperatori jam non possum.

Et in his collocutionibus hora jam ferme exierat, apparebatque optare passam, ut jam cessaremus. Tunc nos mutuo invicem contuiti, nutuque et in aurem questi de obstinatione passae, venimus ad rem; veniaque primum postulata, si fuissemus molesti tam multa disserendo, immo etiam gratiis nomine vestrae majestatis actis, quod tam benigne nobiscum fuisset collocutus, diximus tandem:

Postquam nihil, illustrissime domine passa, impetramus de his, propter quae non temporanea sed

perpetua pax inter potentissimum imperatorem et regem nostrum poterat et debebat coalescere, rex utique noster serenissimus pacem petit a magnitudine imperatoris, eamque talem, qualem ipsius magnitudo concesserit, modo honestam et tolerabilem. Tantum enim ejus majestas fidit magnitudini ejus, tamque sincere amicitiam et bonam cum eadem magnitudine concordiam habere desiderat, ut hujus pacis petitionem in illius arbitrio commiserit ad confusionem multorum, qui secus de illius voluntate erga magnitudinem suam persuadere conantur.

Simili modo serenissimus rex noster post imperatorem potentissimum ad vestrae illustrissimae dominationis recurrit benevolentiam. Quapropter quoniam majestas regia ea omnia recenti tenet memoria, quae plures oratores ac nuncii sui, quos antehac in excelsa suae magnitudinis Porta habuit, ejus majestati retulerunt de egregio et valde propenso animo ac voluntate sua ad promovendum et procurandum, ut quies et pax et amicitia inter ejus majestatem et potentissimum imperatorem, ac inter utriusque principis regna, dominia, populos et subditos vero et firmiter constitueretur. Non ignorare praeterea, quod quinquennalis quoque pax illa proxima ad ipsius potissimum persuasionem et sollicitudinem serenissimae suae majestati a magnitudine domini sui fuerit concessa, quo pro officio et amore serenissimus rex noster pollicetur ex se vestrae illustrissimae dominationi omnem condecentem gratitudinem, respectumque tam honoris quam commodi sui se habiturum offert diligenter.

Unde petitura ejus majestas in hunc modum a potentissimo imperatore pacem, jussit nos in hoc et

consilio et auxilio vestrae illustrissimae dominationis uti, immo etiam illud expresse nobis demandavit: ut si quo casu, potentissimus imperator et reliqui domini passae in concedenda ejus majestati hac pace, aliisque quibuscunque in rebus ejus majestati adversarentur, ad vestram illustrissimam dominationem, ut ad ejus singularem, confidentissimumque fautorem, et ad eum amicum, quem sibi faventissimum esse et futurum etiam in posterum non dubitat, accurreremus; quare ut nos diligenter edoceat ejus illustrissima dominatio, quomodoque nos gerere debeamus, reverenter rogamus.

Passa laetiore vultu ad haec demonstrato, quod tantum ei majestatem vestram tribuere ostendimus, ut ejus consilio in petitione hujus pacis uti velit, nulla regni parte nominata, nec Transsylvania, quam solam nos petituros sibi firmiter persuaserat, paucis ad haec respondit.

Bene sibi majestatem vestram consuluisse, quod hoc et potentissimi imperatoris arbitrio et suo consilio permiserit. Se illi semper fuisse amicum et fautorem, et nunc etiam esse velle, nec melius pro nunc eidem posse de hac pace consulere, quam ipsa sibi consuluerit. Imperatorem omnibus elapsi temporis odiorum, inimicitiarum et indignationis causis sepositis et oblivioni traditis, pacem vestrae majestati jam concedere, ac veterem renovare, dummodo de Transsylvania nihil loquatur, neque de aliis, quae in Hungaria obtinuit. Alia vero omnia facturum et concessurum, quae desiderat, quo secure et pacifice in ea regni parte permaneat, quam in potestate habet. Et sensuram majestatem vestram in posterum magnos fructus ex amicitia imperatoris, si hanc pacem cura-

bit firmiter observandam per suos, ejusque magnitudini in dimittenda Transsylvania gratificabitur.

Nos ad haec quoque non omnino cessavimus, quo omnem lapidem tentaremus et quidem hoc congressu, quia tempus non habebamus, et quia sola ipsi Transsylvania offendebantur. Quare omissis caeteris Transsylvaniam urgebamus in omnem eventum, coepimusque munificentiam vestrae majestatis pollicitari tam imperatori quam ipsi passae. Cujus parva ratione habita, jussit nobis responderi, imperatorem suum nihil pro pecunia agere, sed pro gloria et fama, et sibi pro infamia magna ducere, sic se ex Transsylvania esse exclusum. Caeterum si rex vester pro minimo lapide terrae transsylvanae quicquid auri et argenti in aliis suis regnis habet, dare vellet, dimovere ipsum imperatorem suum ab sententia non posset. Se vero tantum habere post suum dominum, ut quotidie sub cervicali centum millia ducatorum reperiret.

Cum his hinc dimissi, a passa ad Ahmat passam, qui proximo anno venerat in Hungariam, profecti sumus, cui oblato munere, ea etiam poregimus, quae eramus jussi. Nec reliquos illa die adire potuimus, quod nox ingruerat.

Die insequenti, quae fuit 27. deducti sumus ad divanum, ut illic ab omnibus passis audiremur et imperatorem adiremus, factumque est divanum extraordinarium in nostram gratiam. Ubi a Hruztan passa, de omnibus, quae privatim secum collocuti fueramus, et ad rem pertinebant, summa diligentia et ordine interrogati, eadem omnia, quae prius, respondimus, nisi quod accuratius eo nos deducebat, ut rem Transsylvaniae praecideremus, quum saepius nobis propponeret, plenam nos habere authoritatem de pace tran-

sigenda et constituenda, et mirum esse, si id faciendi facultas nobis data non fuisset, praesertim quod nos majestas sua consiliarios suos in litteris ascripsisset.

Cui difficultati cum nos eripere aliter nequiremus, quia responsa et proposita nostra omnia eo tendebant, ut gratiora de Transsylvania obtineremus, diximus: verum esse, quod majestatis vestrae consiliarii essemus, non tamen alia scire, quam quae nobiscum dignatur communicare, nec habere facultatem ad ea omnia subscribenda, quae hic peteremur, sed ad ea tantum, quae detrimentosa vestrae majestati non forent. Caeterum majestatem vestram tam parvam fiduciam in potentissimo imperatore et in benevolentia ipsius domini possae non habuisse, ut dubitarit, quando nos dimittebat, Transsylvaniam sibi negatum iri; immo etiam non solum non credidit, sed ne cogitavit quidem, quod pro Transsylvania ipsa tantum instabit potentissimus imperator. Adeo constanter, vere, et firmiter, et sincere in ejus magnitudinis amicitiam et benevolentiam sese detulisset. Qua ex re nec nobis commisit quicquam aliud de Transsylvania statuere, quam quod jam saepius retulimus; et si quid in utramque partem in secretiore mandato haberemus; certe post tot prohibitiones et aperta edicta, ne de ea provincia loquereremur, declarationesque, quod majestati regis nostri negatur, dudum jam prolocuti fuissemus, finemque de Transsylvania faceremus. Sed quoniam hoc in mandatis non habemus: etiam si capitibus nostris cadendum erit, huic voluntati potentissimi imperatoris subscribere non possumus, agentes ingentes gratias ejus magnitudini et ipsi domino passae pro ea concessa pace,

quam eo etiam gratiorem fore majestati vestrae putaremus, quod ultronea et pro consilio domini passae concessa fuerit. —

[Non omittemus praeterea quaedam obiter etiam in divano dicta, quibus interdum hominum amicorum et non amicorum (animi) clarius sese pandunt; os enim saepenumero ex abundantia cordis loquitur. Igitur quum inter loquendum Verancius loqueretur ad interpretem, quod passae responderi debebat, conversus passa ad Zay: Tu, inquit, scisne croatice? Scio, respondit. Et is collega tuus? Respondit: Ipse quoque. Tum cujas et ipse et Verancius esset, quaesivit; respondissetque Hungarum se, Verancium vero Dalmatam esse, miratusque quod tam bene ea lingua loqueretur Zay, mox subjunxit, bis iterando: Rex vester non habet fidem, rex vester non habet fidem; et obticuit. Tum Zay: Rex noster, inquit, domine passa, habet fidem, mirorque, quod dominatio vestra illustrissima potest hoc de rege nostro credere, quum in minimi etiam regis verbo non cadit mendacium, quanto magis cum rege nostro non cadit, qui est in Christianitate maximus; rogari passam, ne id de majestate vestra velit credere. Tum passa: Cur ergo inducias non servavit? Respondit: quod rex eas servavit inducias, nec violatae sunt aut ruptae sua voluntate, sed eorum malitia, qui nunquam volunt, ut potentissimus imperator cum rege meo concordiam habeat. Et passa: Credis tu hoc? Non solum credo, respondit, sed etiam plane scio. Simulque vultu in doloris et displicentiae significationem remisso, quod ejusmodi de principe suo patienter cogeretur audire, passa quoque de alio coepit loqui. Sed et Verancius itidem, quum eum croatice ob quaedam severius dicta

lenire vellet, dixit: Nescire*). Verum haec obiter; toleratumque est propter locum et tempus.] —

Fuere plura alia inter nos tunc temporis tractata verbosius; verum quoniam sola Transsylvania pungebantur, nec de ejus cessione certum verbum a nobis obtinere potuerunt, passae una omnes quatuor ad imperatorem nos deduxere, a quo quam benigne accepti fuimus, referet coram dominus Joannes Maria. Verum quantum nobis ipsi retulerunt Turcae, longe benignius gessit sese nobiscum, quam ab aliquot multis annis cum ullius principis oratoribus fecerit, quater de re nostra locutus, passusque ter et quater nostra responsa et orationem longiorem, quam pro solito. Id nos judicare non potuissemus, quia omnino parum videbatur solitus cum christianis regibus largius colloqui; at edocti ab hac gente et a domino Joanne Maria, cumulate etiam dicitur gratiam suam declarasse, quum initio quaesisset passam: an esset aliqua ratio, qua pax haec concedi posset? Prout haec et reliqua relaturus est vestrae serenissimae majestati commodius dominus Joannes Maria.

Absoluti a conspectu imperatoris, iterum in divanum jussi sumus assidere, ibique varie denuo et multipliciter de his ferme omnibus, de quibus prius, ac etiam de eis, quae in instructione non habueramus, perquisiti, ubi suspicione non caruimus, quod quaererent nos in verbo aliquo capere, et ut de hac benedicta Transsylvania aliquid certius responderemus, quia quum exissemus ab imperatore, dixerat passa ad quendam: ut reduceremur, quandoquidem esset thaumassam quamdam facturus, quod significat mi-

*) Olvashatlan szó. Az egész szakasz Verancsics kezével, mintegy fogalmazás nélkül, papirosra vetve.

rum et notabile quiddam. Et haec nobis interpres retulit. Verum postquam ad omnia et singula vidit nos passa ea respondere, quibus nec ipsi offendebantur, nec recedebamus a proposito: Nu, inquit, sciendum est vobis, quod potentissimus imperator cum serenissimo rege vestro hodierna die, omissis et oblitis omnibus illis, ut supra, inquit, dixeramus, odiis et inimicitiarum causis, pacem renovavit eo modo et illis conditionibus, quibus proxime elapsa facta fuerat, promittendo ejus majestatem in tota ea parte regni Hungariae, quam possidet, pacifice tenere et possidere, et vult eandem pacem firmiter et inconcusse servare, si modo ipse rex vester nomine ipsius imperatoris potentissimi cessurus est Joannis filio Transsylvaniam. Caeterum, quoniam vos de ipsa Transsylvania hic definire et statuere mandatum non habuistis, vult potentissimus imperator, ut unus vestrum pro hac resolutione vadat quamprimum ad suam regiam majestatem, et is, qui cum hac commissione proficisci debebit, volumus, ut sit Joannes Maria, qui hactenus multa et passus est pro sua majestate, et eidem bene et fideliter tam diu inservivit, vel nobis testibus. Vos autem alii duo hic interim expectabitis. Caeterum scribite et consulite regi vestro, ut in hoc velit potentissimo imperatori complacere, si cogitat etiam in posterum potius amicitia ejus quam inimicitia uti, horteminique insuper, ut Joannem Mariam huc remittat cum sua de hoc relatione, et jubeat eum ulterius hic apud nos legatione fungi, qui alium habere oratorem nolumus. Vos autem pacifice et honeste remittemini.

Fuit et de perpetua pace sermo, ad quam et filii et posteri omnes utriusque principis obligari deberent, et hoc in hunc modum. Nam quum inducias sex annorum

pro instructionis nostrae mandato petere debuimus, si tantummodo Lyppam, Solymos, Zolnok etc. majestati vestrae concessissent; aliquot vero annorum, si nihil, prout in sequenti articulo instructionis continetur: viso et cognito, quod omnino nihil de locis jam occupatis volunt majestati vestrae concedere, et passa ultro ex se obtulit elapsae pacis sive induciarum renovationem, nos de industria annos quinque non excessimus, et diximus statim, contentam fore majestatem vestram pace hac annorum quinque, idque eo potissimum, quod in reditu Joannis Mariae poterit et diminui et augeri, si majestati vestrae placuerit. Sic enim per passam promissum est. Verum quum de hoc termino sermo esset, quaesivit passa: et cur potius ad mortem usque alterius principis dictam pacem non peteremus? Suspicari quiddam videbatur, quod scilicet respirationem quaereremus, donec novum bellum instauraretur, quia subridendo etiam loquebatur. Verum aliter nos respondimus, quam fortasse ipse sperabat: Quod majestas vestra eam pacem petiisset, quam imperator concessisset; et quia jam veterem renovandam promisit, nos quoque pro diuturniore non laborare, et posse eam semper prorogari, ubi partibus placuisset. Alioqui, domine passa, sciat tua illustrissima dominatio, quod nos perpetuam pacem petere et dare veneramus, nec id pro solis principibus vestro et nostro, sed etiam pro liberis et tota eorum posteritate, si quid a vobis impetrari licuisset eorum, quae jam armis in potestatem vestram subdidistis. Sic nempe magna pax et magnae amicitiae conflantur et solidantur, fueratque futurum imperatori vestro et ad famam gloriosum et ad commodum utile, quia ultra munera honoraria, quae rex noster amplissima erat

quotannis imperatori potentissimo exhibiturus, multae certe etiam aliae et magnae amicitiae secum ad ejus magnitudinem accedebant.

Risit, nec aliud respondit, quam quod vanum esset de filiorum et posterorum dominatione statuere. Quís enim de futuris principatibus posset certi aliquid statuere, praesertim in imperio nostro? Ea autem reddere ultro, quae jam gladio acquisivimus, et ubi templa nostra ereximus, ac oravimus, et Deum ac prophetam nostrum invocavimus, non consuevimus, quum alioqui etiam legibus et libris nostris prohibemur. Verum si pax imperatoris nostri placet, et vultis eam firmiter observare, ad mortem usque eam concedemus.

Nos ultra responsionibus usi non multis, quia in vanum loquebamur, hoc spatium induciarum visum est esse amplectendum, postquam sic facile et ultro oblatum est, tanquam quod jam majestas divina citius vellet Christianorum rebus succurrere, quam homines putarent, aut etiam meliore via, quam si se semel majestas vestra tam longo foedere cum gente illigasset, quae nullos Christianos sincere amat, et nequit aliter dominari et vitam traducere, quam nisi habeat in quos rapinas exerceat, et a quibus captivos petat.

Verum hoc sermone, clementissime rex, non excusamus nos, quod aut nescivimus rem majestatis vestrae gerere et aliquid majus impetrare (licet satis imbecillitatis nostrae conscii sumus), aut quod neglexerimus opportunas rationes in agendo tentare; humillime tamen dicimus: quod tanta diligentia et conatu et contentione et fide gessimus omnia, quae geri nobis concessa sunt, ut desiderari nihil possit, quemad-

modum dominum Joannem Mariam collegam nostrum narraturum et fidem facturum non dubitamus, relationi ejus, quam oretenus vestrae majestati de multis etiam aliis facturus est, remittentes, quum singula complecti scripto, longum esset. — Et tanta deliberatione incubuisse in eo imperatorem, dixit passa, quo Puer Transsylvania non privetur, ut si non humana sed divina verba, idque divino ore non humano loqueremur, prorsus nihil essemus impetraturi aliud, praeterquam simplicem hanc induciarum pacem. Sic a divano dimissi.

Inde reliquos duos passas, Ibraymum et Haydarum accessimus, quemlibet domi suae, eisque ut aliis, oblato munere et porrectis litteris, negotia vestrae majesiatis diligenter commendavimus, nobiscumque humanissime omnes tres*) colloquuti sunt, et obtulere sese favori vestrae majestatis. Sed quantum intellectura est a domino Joanne Maria, ita parum ipsi prodesse possunt, ut praeter parum nihil. Unus ille traxit ad se omnia, et imperatorem gerit, ac veremur plurimum, ne sit alibi totus, apud vero majestatem vestram vix parte sui minima. Et de hoc quoque plura dominus Maria, nosque illud, quantum pro nostro captu possumus, plane prospicimus, frustra ab hoc principe, firmis ejus rebus et fortuna stante, peti vel minimum locum jam subjugatum; nec aliter haberi poterit, quod petitur, nisi armis, aut si aliunde debilitabitur, aut aliquando divinitus praeter omnem expectationem porrigetur occasio. Quod supplicamus humillime et reverenter dictum accipere dignetur, quia insolentiores nunquam fuisse existi-

*) Értsd: Ibrahimon és Hajderen kivül Amhád is, kivel, mint felebb láttuk, már azelőtti nap szólottak volt.

mamus; ejusque rei dominus Joannes Maria faciat fidem.

His peractis, 28. imperator trajecit in Asiam Chalcedonem sive Scutarum, locum Constantinopoli oppositum; dieque insequenti, 29. scilicet, pro reliqua expeditione, quae restabat, vocati sumus ad passam, quum antea promisissemus, scripto nos porrecturos conditiones, quibus praefata pax renovata constare deberet. Et licet ipsum scriptum adhuc die praecedenti per dragomannum passae miseramus, *) tamen nobiscum nos aliud exemplum detulimus, quo facilius de omnibus tractaremus, easque conditiones ex instructione, quam brevissime et commodissime potuimus, nihil omittentes, exemimus, et ad majestatem vestram quoque misimus paulo infrascriptas, **) ut eidem de omnibus nostris actionibus rationem reddere non negligeremus.

Et quoniam non solum non potuit quicquam amissorum locorum impetrari, verum ut ne de Zolnok qui-

*) Következő levél kiséretében, melyet Verancsics előbb irományai közé iktatott s aztán kitörlött, de melynek közlését jegyzékképen, helyén láttuk. Antonius Verancius et Franciscus Zay Hrustano passae primario S. Quoniam sunt quaedam res peculiariter considerandae, quae ad hanc nostram pacem perficiendam restant, eos tibi, passa amplissime, transscribere voluimus, ut de hiis quoque prius tractetur ac deliberetur, quam Joannes Maria Malvezius collega noster discedat. Id autem propterea facimus, ut si in his etiam rebus esset aliquid, quod regi nostro non concedi posset, per eundem Joannem Mariam majestati ejus nuncietur. Te itaque vehementer petimus et oramus, ut postquam plura alia non illi conceduntur, haec saltem non denegentur, quandoquidem et in priore pace haec fuere concessa, et in hac praesenti si etiam concedentur, nihil imperatori tuo decedet. Hoc autem patrocinium rex noster potissimum abs te expectat, ut ab eo, quem sibi amicissimum putat. Vale. Vigesimaoctava Augusti, 1553. Constantinopoli.

**) „Articuli pacis quinque annorum, quae inter magnitudinem imperatoris Turcarum, zulthani Zuliman ac Asiae Graeciae principis, et serenissimum Romanorum, Hungariae, Bohemiae regem Ferdinandum renovata“ cím alatt a cs. k. államlevéltárban. Hammer, III. 359.

dem disturbatione etiam loqueremur, nedum obtinere aliquid possemus, concessum est, quod diceret: transitum esse quendam Zolnok Turcis ad multa commoda tam in Hungariam quam in Transsylvaniam prospectantibus. Ideo solum Zechen, ut demoliretur, petiimus, propter viae, quae Agriam ducit, securitatem; de quo simili modo difficulter audiebat verba nostra, spes tamen non adempta, si pro voto de Transsylvania a majestate vestra respondebitur.

At apud passam in horto quodam Chalcedone constituti, novis ibi contentionibus excepti sumus, et fecere nobis magnum negotium colonorum atque aliorum subditorum status limitatio, Zechen destructio et muneris honorarii diminutio, et de Transsylvania actio, adeo, ut ad horam ferme unam et dimidiam, iterum atque iterum et semper de his fuerimus collocuti. Concessum tandem illud: ut quum de Transsylvania optatum responsum a majestate vestra relatum fuerit, quia et pax haec quinquennalis tunc constituetur et firmabitur, coloni qui hactenus utrobique census penderunt, etiam in posterum utrobique pendant; ut tamen pace constituta, delegentur commissarii, qui et de hac et de aliis partibus hujus articuli videant et transigant. Quamquam etiam postea, quum redierit dominus Joannes Maria, loquemur de his; redeat modo cum bono responso de Transsylvania. Nam ad ejus reditum et haec et de munere honorario et de Zechen et demum de omnibus aliis passa distulit, quod dixit, rem omnem hujus pacis ex remissione Transsylvaniae dependere.

Unum in hoc congressu adjecit passa: imperatorem promisisse, quod si Joannis filius moreretur, aut per avunculum regem Poloniae, vel alio quopiam

casu impediretur, ne in Transsylvaniam penetrare posset, quod nec turcam praefectum, nec turcica praesidia in Transsylvaniam est missurus, sed christianum. Et de hoc admonuit, ut firmiter crederemus. Nec tamen hanc principis hujus mentem rescire potuimus. Quare dignabitur majestas vestra altius rimari hujus rei consilium. Nos existimamus hoc fieri, aut Poloni aut Galli causa, aut alicujus transsylvani hominis ambitu, aut fortasse, ut injecta majestati vestrae spe aliqua longinqua et nullis nixa retinaculis inducant ad cessionem Transsylvaniae. Verum quid subsit propositioni ejusmodi, divinare difficile est. Curabimus tamen interim, ut expiscemur aliquid, tametsi etiam hactenus non sumus ausi multum loqui de hoc, ne aliquid dixissemus, quod Turca arripere in suum commodum potuisset. Expectanda itaque nobis sunt a majestate vestra omnia.

Multus fuit sermo et de munere honorario. Nullo nempe pacto ad summam decem et quinque millium florenorum volebat passa descendere, quantumvis valde diminutas fuisse ditiones vestrae majestatis proximo bello, diceremus, exaggeraremusque alias injunctas nobis rationes. Et demum quum ad decem et septem millium summam venissemus, promitteremusque etiam pro Transsylvania plura tam imperatoris magnitudini quam ipsi passae, si modo efficeret, ut majestas vestra non eam molestaret ex parte Transsylvaniae: Omnino, inquit, obliviscamini de Transsylvania. Caeterum de munere honorario et de rebus aliis, quas proposuistis, loquemur, quum redierit Joannes Maria. Verum quid majestas regia datura est mihi muneris pro hac concessa pace, quam si ego non impetrassem, quisnam impetrasset? et si forte

imperatoris munus velitis diminuere, meum diminui non debet. Haec joco dicere videbatur, quum rideret etiam, nihil tamen fingebat. Nos respondimus: majestatem vestram non ingratam esse solitam, et ejus post imperatorem praecipuam habiturum rationem dummodo etiam ejus majestas regia sentiat revera ejus illustrissimae dominationis patrocinium. Sic dato mandato scribis, ut ad majestatem vestram litteras scribant de concessione hujus pacis et de cessione Transsylvaniae, praeceptorias quoque dedit ad Budensem passam de prorogatione induciarum semestrium, donec omnino huic legationi finis adhibebitur, remanentibus nobis hic non tam libenter aut solatiorum gratia, quum hominibus sub custodia eaque strictissima constitutis quaenam pervenire possint, non videmus, quam ut rebus vestrae majestatis ac ejus regni non desimus, etiamsi mori oportebit; habita etiam ejus causae consideratione, ut melius serenissima vestra majestas de omnibus, non tam de praesentibus, quam de praeteritis, et de multis circumstantiis a domino Joanne Maria coram informetur, qui ita hic omnia et omnium quum mores tum etiam rerum ac negotiorum cursum et praxes perdidicit, ut optandum etiam fuerit, quod ultro passa de eo dimittendo expediverit. Esto certe quod et nos libenter rediissemus ex hac Lerna. Sed fiat voluntas Dei et vestrae serenissimae majestatis.

Incidit in hoc congressu etiam illa mentio, quum diceret passa, saepe majestatem vestram pacem ab imperatore Turcarum petiisse, nunquam tamen integre per nostrates fuisse servatam; et sicut semper nostra, ut ajebat, culpa fuerit violata, ita majora damna semper ab eis accepimus, quam intulimus; quod pro-

cul dubio divino judicio factum esse asseverabat, et ut a longo tempore causarum ejusmodi, inquiebat, recordemur: Nonne, primum quum nos pacem et amicitiam vobiscum facere volebamus, vos, dedita opera, uni oratori nostro nasum et aures praecidistis, et sic deturpatum in contemptum imperatoris nostri et nostrum omnium remisistis? quam injuriam quum nos vindicare vellemus, nonne pro uno homine afflicto et Belgradum amisistis et regem et regnum? Post, non servatis induciis quinquennalibus, quando Transsylvaniam et Themesvarum recepistis, nonne longe plura etiam tunc amisistis, quam lucrati sitis? restituente nobis Deo Maximo etiam arcem Beche, in qua nos dudum jam religionis nostrae ritus constitueramus, et pro qua recipienda tamdiu laboraveramus. Quas ob res, nisi etiam nunc rex vester potentiam imperatoris nostri non considerabit et ejus petitionem neglexerit, caveat ut longe plura amittat, quam hactenus amisit, et Viennam etiam occupemus.

Ad haec nos et paucis et modeste respondimus: Oratores regem nostrum non consuevisse membris mutilare, sed honeste tractare et dimittere, quorumcunque fuissent principum. Caeterum, etsi audivimus, aliquando casum hujus oratoris vestri, non tamen tempore regis nostri Ferdinandi factum est hoc, sed tempore Ludovici regis, quanquam ipso rege Ludovico et suo consilio prorsus inscio, et non per alios sed per quosdam viles et furiosos homines; semperque id regem nostrum improbasse. De petitione vero arcis Beche ad regem nostrum dicere nihil non pertinet, vix enim eam ad manus accepit, quum mox amiserit. Verum et in hoc regina Isabella cum Petro Petrowith accusanda est, quae nunquam eam arcem

restituere imperatori voluerit, mille practicas et commenta quaesivit, ut ea in re imperatori non gratificaretur; nec ob id vel sinistro aspectu molestatur, et insuper etiam donis et gratia afficitur. Regi nostro si id contumaciae opponi potuisset, nihil haberetur hostilius.

Quae objectiones, clementissime rex, quid ponderis habeant in se, et quo videantur tendere, vestrae majestatis consilii est. Nos tantum malum eorum animum erga majestatem vestram perspicimus et ostendimus.

Interrogavit etiam nos passa in divano: peteremusne pacem etiam nomine Caroli imperatoris (Spagnam ipsi appellant), num et ipse velit in hac pace includi? Respondimus, pacem nos petere solius serenissimi regis nostri nomine;*) nec ex parte caesareae majestatis habere ullum mandatum, quam quod si potentissimus imperator ostenderit se benevolum et liberalem in charissimum fratrem suum, serenissimum regem nostrum, non esse dubitandum, ejus etiam caesaream majestatem amicitiore cogitatione atque animo futuram erga imperatorem potentissimum. Et quia dum haec verba paucis absolvissemus, passa etiam alia coepit loqui, sic et nos de hoc conticuimus.

*) „M' a ce été grand plaisir d' entendre — irá 1553. július 8. án Brüsszelből Ferdinándnak Károly — que le Turc ait accordé suspension d' armes pour traiter la trève, ne faisant doute, que en cette négociation vous ferez tenir le respect requis pour solliciter, s' il est possible, que notre saint père le pape, le roi de Portugal, moi, mes royaumes et pays, et autres nos confédérés et amis y soyons compris, moyennant ratification dans temps compétant; doutant assez, que le dit Turc ne voudrait entrer avec moi en plus particulière négociation d' accord, si ce que se traiterait avec moi, dût être du consentement des Français; qu' est la cause, qu' il ne me semble être beaucoup requis que je y envoie, ni que j' entre avec le dit Turc en plus particulière négociation, ne fut que de ce, que traiteront vos gens, l' on voit, qu' il resulta chose, qui donne autre fondement pour pouvoir espérer que l' on dût tirer plus de fruit de la négociation". Lanz, Correspondenz des K. Karl V. Lipcse, 1846, III. k. 576. l.

In horto postea, quum postremo cum passa fuimus, interrogavit nos: cur anno superiore Carolus imperator non pugnavit cum rege Franciae? Respondimus: ejus majestatem caesaream nondum gerendis bellis esse fatigatam; caeterum duo eum detinuisse: primum, quod abhorret a fundendo Christianorum sanguine; alterum: quod habuerit respectum ad aetatem regis illius adhuc juvenis, quem etiam in filium acceptaverat, prout ipse sese tunc temporis obtulerat, et mutua quaedam amicitia per primos eos annos viguit inter eos, quamquam ex parte regis Galliae simulata, donec pecuniam cumularet, et quae pater prodigerat, restitueret. Tandem praeparatis ad bellum necessariis et succensa quadam factione in Italia, caesare nostro nihil tale cogitante, bellum illi movit, idque non tam sua causa, quam ut paternam captivitatem et tot profligationes ab imperatore nostro acceptas vindicaret. Verum frustra omnia. Nuncque quanta Gallo eripuerit, Gallos ipsos interrogate. Auscultavit haec passa omnia, nihil certe respondit, nisi quaedam de urbe Africa, quae si Turcae gratia demoliebatur aut reddebatur, quum ipsi postulabant, multum majestatis vestrae etiam rebus profuisset, quantum ex crebra hic mentione cognovimus. De qua tamen Africa nos tacemus, quum dominus Joannes Maria melius de ea loqui poterit.

Ibidem et illud accidit, ut quum passa saepius inculcaret Pueri pietatem et quod non debuisset majestas vestra illum e Transsylvania excludere, diceremus, non esse adeo absolute regem nostrum hac in re accusandum, caeterum si liceret rem jure et justitia mediante gerere, et non esset ferrum imperatoris in medio, cognosceret potentissimus imperator, nihil

ad Puerum nec de Hungaria nec de Transsylvania quicquam pertinere, uti ne ad patrem quidem pertinuit, qui, ultra quod filium suum sponte sua successione privavit, ipse quoque malis artibus homo novus, et toti nobilitati hungarae odio habitus, in regnum irrepserat. Sed quia ad coronam nullum jus legitimum habuit, frameae potentissimi imperatoris gratias agere debuit, quia nisi ea adjutus fuisset, in exilio procul dubio polonico sepulcrum habuisset. Verum quia omnia sunt virorum fortium, scitque rex noster serenissimus, quantas jam vires ipse imperator habet in Hungaria, cognoscitque ejus magnitudinis fortunam et erga se amicitiam, tuam illustrissimam dominationem rogamus, ut patiare exorari. Hoc enim tempore erat sermo de colonis; tuncque e sedibus nostris exsurgentes et rogantes, ut petitionibus nostris assentiret, affectum ostendimus prope rhetoricum. Nec id incassum. Quia ubi nos cessavimus et jussi sumus denuo assidere, concessit colonorum — quod petebamus — utrobique solutionem, prout jam superius dictum est.

Nec est, quod huic actioni nostrae addamus, quam supplebit coram dominus Joannes Maria; tantummodo majestas vestra, omissis aliis, quibus non est ad praesens occasio, statuat de Transsylvania, quod ei melius videbitur. Et quaecunque in reditu domini Joannis Mariae per nos loqui atque agere voluerit et mandaverit, omnia de nobis sibi generose polliceatur, quae de fidelissimis servitoribus expectari debent.

Clementissime rex, hoc obliti fuimus in actione nostra ascribere, quod ultimo loco passae Ahmat porreximus in hunc modum, nobis ab eo porrecta causa,

ut in exordio apparet, cupidi et hoc tentare, prout dicebat saepius nobis de remissione aliquarum partium hinc et inde facienda. „Quoniam heri, illustrissime domine passa, dominatio vestra fecit nobis mentionem, ut, si rex noster restitueret Joannis regis filio Transsylvaniam pro voluntate imperatoris potentissimi, nos etiam aliqua de aliis rebus a sua magnitudine peteremus, dicens, quod concordia et pax, pro qua agimus, facilius componi posset, si hoc pacto utraque pars aliquid alteri concederet et remitteret. Si itaque, posito casu, rex noster juxta voluntatem magnitudinis imperatoris restituet Transsylvaniam Joannis filio, haec sunt, quae nos pro judicio nostro concedenda a sua magnitudine regi nostro esse existimamus, praeter ea quae majestas ejus ad haec est fortasse petitura, quum nos ejus mentem circa hujusmodi omnino adhuc non intelligimus. Ideoque nihil affirmative de his loquimur tractamusque, sed posito casu, ut jam supra dictum est, si sic fieri per suam majestatem contingeret, peteremus itaque:

Ut sola cum solitis et antiquis suis finibus Transsylvania detur Joannis filio.

Ut si Joannis filium sine liberis masculis mori contingeret, rege nostro superstite et suis filiis, magnitudo imperatoris potentissimi dignetur esse contenta, ut ei in possessionem Transsylvaniae rex noster succedat, regi vero nostro serenissimi ejus filii, conservato tamen cum magnitudine sua confoederationis vinculo et honorariorum munerum pensione.

Ut Varadinum, Gyula, cum reliquis arcibus et locis in Hungaria ultra Tibiscum existentibus, quae nunquam ab initio regni pertinuerunt ad Transsylvaniam, regi nostro permittantur, quo facilius Hunga-

riae tributum pendi possit, postquam ejus majestati non restituuntur partes regni, quae proximo bello fuerunt occupatae.

Ut propter ejusmodi ditionum regis nostri diminutionem tributum quoque diminuatur, et summa ejus sit deinceps decem et septem millium ducatorum.

Ut pro Hungaria concedantur regi nostro induciae quinque annorum. Eas postea liceat utrique parti augere.

Ut omnes subditi et coloni tam imperatoris potentissimi quam regis nostri, qui hactenus utrique parti solverunt census ac decimas, et exhibuerunt servitia, in posterum etiam eodem modo praefatos census ac decimas solvant, et exhibeant servitia.

Ut arces Fylek et Salygo cum omnibus suis et alienis bonis ac possessionibus, bombardis et munitionibus sub praesentibus induciis occupatis dignetur imperator potentissimus regi nostro reddi facere.

Ut etiam captivos Agrienses, Ujvarienses et omnes alios, qui sub dictis induciis praesentibus tam in aliis partibus Hungariae, quam in Sclavonia, Croatia, et circa oram maritimam Segniae et alibi capti sunt, magnitudo sua dignetur suae majestati reddi facere, qui sunt multo plures quam quingenti.

Ut pro his captivis restituendis magnitudo sua dignetur ad dominos passam Budensem, Themesvarensem, Bosnensem, et zangziacchos Clissiensem et Poseganum mandata dare, et jubere ne secus faciant.

Ut etiam magnitudo sua pro sua in regem nostrum liberalitate et benevolentia, et pro majore tum pacis firmitudine tum miserorum subditorum quiete arces in Hungaria Zolnok, Zechen, Dregely, Vesprim, Wytam, Geztes et Hollokew, et in Sclavonia

Cyasma et Iwancz destrui ac demoliri juberet, si nequeunt ejus majestati restitui, quod eadem sua majestas curabit omni gratitudine magnitudini suae compensare.

Ut postremo omnes illae possessiones et comitatus, qui ante praesentes inducias non solverunt census, neque exhibuerunt subditis suae magnitudinis servitia, sed noviter sub praefatis induciis ad ejusmodi solutiones compulsi sunt, denuo a tali solutionum et servitiorum onere liberentur, ne miseri coloni opprimantur, et ut illis, quorum fuerunt, libere permittantur.

Et si res de Transsylvania consequeretur, ut supra diximus, posito casu, optamus de his nunc fieri certiores, ut ad majestatem regiam per dominum collegam nostrum nunc referemus. Quibus cognitis, fortasse alio animo speraremus futurum, quam si nihil poterimus ex parte vestra ejus majestati polliceri".

Responsum est ad haec quoque turbulentius: quod nimia essent et prorsus absurda, nec posse fieri, ac similia, quemadmodum dominus collega noster referet.

Unde ex his quoque majestas vestra poterit, percipere, omnia nos tentasse, et nil aliud in eis invenisse quam obstinatam pertinaciam. *)

---

*) Verancsics s egy helytt Zay által javított, megtoldott titoknoki minutából, melyből a Bécsbe ment jelentés leiratott. Ez még ma is megvan a cs. k. államlevéltárban, Verancsicson és Zayn kivül Malvezzi által is aláirva, ily címmel: Actio Antonii Verancii, Francisci Zayi et Joannis Mariae Malvezzi oratorum S. I. R. Majestatis apud principem Turcarum anno 1553 mense Augusto habita. Hammer, III. 328.

XXXI.

Hajder pasának Verancsics Antal és Zay Ferenc.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Haydaro passae et visirio principis Turcarum Sal.

Horologium, quod a nobis pretio postulasti, dono mittimus, teque rogamus, ut sicut es animo generosus et humanitate praeditus, ita illud accipias, ut animum nostrum non rem metire velis. Etenim optassemus profecto si fuisset pulchrius et quod amplitudinem tuam magis decuisset; verum quale pro id temporis in promptu nobis extitit, tale misimus. Nostrum autem non fuit, sed familiaris nostri. Nos enim nullum obtinemus, et si obtineremus, fuissetque totum ex adamantibus et unionibus fabrefactum, tanto certe libentius te donassemus, virum et nobilem et humanum et longe dignissimum, qui toto imperio principis tui ameris et honoreris, ut honoraris et amaris. Caeterum scripsimus regi nostro per Joannem Mariam Malvezium collegam nostrum, ut hujusmodi horologiorum formae exiguae aliquot nobis submittat, quibus et tibi et aliis excelsae hujus Portae viris primariis ejus nomine gratificari possimus, tibi tamen potissimum ut insignius et exquisitius mittat, a quo majestatem illius complecti plane perspeximus, quandoquidem et nos singularius quodammodo excepisti, quam caeteri. Nec te molestamus pluribus. Precamur tantum, ut in hac expeditione Persica omnia tibi prospere cedant, utque rem nostri regis habere velis commendatam, etiam atque etiam rogamus. Cujus quidem amicitiam, si bene perpendetur, commodiorem speraremus futuram tuo principi, quam inimici 1553. sept. 5.

nostri persuadere contendunt. Vale. Quinta Septembris 1553. Constantinopoli.

XXXIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1553. sept. 9. Etsi nos omnia, quae hactenus egimus apud hunc principem, sufficienter putemus in adjuncto actionis libello ad majestatem vestram perscripsisse, quaeque ad statum totius hujus legationis nostrae et ad exitum ejus facile cognoscendum pertinebant: tota tamen ejus rei summa vertitur circa solius Transsylvaniae remissionem et retentionem. Nec est quod nos aliud in hoc dicere possimus, quam quod ingenti et inexorabili pertinacia decrevit Turca, quantum ad hoc tempus considerare potuimus, ut ea provincia careat majestas vestra, et reginae Isabellae filio tribuatur. Quanto autem studio laboraverimus et quanto conatu, quibusve rationibus, ut hanc pertinaciam tam duris eorum animis demeremus, Deus erit nobis testis et Joannes Maria, sine quo ne hiscere quidem iis in rebus voluimus, ita ubique secum una gessimus negotium. Verum quod jam attinet ad afferendum consilium de retinenda vel reddenda Transsylvania, ut est necessarium, bonum afferre, propter honorem et existimationem majestatis vestrae, ita certe repertu difficile est, qualenam illud esse debeat, ne esset illud inutile, neve reprehendi posset, quandoquidem bis fortasse ea de re statuere non licebit, et quoniam forte fortuna petimur etiam nos sententiam, quod hic res praesentes intuemur, faciemus quod pro captu nostro poterimus et fidem nostram decebit.

Igitur videtur nobis, quod si aliter de Puero non est statuendum, qui quamdiu vixerit, non festuca sed magna trabes semper erit in oculis majestatis vestrae, praesertim si Turcae adhaerebit, via omnino quaedam inquiratur et modus, ne in Transsylvaniam deduci possit; habito respectu ad illum articulum nostrae actionis, in qua scripsimus, imperatorem Turcarum dixisse, quod Transsylvaniae turcam praesidem non est praefecturus, si reginae Isabellae filius aut moreretur, aut aliis causis ab ingressu ejus impediretur, sed hominem christianum. Et in hoc peragendo commodissima erit opera regis Poloniae, si sese non subtraxerit officio. Caeterum Puero etiam et matri augenda erit aliqua accessione conditio, nec minus deterreri debebunt Transsylvani metu servitutis, quae illis vel ob litteras imminet, quibus proxime huic principi sese et stulte et turpiter subdiderunt, quemadmodum cognoscet ex earundem litterarum exemplo, quod cum praesentibus mittimus, simulque etiam iidem Transsylvani ad fidem erunt revocandi immunitatibus aliquibus et subsidiis, quod miseri et insensati Galatae facile circumducantur largitione. His ita confectis faciliora erunt cum Turcis reliqua. Quia si belligerandi nulla facultas adhuc majestati vestrae conceditur, curandum erit diligenter apud caesarem, ut conciliato vel averso potius pontifice romano a rege Franciae, quem audivimus, praeter omnium pontificum morem jam et cum Turca tractare amicitiam scriptis ad eum litteris, prout refert Joannes Maria, sedatis etiam et confirmatis reliquis rebus in Italia, urgere Picardiam toto conatu, utilissimum erit, postquam Deus Optimus Maximus illa ex parte ejus majestati viam aperuit ad repri-

mendum luxuriantem aetate et consiliis alienis juvenem principem, quibus nisi mature providerit, in patris mores abiturum non est dubium. Majestas vestra postquam est habitura has inducias, denuo constituat hic firmam et honoratam legationem; et curet omni diligentia, ut dictae induciae sanctissime observentur, in diesque hic princeps ad amandum majestatem vestram afficiatur, quandoquidem et rex Franciae jam videtur nonnihil coepisse pluribus causis nationi huic esse odio, sicut referet Joannes Maria; eosdemque Gallos premente caesare, ut incepit, non esse dubitandum, quin et is princeps demereretur, et ille christianissimus Christianitati tam incommodus veniret ei in neglectum; interimque mutato statu temporum Deus etiam ostendet, quid in reliquum majestatem vestram agere oportebit. Haec sunt quae voluimus majestati vestrae scribere, alioqui nos, ut instrumenta fidelia sequemur majestatis vestrae mandata, eaque laudabimus consilia, quae majestati vestrae magis probabuntur. Quod ad alia attinet, orator regis Franciae hinc discedit, et jam ab imperatore Turcarum commeatum accepit. Classis Turcica rem gerit improspere, nullumque hactenus Italiae littus attigit, in quo damnum non acceperit. Turca it in Persam, omni cum conatu quem habere posset. Ille contra, magno animo dicitur eum expectare, paratus etiam contendere quamdiu poterit, sine ullo metu.

Pro Matthia Ally, *) Job Paxi et Laurentio Nyary **) diligenter egimus. Caeterum Job concessus est. Res Laurentii dilata ad conclusionem pacis.

---

*) V. ö. Istvánffy, XIX. 220.
**) Szolnoki kapitány; fogságba esett 1552-ben, midőn a vár török kézbe jutott.

Matthiae obest plurimum, quod ajunt Turcam fuisse, et dubitamus de ejus liberatione. Non deerimus tamen per occasiones saepius ejus rem tentare. Quae reliqua sunt, supplebit Joannes Maria. Illud tamen non praetermittemus, ut si quid de retentione nostra diuturniore, aut etiam hostile in nos accideret, neminem majestas vestra, nostra causa ex Turcis istuc missis aut mittendis detinere curet, hoc autem propterea, quia nemo pro nobis (hoc autem verecunde dicimus) istuc mittetur. Deinde quod cum hoc principe tam potenti non est his parvis injuriis contendendum, si armis nequimus; sed viae erunt quaerendae et opportunitutes honestiores. Majestas vestra felicissime valeat. Nona Septembris, 1553. Constantinopoli.

XXXIII.

A királyi tanácsnak Verancsics.

Dominis Consiliariis Verancius.

Nos Belgrado moti prima die Augusti, XXV^a 1553. sept. 9
Deo duce Constantinopolim pervenimus, in quo itinere usi tam terra quam flumine cursu secundissimo, honeste etiam excepti et auditi sumus. Et quoniam cognituri sitis ex nostra actione, regiae majestati copiose exarata, atque etiam ex ipso Joanne Maria quicquid hic gessimus, non ero pro id temporis prolixior ad vos. Res nobis acta est longis sermonibus et rationibus, quibus licuit pro industria nostra et fide omnibus maximis. Transsylvanense tamen negotium, quod putabamus daturum nobis minimam difficultatem, evenit certe difficillimum, et praeclusit viam ad omnia reliqua, quae majora erant et quae si obtineri poterant, ipsa Transsylvania vel tacentibus nobis, con-

sequi cogebatur. Caeterum revera credebant Turcae, nos non alia, quam solius Transsylvaniae causa venisse, unde prohibiti de ea loqui prius etiam quam visi sumus, facile perspeximus, quanto minus caetera petere debebamus, in quibus dudum constituti sedent,*) si negatur Transsylvania, cujus possessionem nunquam habuerunt: quum ad haec et exercitum paratum jam nobis ostentarent et intentarent proximam vim, nisi ad mediocria descenderemus. Quicquid igitur egimus, eo est factum consilio, ne bellum a Persa in nos converteremus, quemadmodum latius a Joanne Maria cognoscetur. Nec videntur mihi audiendi illi, qui de valetudine, de senio et de tot aliis incommodis hujus principis tam efficaciter narrant, omnia et inculcant regi, nunc esse tempus, aut bellum in illum movendi, aut totam ab eo repetendi Hungariam, et similia, tamquam media jam illi Asia aut tota Constantinopolis esset erepta, pressusque morbo herculeo de ultimis cogitaret. O quam male tales volunt ejus majestati, vel de rebus parum intelligunt. Vidimus certe hunc principem sedentem, ambulantem, equitantem, et cognovimus eum ita sanum, ut quemlibet sanissimum, et agilem, ut hominem trigenarium. De filiorum autem dissidiis si vereretur, non eos armatos in exercitu secum duceret, tantum abest, ut propter molestias Persae in dubium veniat rerum suarum, et jam acquisita regna distribuat; ut nec cogitandum id esse a prudentibus viris censeam.

Haec amplitudinibus vestris scribere volui contra quosdam, qui aut mentis malae sunt, aut nec alti,

*) Utasításuk szerint t. i. elsőben, egész Magyarországot kellett volna követelniök, ezért százötvenezer aranyat, felső Magyarországért és Erdélyért negyvenezer aranyat ajánlván fel évről évre adóul. Hammer, III. 828.

nec lati consilii, qui fecerunt saepius jam multa et magna ejus majestatem aggredi intempestivis temporibus sine ullo vel commodo vel saltem honesto exitu. Ideo postquam istuc venit Joannes Maria, cum quo nos hic etiam multa contulimus, quique, quoniam de rebus Turcicis scit omnia, quae scribi possunt, intelligantur ab eo diligenter singula, et ita demum tum de existimatione domini nostri clementissimi, ac in regni Hungariae et Transsylvaniae firmitudine, quam de salute et conservatione nostrae patriae, inveniaturque nova aliqua ratio, immo et machina ordiatur, et talis scopus proponatur rerum nostrarum, ad quem feliciter pervenire possimus; quia modo hac via, modo illa niti, et velut naufragantes irritis ictibus trachiorum undas verberare, errare certe est, et ideo etiam de his consulere non facile. Verum si ex parte Picardiae urgebitur rex Franciae, et in omnibus modis curabitur, ne Puer in Transsylvaniam deducatur, reducanturque Transsylvani mature ad officium, speraremus adhuc nos huc non frustra venisse. Caeterum ego de his loquor, quae mihi videntur, non quantum res fieri postulat. Quia meliora sunt amplectenda consilia. Ideo consulite, et precor Deum, ut felicissime; nosque hic, ad quae vultis, objicite pericula. Nec principi nostro clementissimo nec patriae nostrae meritissimae, ut etiam sanguine nostro adjuvetur, Domino Deo comite, deerimus. Reliquum est, quia nobis est sequendus Turca in Asiam, curate, quo de impensis provideamur, quia tenuissimae fuerunt et hae, quibus huc tantum pervenimus. IX. Septembris, Constantinopoli, 1553.

XXXIV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Heri jam post discessum domini Joannis Mariae, 1553. sept. 12. litteras a majestate vestra datas V. Augusti, per hominem Ally Matthiae in ejusdem negotio accepimus. Pro quo Matthia quanta diligentia laboraverimus et quid effecerimus, referet idem Joannes Maria. Caeterum nec illud, ut in dictis litteris majestatis vestrae admonebamur, praetermisimus, quod esset sub induciis captus. Immo et Transsylvaniae rationes his ipsis induciis non segniter majestati vestrae adnixi sumus tueri. Sed nec in Matthiae liberatione nec in Transsylvaniensi negotio vigorem illis passa voluit tribuere, quod et Transsylvania longe ante etiam inducias imperatoris sui fuerit; et cum jam aliquis vel semel fidei turcicae verbo suo et elevatione digiti indicis assensus fuerit, nulla hunc ad restituendum lege teneri. Verum si bonis aliquibus mediis ita transigetur de statu Transsylvaniae inter majestatem vestram et hunc principem, ut ambae partes contentae et amicae esse possint, speramus quod et Ally Matthiae res pro voto succederent. Addimus etiam illud, quod orator regis Persarum novus dicitur supervenisse ad imperatorem Turcarum; qui vero adhuc ante nos advenerat et hic Constantinopoli asservabatur, hesterno die post hunc principem abductus est. Veremur igitur ne incipiat Turca etiam cum rege Persarum pacem componere, quanquam non desunt, qui dicunt, nullo pàcto id futurum. At si fieret, ut accidere posset, quoniam majestati vestrae sollicitudo accresceret, nos omnem operam adhibebimus, ut quicquid in hoc agi-

tur et tractatur, quotidie sciscitemus, et quicquid certi resciverimus, majestatem vestram quam celerrime faciemus certiorem. Si quas praeterea alias etiam litteras majestas vestra ad nos dedit a discessu nostro Buda, nullas recepimus, nec nos post illas, quas Belgrado medio passae Budensis dedimus, alias misimus, quia certis tabellariis caruimus. Si crebro scire possemus, quomodo istic res majestatis vestrae procedant, e re esset majestatis vestrae, quia nos melius rebus gerendis accomodaremus. Homo autem ille, de quo dictum est supra, ubi ad Ally Matthiam rediit, et ei litteras majestatis vestrae ad nos sonantes satis difficulter clam in manus intrusisset, cum reliquis (ut audivimus plures eum habuisse) ad Zynan passam abreptus est, et ibidem etiamnum detinetur. Majestas vestra felicissime valeat. XII. Septembris, Constantinopoli, 1553.

XXXV.

Ibrahim dragomannak Verancsics Antal és Zay Ferenc.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ibraino interpreti principis Turcarum.

Omnium litterarum, quas a rege nostro heri ac- 1553. sept. 24. cepimus, integre et fideliter passae Hrusztano exempla misimus, misimus etiam ad eum litteras nostras, ad quas, rogamus, ut velit benigne et cito respondere. Respondebit autem benignissime, si postquam res Transsylvaniae sic se habent, quieta et firma regi nostro remittetur, eumque passa illustrissimus conciliabit in cor sui principis et in suum, tuque etiam dabis operam et elaborabis, ut in hoc solito more

regi nostro amicam operam naves, recepturus aliquando gratias non exiles. Caeterum unum est, quo te desideramus esse praemonitum, ut cures diligenter exponere passae omnes has litteras, quas mittimus, quia tum bonum responsum sperabimus, quum rex noster intellectus erit. Instes autem toto conatu apud passam amplissimum, ut sit amicus regi nostro, nobisque non indignetur, si quandoque multum loquimur, quia aliter facere non possumus, si volumus fideliter inservire regi nostro. Miseramus nuper passae Haydaro unum parvum horologium per hominem Hamzabegi, quod si recepit, cognosce, et fac nos certiores. Sunt apud nos et aliae binae litterae, datae ad Joannem Mariam Malvezi ab amicis, sed non sunt alicujus momenti, alioqui neque transscribere eas potuimus propter celeritatem abitus nuncii passae Zynan; si erit de his aliqua mentio, excusabis nos hac ratione.

Misimus etiam exemplum litterarum patentium passae Budensis, quibus palam in illis finibus omnes homines in arma stimulat contra regem nostrum, quod expresse facit contra inducias, et non est id factum laudabile nec utile, donec finis aliquis imponatur tractatui nostrae legationis. Ideo agas apud passam illustrissimum, ut det ad Budensem passam et ad caeteros eorum finium praesides mandatum imperatorium, quo quieti sint, et non serant motus ex motibus. Quod autem egit hactenus, nescimus, an ex voluntate sua et imperatoris sui egerit, quia sine dubio multa fiunt ab his, qui praesunt finibus ejusmodi, dum fortunam tentant, quumque ipsi causas discordiarum dederint, regem nostrum accusant, dum praedare militibus ma-

gis placeat, quam pacem colere, quandoquidem non considerant, quae bona ex pace provenire possint.

Proinde si erit aliqua mentio de litteris, quarum exempla misit ad nos rex noster, unde eas habuerit, dicas, quod ex ipsis Transsylvanis eas recipit, qui communiter regi nostro favent, nec volunt alium regem ac dominum habere, quam ipsum regem nostrum, quod in conventu quoque proximo Thordae habito publica deliberatione declararunt. Illi autem Transsylvani, qui superioribus diebus tot litteris et nunciis obtuderunt aures imperatoris et passae, secreta et partialia fecerunt conventicula, sine scitu majorum, inflati vento Petrowyth, falsoque rem totius provinciae tractabant, quod jam ex praesentibus litteris, a rege nostro missis, manifeste constat, resque est et temeraria, et impunita non praetereunda.

Praeterea quantam fiduciam Petrus Petrowyth habeat in vestro imperatore potentissimo et in ejus auxiliis, expones diligenter locum illum passae Hruztano, in Agriensium litteris ad regem nostrum datis, quem locum manu picta in margine tibi annotavi. Sic hoc viso et cognito, non dubito confessurum passam prudentissimum, multa Petrowythum mentiri, ejusque complices et vanos et vagos esse, improbeque pauperi illi provinciae dominari optare, ut eam depraedentur, dispolient et expilent, donec Puer adolesceret, quemadmodum et frater Georgius fecit. Quod malum, rogamus etiam per Deum vel propter miseros subditos, ut amplissimus passa velit considerare et perspicere, occurrereque meliore via et modo, prout et rex noster intendit, ne illi miseri populi divexentur, et tam regi nostro quam imperatori potentissimo inutiles reddantur.

Tu vero, mi Ibrayne, amice noster charissime, nunc demum ostende et declara, quantum semper regem nostrum et aequitatem dilexeris, immo etiam quantum principi tuo bene velis, quia amicitia et conjunctio regis nostri non est illi nocitura, Transsylvania etiam illi utilior et commodior erit, quum auspiciis tenebitur regis nostri, non pueri, aut mulieris, aut cujuspiam privati hominis, sub quorum dominationibus plerumque consueverunt regna et provinciae dissipari.

Non gravabere etiam litteras passae Budensis diligenter passae declarare, ut intelligat, quanta injuria regem nostrum affecerit, institorem et foeneratorem appellando, quem alioqui et princeps vester et totus mundus nobilissimum scit esse regum christia norum. Et ex hac re poterit facile passa considerare nimis magnam audaciam passae Tuygonis, quam fortassis nec imperator nec passa illi injunxit; praesertim quum plane persuasum habeant, regem nostrum revera pacem optare, non denunciare bellum. Addes postremo, quod tanta injuria regem nostrum nec Aly passa perstrinxit, qui quidem satis erat iracundus, armis tamen rem gerebat non vituperiis. Sed vale jam, mi Ibrayne, et quicquid in hiis confeceris, fac nos cito certiores. Vigesimaquarta Septembris, anno 1553. Constantinopoli.

XXXVI.

Rusztem pasának Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Hrustano passae salutem.

1553. sept. 24. Quod curaris nos traduci in melius et salubrius hospitium, quod exitum nobis, urbis lustrandae gra-

tia, pro arbitratu nostro concesseris, et ea omnia abunde suppeditari, quae quum ad victum, tum ad omnes alios usus nostros spectabant, mandaris, ingentes habemus amplitudini tuae gratias, tibique pro tanta humanitate, quam exercere erga nos non praetermittis, habiturus est et rex noster, quum intellexerit; ut autem, quamprimum fieri possit, intelligat, dudum curavimus. Caeterum heri venit Petrus Horwath nuncius regis nostri ad nos tantummodo missus, cum quibusdam litteris, quarum litterarum exempla, quoniam ita hic facere jussi sumus, ad te sine ullo defectu transmisimus. Nec aliud in hiis mandavit nobis rex noster, quam ut primum tibi, dein principi tuo exponeremus, qualesnam turbas et motus concitavit in illis finibus passa Budensis contra ipsum regem nostrum sub induciis proxime pro hoc breve tempus *) inter ejus majestatem et principem tuum factis, donec nos hic in tractatione certae pacis dies terimus, in quarum induciarum articulis status etiam Transsylvaniae, uti est in ejus manibus repertus, comprehenditur.

Quoniam autem ejus majestas regia denuo nunc non occupat Transsylvaniam ut jam saepe diximus, nec de manu principis tui eripit, sed ita continere intendit, ipso principe tuo amicabiliter consentiente, ut eam primum in sua coronatione obtinuit, deinde a regina Isabella, filio ejus, Petro Petrowyth et a fratre Georgio accepit, jamque etiam cum confusione rebellium suorum subditorum iterum ad suam fidelitatem reversa est tota, et omnes illi populi subdiderunt se fidei ejus per solita juramenta in proximo conventu,

*) Tollhibából e helyett: „pro hoc brevi tempore".

quem Thordae habuerunt mense Julio, quod tu quoque audisse potueris. Nec tamen adhuc Budensis passa eam vexare sub hiis induciis cessat, stimulando praefatos ejus rebelles ad tumultuandum, suisque auxiliis fovendo temeritatem Petri Petrowyth, hoc maxime tempore, quo ipsi quoque imperatori tuo non parvam sollicitudinem ingerat, quum alias cogitationes haberet, easque certe multo graviores quam ut Petrowyth phantasiis et vanitati vacet.

Nos vero, etsi cum timore loquimur deTranssylvania, postquam ita est et tua et principis tui voluntas, tamen quia clementia ejus et tua humanitas nunquam praecludit iis ad se accessum, qui cum amore sincero et certa fiducia ad vos accurrunt et veniunt, rogamus te: velis agere et efficere apud principem tuum, ut regem nostrum nolit turbare in juribus Transsylvaniae, postquam eadem provincia sic est denuo integre in ejus manus restituta. Paratus autem erit, quotannis ea tributa et munera pendere tuo principi, quae convenient, et eam amicitiam, pacem et mutuum consensum cum magnitudine ejus tenere, quae pax, amicitia, et qui consensus erit illi et utilis et honorificus; et filii etiam Joannis regis, aliorumque ejus posterům eam est curam habiturus, accedente ad hoc etiam suae magnitudinis commendatione, ut nec in conditione, nec in statu suo diminuentur.

Alioqui si imperatorem tuum movet juramentum, quo illos in Transsylvania conservaturum se obtulit, certe ejus magnitudo jam hoc juramento liberata est, et statim tunc, quando hoc dono et hoc beneficio Transsylvaniae et Themeswarae ab ejus magnitudine gratuito accepto uti noluerunt, seque eo publice et solenniter, ore et fide sua, praesentibus testibus et

scriptis datis privaverunt; ne hic referamus, quid eidem imperatori tuo et Joannes rex primum et postea sui peccaverunt, quemadmodum jam antea a nobis tibi sunt recensita. Rogamus itaque, rogamus te, illustrissime passa, ut hiis bene expensis et perceptis, velis operam dare pro tuà in regem nostrum benevolentia, ut amplissimus princeps tuus agnoscat et complectatur tandem regem nostrum, serioque incipiat secum pacis et conjunctionis tenere foedera. Nec dubitare debes, quod hoc si fecerit, non mediocriter consulturus sit quieti et commodis suis.

Hic autem non taxamus aliorum quorundam principum christianorum amicitias, quae tuo principi curas potius et impensas saepe jam intulerunt, et distraxerunt ejus conatus, quibus majoribus suis in rebus privatis uti potuisset. Sed amicitia regis nostri certe non sola neque nuda veniet, praesertim si genus et potentiam ejus considerabis; neque vel exercitus vel pecunias vestras distrahet. Nempe contentus amicitia et conjunctione tui principis, ipse, inquam, rex noster potius porriget et dabit, prout inter suas majestates in transactione pacis conveniet.

Sed imperatorem tuum amplissimum illud quoque deberet adducere ad demerendum regem nostrum, quod quum jam regni ejus majorem partem in suam potestatem redegerit, ipsum quoque, dum possit sibi adjungere, ut adjungat. Consilium futurum non inutile.

Pluribus verbis, ex quo absentes sumus, molestare te non audemus. Rogamus tantum, ut ad haec quamprimum velis nobis gratum et benignum responsum facere, quo tabellarium regis nostri statim dimittere possimus cum aliquo certo nuncio, aut si vi-

debitur, etiam nos expediendos cures, obtenta nobis a principe tuo Transsylvania, pro qua jam rex noster, ut nobis nunciavit, jam et tributum solitum praeparat, illudque brevi est intromissurus per homines Transsylvanos, qui etiam ore proprio declaraturi sunt hic coram tuo principe, quod dominatione regis nostri contenti sunt; nec alium requirent principem.

Ne autem praetereamus Petri Petrowyth hominis senis et non imprudentis fidei animique instabilitatem, misimus ad te juramenti et fassionis ejus exemplum, quo juramento et fassione fidem, honorem ac humanitatem suam obstringit regi nostro, nemine cogente, quemadmodum caeteri quoque subditi et fideles regibus nostris sese obligare solent. Quod juramentum et fidei suae obligationem quum videris et principi tuo ostenderis, certe non est dubitandum, quod et tu et princeps tuus facile cognoscetis inconstantiam Petri Petrowyth erga regem nostrum et ingratitudinem erga tuum principem; judicabisque proculdubio, illustrissime domine passa, eum non opem mereri sed poenas, qui tam immemor honoris sui et fidei, immo et gratiae imperatoris tui amplissimi, tam turpiter, velut canis, salva reverentia tua et tui principis, iterum redit ad vomitum, tamque justo, bono, clementi ac munifico imperatori conatur mendacia persuadere, quae vel sola res capitali poena apud alios principes puniri solet.

Ubi autem idem Petrowyth declamitat, quod coactus, fide se obligavit regi nostro, quia minabantur illi periculum: neque hoc verum est, quia quando ab ipso petebatur Themeswar, non urgebatur armis, ex eaque arce non est vi extractus, sed ultro exivit, et ad concordiam cum rege nostro venit, contentus arce

Munkach pro Themeswar, quam arcem accepit et nunc etiam possidet. Alioqui si etiam noluisset sese regi nostro subdere et obligare, libere certe et sine omni periculo potuisset abire, quocunque voluisset, quia etiam postea tam ipse, quam regina et ejus filius diu fuerunt in potestate regis nostri; quo tempore si saevire in illos voluisset, nonne et occidere et perdere omnes potuit. Verum longe abest a rege nostro ista crudelitas et perfidia. Unde eos omnes fecit ibi bene honesteque tractari, posteaquam per gentes et homines suos primarios salvos et incolumes usque in Poloniam et in Silesiam deduxit. Ubi, illustrissime passa, oramus te, ut bonitatem aequitatemque ex his regis nostri velis perpendere.

Caeterum ne longo sermone molesti simus, cupimus, ut vel hac vice adhuc princeps tuus experiatur, quonam pacto geret se rex noster erga ejus magnitudinem, quamque sincere pacem cum illa colat. Et si tunc non invenerit regem nostrum, quem nos dicimus, habebit certam causam illi succensendi; dummodo Deus Optimus Maximus maledictos quosdam homines ab auribus vestris amoveat, qui semper obloquuntur regi nostro apud imperatorem tuum potentissimum, laborantque omnibus viribus, ut inter eum et regem nostrum nunquam coalescat concordia.

Speramus tamen, brevi futurum, ut hi tales, Deo adjuvante, dent poenas suae malignitatis, ut jam dare coeperunt, quique si religioni suae non sunt fideles, quomodo imperatori suo erunt. Rogamus postremo, ut litteras patentes passae Budensis, quibus nova incendia serit nunc in Hungaria, bene velis examinare et intelligere, quonam judicio eas emiserit, et quo cum honore principis sui in publicum dederit.

Potentissimus imperator tuus regem nostrum, ut inter Christianos summum regem semper honorifice nominat et appellat regem; Tuygon passa institorem, foeneratorem et fallacem dicit, induciasque litteris tuis et imperatoris tui confirmatas scribit esse nullas, dum quorundam insanorum motus fovet in Transsylvania, et ex re vana gloriam sibi captat. Quam quidem injuriam sinceritas regis nostri erga imperatorem tuum amplissimum non meretur. Alioqui judicet de hoc tua et imperatoris tui sapientia. Vale. Vigesimaquarta Septembris 1553. Constantinopoli.

XXXVII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1553. october 5. Laetus nobis illuxit dies XXIII. septembris; intra enim duarum horarum spatium attulit ad nos et eas a majestate vestra litteras, quas die II. Augusti dederat per Venetos, et eas, quas per Petrum Horwath misit via Turcica; nec ulla in parte aut hae aut illae fuerunt laesae, quod et Petrus incolumis ad nos evasit, et ministri majestatis vestrae, qui agunt Venetiis, non defuerunt suo officio. Dici itaque non potest, quanto gaudio affecti sumus de recantatione palinodiae Transsylvaniensis, quodque vajvodae cum reverendissimis episcopis potiti sunt feliciter locis et functionibus suis in ea provincia. Unde non cessamus divinae majestati quotidie agere gratias, quod hoc tanto beneficio nobis etiam faciliorem, ut speramus, viam patefecit ad agendum et perficiendum ea, quae in votis sunt de ipsa Transsylvania, cui soli procul dubio incumbendum est pro hoc tempore, quia ad

tentanda alia non videmus rationem, quemadmodum intelliget majestas vestra.

Jam quod ad rem attinet. Quoniam Petrus, cum huc advenit, clam illabi ad nos non potuit, propter passae Budensis hominem, a quo deductus fuerat, et ciausum, qui continue in portis nostris excubat: statim una cum litteris abductus est ad Zynan passam, ibique non diu habitus, ad nos remissus est cum intactis litteris. Verum summisso post eum et secretario suo cum duobus sociis, voluit annotari numerum litterarum, omniumque continentias ad Hruztanum passam transmitti. Quod etsi nobis displicuisset, raptim tamen percursis litteris eodem loci omnibus, dum de aliis etiam rebus mutuo colloqueremur, ubi vidimus, nihil in eis esse, quo Turcae laedi possent, et potius omnia continerent, quibus sinceritas et perseverantia majestatis vestrae in pace petenda et amicitia imperatoris Turcarum probabatur, ultro etiam admittendum nos illas obtulimus. Caeterum, quoniam illae quoque litterae ex Venetiis datae opportunissimae accesserant, clamque fuerant nobis redditae, nullam de eis fecimus mentionem; sed excerptis omnibus, quae in illis praesenti rei suffragatura cognovimus, ut de resipiscentia et comitiis Transsylvanorum, de expeditione tributi, de litteris reversalibus fidei Petri Petrowyth, de intemperiis passae Budensis et de aliis similibus, omnia adhuc ea nocte transscripsimus, et insequenti die, hoc est XXIV. Septembris ad Hruztanum passam, una cum nostris litteris dedimus, in quibus accommodandum omnem sermonem nostrum ad persuadendum de permittenda Transsylvania majestati vestrae et de agnoscenda Petri Petrowyth inconstantia, fideique atque honoris

majestati vestrae parva reverentia, quam modestissime fieri potuit, omnia illa conjecimus, quae coram fuissemus elocuti, si adesse potuissemus. Harumque litterarum tenorem mittemus ad majestatem vestram, Deo dante, cum responso: quod accipiemus a passa, quamprimum illud pervenerit: quo quid et nos in hac quoque actione nostra egerimus, intelligat majestas vestra, et quid in posterum quoque nobis consilii adjicere voluerit, plenius informetur. Interim autem, quae judicio nostro praesentis temporis usus atque occasio videtur postulare, pro fide et officio nostro nostram sententiam majestati vestrae significamus. Primumque est: Ut postquam divina ope sic est possessio Transsylvaniae denuo majestati vestrae recuperata, nullo modo cogitet de illius restitutione, prout postulatur, sed omnibus rationibus curet eam retinendam, augendo etiam illi praesidia, sed sensim et per parum et diversis itineribus immissa, si quid praesentiret imminere periculi. Ut statim aggrediatur praecipuos viros trium nationum Transsylvanicarum, quasi illud agens, omnibus viis et modis animos eidem majestati vestrae conciliando, et pro his saltem principiis multa illis concedendo et multis eosdem oneribus levando, aliqua etiam eis dando, et aliqua pollicendo, nihil tamen aperte, ne majestati vestrae aliqua calumnia malorum derogetur quippiam; quia alioqui omnibus in rebus imperii majestati est consulendum, et cum summo rigore aequitas unicuique administranda, propter paucorum metum, quorum insania caeteri seducuntur, qui libenter a novis rebus abstinerent et principem agnoscunt.

Ut quam citissime fieri possit, mittat ipsius Transsylvaniae tributum, quemadmodum jam nobis

dignata est significare, quod tributum hoc tempore nostra sententia facillime colligetur, quod speramus et Budensem psssam et Temeswariensem sangzacchum et quosque alios quicturos, qui paulo antea tumultuabantur, ubi exibunt in publicum litterae hujus principis Joanni Mariae ad majestatem vestram datae, quibus omnibus praeceptum est, ut quiescant a motibus, donec cum majestate vestra de pace concludatur.

Ut, si ita libuerit, hoc tributum Transsylvaniae mittatur omnino cum Joanne Maria, aut si ipsum oportebit nonnihil istic immorari, quod fieri non debet, prorsus tamen mitti festinetur, quia optatae expeditioni nostrae plurimum momenti afferret, nosque etiam in agendo erimus audentiores; praesertim si ad hoc curabitur, ut reginae Isabel ae filius non dimittatur ex Polonia, quum speremus Petrum Petrowyth brevi vela demissurum, adeo affabre hic nobis enucleatur quotidie homo. Dignabitur tamen animadvertere et curare, ut nuncii ejus Transsylvani, quando cum tributo vel soli, vel cum Joanne Maria venient, veniant ad nos, et nobiscum una hospitentur, et agant omnia negotia nobiscum ex aequo, ut mutuo nos facilius intelligamus, et appareat, constetque unius regis ac domini nos esse oratores, subditos, servitores ac fideles; quodque et Hungari et Transsylvani in eadem obsequia majestatis vestrae consentiant. Et haec res plurimum afferet et majestati vestrae momenti et existimationis, quando simul hoc munere fungemur, coramque nobis ante passas ipsi Transsylvani fidem, qua se majestati vestrae obstrinxerunt, (testabuntur).

Ut nuncii Transsylvani, qui cum tributo veni-

ent, dicant hic coram imperatore Turcarum, nomine omnium trium nationum, quod post hunc imperatorem potentissimum, quod temporis conditio cogit dicere, nullum alium principem, dominum et regem habere cupiunt nec volunt, quam majestatem vestram, simulque ut supplices petant, ne illam in hoc dominio Transsylvaniae molestet aut perturbet, quia ab ea divelli et sejungi, ut a vero et legitimo rege suo, nullo pacto possunt, quandoquidem nolunt tot procuratoribus unius foeminae et pueri praeda iterum esse, ut fuerunt hactenus. Caeterum quod cum majestate vestra ipsum potentissimum imperatorem omnibus solitis officiis et censibus honorariis quotannis recognoscere studebunt.

Ut majestas vestra committat vojvodis Transsylvaniensibus, omnem operam dare, quo in litteris Transsylvanorum, quas nuncii huc afferent, subscribant sua nomina aliqui ex rebellibus, ut Antonius Kendy, Patochy, Orbay, Bornemizza,*) vel alii; ut nos, si ita res postulabit, possimus per occasionem hominum seditiosorum annotare coram passis levitatem, demonstrareque, quibus comitibus Petrus Petrowyth conabatur in aliena irrepere, et quietem fidelium majestatis vestrae perturbare.

Ut majestas vestra opera regis Poloniae velit laborare, quo regina Isabella una cum filio suo mittat proprium nuncium ad imperatorem Turcarum, eique scribant ac significent, se jam ultro majestati vestrae cessisse Transsylvaniam, quam non repetunt, nec volunt quicquam contra majestatem vestram agere in praejudicium illius tractatus, quem dudum ratione ipsius Transsylvaniae cum majestate vestra transige-

*) Patócsi Ferenczet, Orbai Miklóst és Bornemisza Farkast érti.

runt. Se enim bene et integre a majestate vestra esse satisfactos, nec velle majestatem vestram a concordia, affinitate et amicitia recedere; immo etiam obnixe se ejus potentissimam majestatem petere, ut majestatem vestram in negotio successionis et obtentionis Transsylvaniae nolit vexare, sed manere in ea ita permittat, ut Joannes quoque rex olim suus maritus cum majestate vestra convenerat; quod non dubitamus regem Poloniae facturum beneficio Christianitatis et suorum limitum; et si etiam tum matri tum filio addendum esse aliquid videretur, non existimaremus majestati vestrae damnosum, dummodo ad hoc induci possent, ut Petrum Petrowyth revocarent. Verum haec omnia majestatis vestrae sint judicii; nos tantum pro fidelitate nostra sententiam nostram dicimus, quantum intelligere possumus.

Ut elaboret majestas vestra etiam totis viribus apud catholicam et caesaream majestatem, ne velit quippiam conatuum remittere, quos in regem Franciae tam feliciter auspice Christo intendit; immo, si fieri potest, addat illis in dies aliquid virium; dici enim non potest, quanta vel ex his, quae hactenus illic gessit, non solum ejus caesareae sed etiam vestrae regiae majestatis rebus accesserit existimationis. Et quia mari etiam triremes ejus caesareae majestatis strenuissime et felicissime gesserunt se contra Turcogallicam classem, quae ubique dicitur damna accepisse, sine dubio audimus et Gallos paulatim excidere ex horum animis, et nos in aliquam benevolentiam successuros, simodo tempestive hae occasiones complectentur, de quibus jam praemisimus. Ac primum supra omnia misso Transsylvaniensi tributo, deinde perstare in eo sincerissime, quod revera pacem et

amicitiam imperatoris Turcarum desiderat majestas vestra. Hoc autem propterea, quia non desinit inficiare Petrus Petrowyth, nuncians huc, fictive majestatem vestram pacem petere, quum istinc bellum appararet. Nos tamen non dormitanter occurrimus his mendaciis, speramusque ita opera nostra a Turcis hoc tempore cognitum iri Petrum Petrowyth, ut nunquam alias fuerit; meliusque et consultius egisset, si adhuc in sua veteri pusillanimitate permansisset, viris remissa audacia. Sed de his hactenus.

At quod ad nos attinet, adhuc Domino adjuvante incolumes sumus, eoque loci habitamus, quo nos Joannes Maria dimisit, tractamurque et bene et honeste. Et licet initio nobis non pateret exitus, die tamen XXII. Septembris, quum Matthias Ally, subita et triduana infirmitate correptus obiisset, amplissima facultas exeundi, quocunque vellemus, concessa est, et exinde ita honoramur, ut ipsi etiam miremur satis; alioqui parcė utimur ejusmodi libertate, timentes gentis mores, et ut nos magis a modestia commendaremus, nec opinione fallamur. Quia multis ex locis audimus, nos hic gratos esse oratores, quid tamen consequetur, in manu Dei est. Amici etiam majestatis vestrae, quos nobis in arcano dimisit Joannes Maria, frequenter nunciant, velimus esse bono animo, quia bene expediemur, dummodo cito reverteretur ipse Joannes Maria. Laetificant nos haec, unde tamen fit hoc, nescimus plane, nisi ex praesentium rerum statu. Dicunt enim et imperatori Turcarum difficile futurum negotium in Persia, et commoveri non parum successibus caesareae majestatis contra suam classem. Quod autem orator Gallus hinc discessit, ajunt petiisse imperatorem Turcarum a rege Franciae

trecenta millia coronatorum, impensa ad hujus suae classis expeditionem, quam summam idem Gallus persoluturum sese ei spoponderat. Orator igitur, nacta occasione subducendi sese abhinc hoc praetextu, dixit se pro hac pecunia reportanda abiturum. Quanquam alii aliter judicant, quod scilicet detineri timuerit ob classem hujus principis male regis ejus ministrorum incuria pessundatam. Dictum est, his de causis et principem de Salerno vinctum fuisse catenis a Durguto *), et Constantinopolim duci. Sed adhuc veritatem non sumus assecuti. Quapropter nos his consideratis, clementissime rex, humillime sollicitamus, dignetur curare, ne his occasionibus desit; sed et tributum cum Joanne Maria cito mittat, et agat apud caesaream majestatem, ut fortius indies Gallum urgeat.

De rege Persarum nihil adhuc habemus, quod affirmare possimus, quia multa multi loquuntur, et res circa initia versantur. Illud tamen pro certo ferunt, quod Otomanum non timet, et quod habet in suis partibus Georgianos et Kurtenses quosdam populos non exiguos neque imbecilles, nititurque exercitu longe majore quam alias; proximeque nunciarat huic principi, quare se tam frequenter frustra persequeretur. Ego, inquiens, infestabo te quam maxime potero, donec paratus occurreris, et ubi in aciem aderis, fuga a te revertar, et intima ac longinqua regni mei petam. Sic tu cum recesseris delusus, tum mole fractus, omni in loco lacessendo et carpendo te, imminebo tuis agminibus, quamdiu fines meos excesseris. Vulgatum et illud est, proximis mensibus uxorem hujus principis et filiam et Hruztanum passam generum, nolentes eum ad Persiarum expeditionem

*) Torghud, a török hajósereg egyik vezére.

proficisci, scripsisse litteras ad ipsum Persam, illum hortantes, ut oratorem de pace mitteret, offerentes, se omnia pro voto ejus expedituros. Qui dum misisset oratorem, de quo aliis litteris scripsimus, nec de pace quicquam obtinuisset: ubi primum cognovit Otomanum in Asiam trajecisse et exercitum contra se serio ducere, iratus uxori et filiae ipsius Otomani et Hruztano passae, praefatas ipsorum litteras ad Otomanum misit, vindicaturus se hoc facto a dedecore quodam, tanquam praeter decoram pacem postulasset. His litteris visis, ita dicunt fuisse ipsum Otomanum perturbatum et ira percitum, ut oratorem Kasuli mox carceri manciparit, affectoque rege Persarum injuriis, rusticum hominem appellando, uxorem quoque et filiam una cum ipso Hruztano passa capite voluerit multare. Sedatus est tamen reliquorum passarum consilio, ne in tanta expeditione tumultus aliquis oriretur, adhuc tamen dicitur Hruztano passae indignari, solumque omnia belli per sese munia agitare, quodque iter ad id tempus duobus diebus conficiebat, hoc jam uno deinceps coepit conficere. Jam autem in Karmaniam fertur pervenisse, ad civitatem quandam Album Castrum appellatam, quo loco ipse firmabitur, ac per duces ac duos filios rem geret contra regem Persarum, quorum filiorum alteri, Zelimo scilicet, Aly passam eunuchum in capitaneum adjunxit. Alter sexaginta millia hominum habere, et propinguissime ad Casulem rem gesturus dicitur accedere. Quicquid deinceps de iis et de aliis rebus successerit, curabimus majestatem vestram facere certiorem. Verum interim quod ad majestatis vestrae nuncios attinet, videtur nobis non oportere posthac mittere via Turcica, quia casu ambulant,

hicque quum huc pervenerint, prius apud passam coguntur litteras deponere quam nobis reddere, in quibus si quid quandoque inveniretur, quod hos offendere posset, aut quod supprimendum sibi ex usu foret et nos scire expediret, majestas vestra consideret, quantus committeretur error. Igitur nostra sententia est, ut continuetur via Veneta, et si etiam adjiceretur Ragusinorum officium, res esset valde commoda, neque opportuniores viae repiriri possunt, quia quum majestatis vestrae nuncii per Turciam veniunt, partim Budae, partim aliis in locis detineri solent, intra quam moram multa intercidunt, ut inter os et offam, quod proverbio fertur. Mercatorum litterae volant et saepe praecurrunt tempora. De impensis nostris adhuc adderemus aliquid, praesertim quod nobis in Asiam Turca est prosequendus. Verum quia nobis de gratia et clementia majestatis vestrae nullum est dubium, arbitrio suo rem nostram commendamus, parati ad omnia, quae jusserit, ut fideles decet. Majestas vestra felicissime valeat. Quinta Octobris, Constantinopoli, 1553.

XXXVIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Quid sit in causa, nescimus, sed indies melius 1553. oct. 17. atque honestius tractamur. Passa etiam Zynan, Hruztani passae frater, qui hic imperatoris Turcarum locum tenet, frequenter nobis mittit eduliorum munera, et licet timeamus Danaos et dona ferentes, signa tamen bona ostendunt, et quod dant, accipimus, et quae nobiscum agunt, boni consulimus. Caeterum quoniam nequimus locupletare multis epistolam, quod

casui committitur, illud tantum significamus, dedisse nos litteras ad majestatem vestram quinta hujus mensis via Veneta, per manus domini Dominici Gastelu, quas nisi prius majestas vestra receperit, videretur nobis, ut ad ea, quae per dominum Joannem Mariam misimus, certum responsum non faceret, praesertim si quid secus de Transsylvania statuere cogitaret, quam commodum et existimatio majestatis vestrae suadeat; quia longe meliora speramus, jam hoc tempore nos consequuturos, quam quum Joannem Mariam expediebamus. Hoc addentes, si non fallamur, nam et amici illi secreti, quos scit Joannes Maria, nunciarunt nobis VI. die mensis instantis per Judaeum, eidem Joanni Mariae notum, Hruztanum passam litteras nostras cum exemplis earum, quas majestas vestra ad nos miserat, benigne accepisse, cognito ex eis animo suo erga imperatorem Turcarum, studioque in servatis pacate finibus istis sincero et firmo. Addiderant praeterea, quod de omnibus rebus, nominatim vero de Transsylvania etiam bonam essemus habituri expeditionem, modo Joannes Maria reditum maturaret; et hortati demum, ut vellemus laeti et bono esse animo etc. Haec scribimus, ut referuntur nobis, non omni spiritui credentes, quum in his rebus Thomae esse volumus, quibus majestatem vestram moveri, aut aliquid firmiter constituere oportebit; unde et attentius, dum nobis ejusmodi referuntur, advigilamus nostro muneri, tota animi vi in occasionem intenti, si quam apportaret praesentium rerum cursus, viaque nobis patefieret, ad attentanda, quae initio nequivimus.

Haec exarare ad majestatem vestram coeperamus, quum ecce majora interveniunt, nolentesque jam

incepta retinere, sic ea subjungimus. Hic princeps laborat malo domestico, Mustaphae filii vexatus ambitu imperii, eum proxime una cum filio, quem secum deduxerat, fecit in tentorio suo suffocari; passas inde, Hruztanum passam primum, et Haidar passam ultimum movit magistratu, dignitate, loco; et Achmat passam, qui a Hruztano passa erat secundus, primum constituit. Nec ista pluribus describi possunt, quod causae adhuc certae ignorantur. Haec autem, quantum intelligimus, acta sunt ad Atinam, locum quendam sex dierum prope Alepum. Suntque hic Constantinopoli omnium animi consternati, metu ne quid ipsi accidat principi, quo in casu soliti sunt in praedam verti; ubi nos quoque quid periculi metuamus, majestas vestra consideret.

Verum quod ad rem attinet, majestas vestra festinet expedire Joannem Mariam cum Transsylvanis et eorum munere honorario; faciatque eosdem Transsylvanos fateri hic fidem suorum erga se, curetque reginae Isabellae filium prohiberi ab ingressu Transsylvaniae omnibus modis; et si etiam persuadetur mater, ut misso huc proprio nuncio, abdiceret se Transsylvania, haec vel sola res omnem controversiam sedabit et absolvet. Caeterum ipsa majestas vestra (nisi aliis quibusdam de causis mutaverit sententiam) perstet novis litteris et commissionibus ad nos datis, in petitione hujus pacis, ne si secus faceret, et nos repereremur in mendacio, et a Persa revocaretur expeditio. Quod quidem facile fieri posse arbitrantur, cum propter has turbas in castris ortas, quae videbantur tota in Muztapham conversa, tum si pax quoque inter caesaream majestatem et regem Franciae sequeretur, de qua hic sermo est non exiguus, cujus

pacis tractatio etsi nobis certo non constat, diligenter tamen erit respiciendum ad vafriciem Galli, ne quum se hinc atque inde premi videat, parumque et Acheronte mari, et terra juvatur Superis, ea ipsa vafricie et progressus caesareae majestatis contra se sistere ac differre, et pacem majestatis vestrae cum imperatore Turcarum impedire curet. Quae quidem pax, etiam sequente illa cum rege Franciae, necessaria videtur esse Hungariae, donec et ipsa respiret, et majestas vestra vires recolligat, Deusque felicius rem gerendi occasionem porrigat, (cujus jam) initia videntur quodammodo scintillare. Alioqui in manu majestatis vestrae est omne consilium et rerum cognitio.

De Transsylvania vero id et nunc et post erit agendum, quod hactenus. Nempe expeditis, quae jam ostendimus, rogabitur Otomanus et passa ejus, quicunque primus fuerit, ut consideratis considerandis etc. permittat majestati vestrae Transsylvaniam. Nec id forsan, ut speramus, aegre jam obtinebimus, si quo pacto etiam rex Franciae incipiet cum imperatore Turcarum claudicare, pacem caesareae majestatis amplectendo; et reginae Isabellae filius haerebit in Silesia; munus apparebit honorarium; et passa aliquis tractabilior, et Gallis alienior Hruztano successerit. Nec dubitamus Achmat passam ad propositum nostrum futurum, modo non et huic alius surrogetur, Mehmet scilicet zangiachus Bosnensis, quem jam accersitum esse ajuut. Dubium tamen hoc. Et jam Achmat passa fungitur eo munere, cujus majestas vestra dignabitur meminisse in expeditione Joannis Mariae. Haec complexi sumus quam brevissime potuimus, quae in praesentia videntur esse consideranda; reli-

qua quoque curabimus non segniter, quaecunque successivis diebus inciderint et cognoscemus.

Et quia jam tres fasciculos litterarum a majestate vestra accepimus, praeter illas de Ally Matthia, primum per Petrum Horwath, secundum vero et tertium diverso tempore, et ejusdem exempli per Venetias datas; ad quas omnes litteras nos quoque V. hujus mensis per eandem viam unis tantummodo litteris respondimus, quas ante a majestate vestra intelligi desideramus, quam Joannes Maria expediatur, tametsi munus honorarium cito praeparetur. Et si fieri potest, dignetur curare ut apud Ragusinos habeamus unum hominem paucarum impensarum, et soli illi senatui cognitum, qui litteras tantummodo nostras Venetias ad dominum Gastelu, et majestatis vestrae ab eo ad nos mittat. Quia aliter res mutuo cognoscendae longiore mora inter nos tenebuntur, et praesertim nunc, dum dies quaelibet aliquid novi affert.

Est etiam aliud, de quo majestati vestrae scribendum esse duximus. Nunc quoque venerunt huc Transsylvanorum nuncii cum litteris, qui nec adierunt nos, nec de nobis quaesiverunt. Et licet nec illud plane scimus, quare venerunt ii, est tamen nunciatum, quod tributum praeparaverunt, et nescimus quae alia similia, suo forsam nisi, si non fallimur, auspicio agentes omnia, tanquam si nullum haberent caput, uti in Asia de Georgianis ferunt. Haec (res) clementissime rex, nobis non probatur, quia derogat et honori et commodo majestatis vestrae. Ideo humillime scribimus, ut huic errori, si modo error sit, occurrat, et agat, ut deinceps nemo illinc veniat, nisi nomine majestatis vestrae, quo nomine et tributum eorum aportetur. Sic enim res majestatis vestrae hic

majoris erit ponderis, dum apparebit non ab alio pendere Transsylvaniam, quam a majestate vestra.

Praeterea capti sunt quinque hajdones apud Budensem passam, qui fatentur, se esse homines Stephani Nagy castellani in Tata. Idque constat. Et ajunt vi se compulsos a praefato castellano suo, ut praedarentur in ditione Turcica, nil induciis obstantibus. Quod videtur negare Stephanus. Verum de hoc nunciavit passa ad Portam, majestati vestrae non exiguum intenditur negotium. Quare supplicamus, ut his dignetur occurrere, immo etiam corripere similes audaculos, et omni studio anniti, ut fines isti quieti et securi conserventur. Quod multum proderit ad infirmandam passae causam et ad conciliandum animum imperatoris Turcarum erga majestatem vestram. Nobis autem adhuc hic nullum vel ab hominibus reginae Isabellae vel Petri Petrowyth exhibetur negotium. Illud tantum molestum est, quod negotiari nequimus, utpote longius a curia constituti. Addimus et de cursoribus, quorum, oratores qui hic manent, debent habere aliquot sibi conciliatos et addictos, quo iis uti possint, emergentibus rebus arduis et repentinis; quia non semper proprii homines mitti possunt, nec ad discretionem Turcarum mittendi sunt tabellarii; cui necessitati nullus subjacet oratorum, qui hic nunc agunt. Alioqui si horum cursorum opportunitate carebimus, minus commodi erimus. Si igitur quospiam cum litteris ad majestatem vestram miserimus, supplicamus ut eos sic remittat, ut servire majestati vestrae saepius non graventur. Majestas vestra felicissime valeat. XVII. Octobris, Constantinopoli, 1553.

XXXIX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Causam et successum mortis Muztaphae, filii hujus principis, quam verissime sciri potuit, sic accepimus, ut mox describemus. Quanta autem ferebantur retroactis temporibus de affectatione ejus ad paternum imperium, nunc demum patuit vanos rumores non fuisse, quanquam major hominum pars causam necis delationibus Hasszathyae uxoris et Hruztani passae generi impingunt, quum et is sibi metuebat a Muztapha, et illa suo potius cuipiam filiorum venaretur imperium, ne si privignus eo potiretur, ipsa exularet privata, filiis vero orbaretur. Sed haec secretiora a prudentibus in medio relinquuntur, quod plane non intelliguntur. 1553. oct. 18.

Caeterum dicunt patrem in hunc filium, quem prae caeteris diligebat, caede non usurum fuisse, nisi compertum habuisset eum parricidium cogitare, eaque causa filii scelus atque impietatem antevertit. Criminatus est autem clandestinum foedus cum Persa de intercipiendo patre percussisse, cum promissione de filia ipsius in uxorem accipienda, quum jam nequiret pati diutius imperare patrem, vereretur que, ne ipso excluso, alius quispiam fratrum ex noverca sceptris sibi jure primogeniturae debitis potiretur. Quum pater impia filii deliberatione in se certis rationibus, signis et (ut dicitur) testibus perspecta, neci illum ut meritum addixit, quamquam et moestus et dolens, quod charissimo filio esset cariturus, verum nisi eum tollendum maturasset, paulo post a toto ferme exercitu destituetur, adeo jam omnium voces

sultanum Muztapham personarent et vociferarentur. Forte igitur, quum jam pater in Athynae, ut quidam volunt, ut vero alii, in Ericly *) urbis cujusdam campos pervenisset, ex quibus ad Alepum iter senum castrorum restabat, occurrit ei filius una cum nepote, non accersitus, studio ejus salutandi. Ubi quum intime in tentorium fuisset admissus, seque celerrime effudisset versus fimbriam paternae vestis, quo illam veneraretur osculo: pater se extraxit, filioque ad se accedere prohibito, et affecto gravi vituperio, mox eum jussit in recessum quendam tentorii secedere, prolatoque inde per ministrum gladio, Hruztanoque et Haydar passis turbulentiore vultu porrecto: Abite, inquit, et Muztapham occidite, ejusque carne saturemini, quem occidendum voluistis. Horum enim potissimum semper sententiam fuisse ferunt, quod quamdiu Muztapha viveret, nunquam careret insidiatore imperii, nec quieto futurus esset animo. Sic rejecto ab se filio, passisque renuentibus eo se foedare sanguine, misit post eum Kappy-agam, summum cubiculariorum suorum praefectum cum aliquot sociis, isque invadit Muztapham, comprehendit, dicitque patris esse mandatum, ut una cum nato occidatur. Cui ille resisterit, necne, nondum constat. Illico tamen conjecto illi in collum arcus nervo, primum os suffocant, deinde filium, cadavereque ejus in curiam elato, multos terruit, et declaravit, **) posse se adhuc imperare. Interim vero dum Muztapha in tentorio intus conficitur, foris pro tentorio duodecim ejus insigniores viri, qui propius cum domino accesserant, trucidantur. Interfecti tum et magister stabuli, Imbrahar dictus, af-

*) Eregli-Archelais.
**) T. i. Szulejman.

finis principis, et omnes, qui manus filio et nepoti intulerant. Secuta mox et caedes latior, nempe omnium qui et cogniti sunt partium fuisse filii, et qui fuerunt suspecti, exprobrantibus occisoribus iis, quos occidebant mandato principis: Ite ad sultanum Muztapham et eum imperatorem facite. Non potuit pater tunc non doluisse de casu filii; ideo et flevisse, et pilum evulsisse dicitur. Caeterum tanta perturbatione ab eo tempore agitur, ut furere eum ira nuncient, quotidieque ejusmodi caede madent, madebuntque etiam imposterum, uti multorum est sententia, quamdiu cognoscet, vel unum superesse, qui de filii majestate somniabant. Et sunt qui affirmant, ne uxori quidem et filiae parsurum, ubi redierit, quas alii tristari, alii laeta choraulium et musicorum tripudia celebrare dicunt. Allatum etiam, quod et zolakorum ducem in domum ejus miserit, ut cum matre uxorem quoque et reliquum liberorum ae propinquorum totum genus extinguat. Sic ejusmodi ad majestatem vestram scribimus, ut ad nos vulgo deferuntur; et multa etiam dicuntur in contrarium, major tamen pars in hoc consentit.

De Hruztano et Haydar passarum caede, aut ubi sint, nondum plane scitur. Abrogatum tamen illis est et officium et dignitas, et multi eos quoque mortem non evasuros arbitrantur. Causam esse tantum soli principi notam, cur sic reservantur; quanquam sperent victuros aliqui. Verum, ut relatum accepimus, jam is princeps et filiam sejunxit a Hruztano passa jure suae legis, et eam zangzaco cuidam Aly nomine, qui praeest Cayro, fertur desponsasse. Hunc in modum actam esse Muztaphae tragoediam, narrant, Prusiamque in Bythiniam corpus ejus jam defertur, ubi etiam sepelietur. Quicquid posterea verius cognoscemus,

scribere non omittemus. Perpetrata caede Muztaphae, princeps donativum fecit janizaris solito amplius. Unde quidam propterea, dicentes, donasse janizaris, ne ob mortem filii, quem magnopere complectebantur, tumultum suscitarent; expeditionem nullo pacto intermittere posse, ne jam parato ad bellum hosti, et finibus suis imminenti et se et sua periculo exposuisse videretur. Verum de hoc quoque, ubi veriora cognoscemus, perscribere non negligemus. Majestas vestra bene valeat. XVIII. Octobris, Constantinopoli, 1553.

XL.

Zríni Miklós bánnak Verancsics és Zay.

Verancius et Zay Nicolao Zriniensi, bano.

1553. oct. 19. Nos Dei gratia adhuc incolumes sumus, tractamurque et honeste et commode, et speramus, Domino adjuvante, commodam expeditionem, sed non antequam Joannes Maria collega noster redierit a regia majestate, domino nostro clementissimo; hoc interim Constantinopolim incolemus. Hic princeps cum tota sua vi profectus est in Persam, et jam non multo longe est ab Alepo civitate, ubi cum vidisset et certo cognovisset, non minorem (hostem) sibi esse Muztapham filium, quam Persam, quocum conjurarat in perniciem patris propter ambitum imperii: eum imprimis voluit pater conficere, postea in Persam promovere. Parvo itaque negotio per cubicularios suos suffocato filio, una cum nepote parvulo, qui cum patre avum salutaturus advenerat, in publicum dicitur evestigio proferri jussisse cadaver. Quo facto omnem suam portam terrefecit, eique declaravit, imperare se ad-

huc posse, filiorumque impietatem non esse tolerandam. Caedem filii multorum caedibus sociavit, eamque dicitur continuaturus, quamdiu vel unum subditorum suorum et militum superesse cognoverit, qui filii majestatem somniabant Non pepercit occisoribus quoque ejusdem filii, esto quod jussi manus in suum genus intulissent. Parum haec visa sunt ad explendum paternae correptionis cumulum. Zolakorum quoque ducem misit in praefecturam ac dominium ejus, qui matrem, uxorem, reliquum liberorum, et quicunque eum ex cognatis, agnatisque contingebat, extingueret. Hruztanus passa cum Haydar passa, ultimo vesiriatus sui collega, privatus est officio, dignitate et loco, et dubium est adhuc, evasurus ne est, an non, quanquam Scutarum, ut nunc vocant, locum Constantinopoli et Galatae oppositum, ubi aedes cum templo sua impensa exstructas habet, exulaturus reverti dicitur. Non difficile sane exilium et gratiae plenum prope uxorem et sub oculis esse principis. Verum, ne id quidem adhuc certum. Locus ejus et officium collatus est Achmat passae, qui Temeswarum nobis ademit, afflixitque Agriam. Haec de praesentium rerum statu paucis, quia pluribus nequimus propter loca et tempora et hominum mores. Caeterum, quoniam nondum habemus mittendarum litterarum ad regem certam rationem constitutam, viaque Turcica minus est nostris tabellariis libera, donec partim de pace constituatur, partim propter eorundem mores, qui omnia suspecta habent: tua opera uti voluimus. Quare rogamus, ut quamprimum has acceperis, eas ad ejus majestatem mittere non graveris. Vale. Constantinopoli, 19. Octobris 1553.

XLI.

Fiume tanácsának Verancsics és Zay.

Verancius et Zay praetori et consilio civitatis Fluminum S.

1553. oct. 19. Quoniam nondum majestas regia, dominus noster clementissimus firmiter constituit media necessaria, per quae litteras ad eam mittere possemus: has praesentes, quoniam magnopere refert, ut quam celerrime intelligat, aliam viam reperire non potuimus, quam si eas ad vos dirigeremus. Si itaque eaedem litterae ad vos pervenerint, obnixe rogamus, ut velitis eas non gravate statim una cum tabellario earum ad ipsum regem nostrum secura via transmittere, facturi in hoc majestati ejus pro fide et officio vestro obsequium longe quam gratissimum, a nobis vero accepturi amicas grates et par pro occasionibus officium. Reliquum est, ut veniam nobis detis, si onus videbitur, quicquid a vobis confidenter exigimus; alio enim accurere tam repente quam ad vos non potuimus. Bene valete. Decimanona Octobris 1553. Constantinopoli.

XLII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1553. oct. 23. Subito nova, et continuis duodecim diebus confirmata ac in majus aucta de Muztaphae caede in dubium cessere, jamque a triduo eadem varie misceri, partimque in contrarium, partim ambigue referri coepta sunt, vivereque Muztapham narrant. Latius tamen ea fama recepta est, quae de casu circumfertur. Hruztanus passa adhuc vivit, privatusque officio exu-

lem agit Chalcedone sive Scutari. Ajunt janizaros ingenti vi tumultum in eum excitasse et quaesisse ad mortem, expiaturi ejus caede Muztaphae caedem, eaque de causa imperatorem Turcarum jussisse, ut se subduceret, donec praetoriani sui militis furor deferbuisset. De hac ejus pietate in Hruztanum passam multi fabulantur, et mirantur quod ei pepercerit, nemo tamen est, qui de rei veritate enucleatius loquatur. Heri audivimus fuisse revocatum in exercitum, quum jam Scutari expectaretur. Verum quid consequetur, in incerto est, et haec sic scribimus, ut ad nos perferuntur. Majestas vestra bene valeat. XXIII. Octobris, Constantinopoli, 1553.

XLIII.

Ferera Mihálynak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Micheli de Ferera comiti ex Reus S.

Aerumnis et captivitati tuae condolemus, tibique ex animo adesse posse cuperemus. Verum quoniam intellecto toto tuo negotio, aliis etiam ex locis fide dignis, non tantum ex litteris tuis, plane perspeximus, non esse hanc provinciam nobis aggrediendam sine expresso caesareae et regiae majestatis, principum nostrorum mandato; quum huc et illud accedat, quod antequam legationis nostrae effectum sortiamur, non possumus ea esse authoritate, ut captivorum liberationes procuremus, habentes magnae gratiae loco, quod foras etiam interdum exire permittamur. Hac igitur in parte non negamus tibi operam nostram, sed excusamus, quod eam hoc tempore usui tuo accomodare nequimus; tametsi, postquam, uti audimus, etiam 1553. oct. 26

religionem nostram exueris, et quibusdam consiliis tuis exitium urbis Viennensis procuraveris, nescimus quantum aut a nobis aut a principibus nostris pro te agi oporteat. Ubi vero tantopere exageras nobis quasdam Joannis Mariae Malvezii dissipationes de bonis regiis: possunt ea quidem esse et non esse, nos tamen non sumus missi Constantinopolim ut Joannem Mariam syndicemus, aut ut de ejus actionibus rationem exigamus, cujus integritatem et fidem etiam a majestate regis nostri laudari intelleximus. Ipsius vero astu hic nos non remansimus, sed voluntate et judicio nostro, nec refert vel tua vel nostra, ut id tibi latius explicemus. Illud tantum sat esse debebit: scias, dudum nos tyrones hujus professionis esse desiisse. Quicquid igitur habes adversum Joannem Mariam, id nostra opera ad regem non deferas, sed aut tua ipsius, aut quapiam amicorum tuorum alia. Erat autem, ut ingenue fateamur, tui officii, hanc de Joanne Maria criminationem, apud nos tunc intendere, quum adhuc aderat, quia facilius tibi coram respondere potuisset, quam quando absit, nec sentit quibusnam telis feriatur. Verum, ne agamus pluribus, haec nos tui laedendi, aut aerumnis tuis illudendi causa non scribimus, non enim odio movemur, sed non laudamus pugnas, quae cum larvis conseruntur. Rogamus itaque, ut nobis ignoscas, quia, ut ejusmodi aegre audimus, ita curas aliquas aggredi, sine scitu et voluntate nostrorum principum nequaquam audemus, quod malumus alienis exemplis discere, quam propriis, considerato loco, quo nunc sumus, et moribus gentis, apud quam agimus. Vale. Constantinopoli, vigesimasexta Octobris 1553.

XLIV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Quinta Octobris per Venetias, XVII. per Budam, XX. per Croatiam dedimus ad majestatem vestram litteras de multis rebus. Quoniam autem hic quotidie fit aliquid novi, ne hanc quidem occasionem scribendi praetermisimus. Scripsimus autem postremis caedem Muztaphae, et quaedam de Hruztano et Haydar passis. Et quia de Muztaphae morte certissimum est, jamque Persia habet illius cadaver: filium ejus annorum circiter septemdecim, cujus caedes dilata nonnihil fuerat, paterni quidam duces sustulere et in Circassiam profugere, quo et mater cum caeteris Muztaphae liberis dicitur ad suum genus evasisse. Quae vero aguntur cum Haydar passa, nescitur plane; sed omnino cassus est et exauctoratus, nec alia, ut ferunt, causa, quam quod cognitus est doluisse caedem Muztaphae, quodque Hruztano passae exprobrasset Muztaphae caedem, sic dicendo: Canis, confecisti demum nefarium opus, quod diu moliri inceperas. De Hruztano passa eadem ferebantur, et praeter omnium opinionem XXVIII. Octobris Constantinopolim satis honorate venit et in domo sua resedit. Ubi cum de ejus depositione et morte, cui addictum fuisse, paulo ante publica fama ferebatur, erat omnium hominum summa laetitia, sublatum scilicet esse hominem, quo superstite et dominante nemo laetari vel rebus vel libertate sua poterat: nunc omnes velut e caelo subita tempestate correpti moerent, et secum tantummodo lamentantur. Nec sciri certo potest, quo sit res ejus evasura. Nos quoque 1553. nov. 1.

plurimum id sciri refert, etsi summo studio laboramus, ut aliquid certi consequamur, tamen, quoniam de industria celantur a nobis omnia, omnino verum a nemine extorquemus, Dicunt tamen alii, quod officio Hruztanus passa non sit privatus, nisi ad tempus, dum militum animi, qui omnes in eum succensi fuerant, manifesteque illum ad mortem ob Muztapham extinctum petebant, sedarentur. Alii vero alia atque alia.

Et quum intelleximus eum visitari et honorari solito more ab omnibus, tam Turcis, quam aliis, et etiam ab oratoribus: nos quoque gratulatorio officio fungi voluimus. Habita itaque audientiae facultate nudius tertius illum adiimus, jam sub nocte, ut eramus jussi. Proque more illi gratulati salvum et incolumem et honoratum reditum, statim nos quaesivit de Joannis Mariae reditu, et an rediturum speremus. Respondentibus nobis uti res postulabat, et ipsius illustrissima dominatio commiserat, omnino rediturum; subjecit: Ita, si rex vester sic pacem acceperit, ut princeps meus optat, nimirum restituendo illi Transsylvaniam. Nec ad haec iterum nos respondere passus est. Cur, inquit, rex vester ingerit se in provinciam imperatoris? cur eo invito eam usurpat? quove jure tenere et sibi vendicare intendit? Respondimus: illo, quo eam ab initio habuerit et tenuerit; nihil alioqui agere, quod sciat esse contra imperatorem potentissimum, et aeque ratione Transsylvaniae et Hungariae velle ipsum imperatorem recognoscere, et honorario munere statis anni temporibus, quod jam saepe a nobis dictum est, prosequi, id eo potissimum, quod Transsylvani quoque alium regem, alium dominum, quam ipsam majestatem vestram, quemadmodum jam et ex litteris majestatis ve-

strae per nos ad eum missis, et per eas, quas proxime ad eum per proprium hominem misere Transsylvani, plane et ipsius illustrissimae dominationi et imperatori Turcarum constitisse credimus. Ait post: Et si imperator pacem cum rege Persarum confecerit et redierit, quid aut quomodo vobiscum agetur? Tum nobis plura addere volentibus interpellavit et dixit, noctem jam esse, abiremus, alias plura mutuo locuturi. Certiora de his rebus nequimus scribere. Igitur videt majestas vestra, dignetur ita curare Joannem Mariam dimittendum, ut pro Transsylvania solide loqui possimus, qua majestas vestra sese non spoliet, quia amissa illa reliqua Hungariae pars paulo plus nihilo erit. Caeterum quantum nos capimus conjectura, Turcae non Pupillo sed sibi Transsylvaniam venantur, commoditate Temeswari et Lippae. Vellent enim ea potiri citra negotium; et facile, sublato filio, aemulo imperii, Persam omittet interim, contra quem difficillime ducitur exercitus, quod etiam obtenta illic victoria parum utilitatis obtinetur; quum ad haec dicant, quod solius tollendi filii causa in Persiam ficte moverit expeditionem, quocum quandocunque voluerit pacem facere possit, nec desit causa in Hungariam promovendi, non restituta Transsylvania. Haec sunt, quae in praesentia hic geruntur et sciri per nos potuerunt, quanquam damus quotidie omnem operam, ut de praefata Transsylvania et certiora et gratiora cognoscamus, praesertim si haec bellua tolletur, quae est majestati vestrae parum amica, et constituetur Achmat passa, de quo nobis meliora nunciantur. Ubi autem diximus, mixtos rumores esse de reditu imperatoris Turcarum, et de expeditione prosequenda, majestas vestra nihil praecipitet in Transsylvaniensi

negotio, et eam curet tacite custodiendam et confirmandam e regione Lippae. Et si quo casu omittetur pax in Asia, in omnem eventum majestas vestra incipiat a longe providere de rebus ad bellum pertinentibus, in eoque potissimum, ut rex Franciae ab imperatore Turcarum (disjungatur), si modo illi erit fidendum et fieri poterit. Classis Turcica revertitur et dicitur jam in Epiro esse. Homo Transsylvaniensis, de quo aliis litteris fecimus mentionem, opportune attulit huc litteras domini episcopi et dominorum vajvodarum, eaque excusatione tributi nihil pro nunc facere potuisset melius ac ingeniosius, uti postea ex eodem homine, clam in secretum locum advocato cognovimus et judicamus, modo Transsylvani ipsi perstent constantes.

Redimus iterum ad Hruztanum passam. Quamprimum venit huc, jussit omnes captivos et equos et alias res divendi; et quod ea sola causa huc venit, ut experiatur, an ope uxoris imperatoris restitui possit in pristinum, pro quo jam fertur scripsisse ad maritum in hoc negotio, idque solum responsi expectari, quod si gratum non redierit, iturum se ad Meccam sui prophetae, qui mos est hujusmodi exulum. Sed dicitur et hoc: quod nudius tertius duo ciausi ab imperatore venerant vocantes eum ad Portam. Propterea nos etiam serius admisit ad audiendum, constitutus forte in agonia; quod signum malum est, quandoquidem ajunt, exercitum sedari non posse, nisi in medium adducatur. Sed evitaturus periculum, ad Meccam potius ibit, uti jam diximus. Quoniam praeterea Hruztanus passa ita duriter nobiscum erat loquutus ex parte Transsylvaniae, nunciaveramus illi secreto amico, de quo alias: quid sibi velit, quod sic passa

nobis etiam de Transsylvania nefasta nunciarit? Respondit: nos moveri non debere, quia nunc passa nihil potest, nec est quod ad ipsum de publicis rebus quicquam pertineat, et quicquid locutus fuisset nobis, ex se fuisset locutus, quia fortasse aliud quod loqueretur non habuit; et si me consuluissetis, neque ut adiretis eum, permisissem. Verum quod attinet ad Transsylvaniam, si imperator pacem faciet cum rege Persarum, difficile erit vestrum negotium; si non faciet, obtinebitis, quod volueritis. Facturus vero sit cum rege Persarum pacem, nec ne, dubium est; sed frequenti rumore circumfertur, quod faciet. Non praetermittemus etiam illud, quod dicunt ipsum Hruztanum passam intulisse manum Muztaphae. Sed audita referimus; et hac impietate valde ajunt esse confusum, unde nobiscum quoque visus est loqui non aliter, quam valde perturbate et alia secum volutans.

Petri Horwath dimissionem non obtinemus, nec scimus a quo eam petamus, cum nec Hruztanus passa eam concessit, nunciato, quod eam brevi ex Porta simus habituri, opera fratris sui Zynan; quam nisi prius obtinemus, Petrus hic haerebit. Non propterea deerit per nos, conducere cursores, et mittere, quoties res arduae et scitu necessariae occurrerent.

Sed hucusque perducta epistola, relatum quoque est, scripsisse huc unum ex vexillariis imperatoris Turcarum ad suam domum: esse provinciam quandam in manu regis Persarum, Syrwan appellatam, sibi vicinam, quam imperator petit a rege Persarum, et pacem illi pollicetur. Ille vero, eam se illi non daturum nisi cum cervice, edicit, et de hoc nunc illic tantummodo tractari dicitur. Unde qui nobis haec re-

tulerunt, dixerunt, ipsum id principi Turcarum negotium esse cum Persa de Syrwan, quod in Hungaria cum majestate vestra de Transsylvania. Nunciavit praeterea idem vexillarius, capita totius exercitus Muztaphae omnia defecisse ad Muztaphae filium, huncque filium arbitrantur homines, eum futurum aliquando, qui Turcicae seditioni causas excitabit, adeo multorum indignationes mors Muztaphae concitavit. Addidit etiam illud, quod janizari caeterique militum ordines imperatoris Turcarum noluerunt donativum accipere, quod eis fecerat, donec Muztaphae sicarium eis protulisset; fuisseque per eos tumultus 60. circiter sagittis tentorium principis confixum, quibus et impietas illi in filium, alligatis schedis, exprobrata est, et efflagitatus author Muztaphae caedis. Quas ob res in tantum imperatorem Turcarum ajunt esse perturbatum, ut quandoque stupore corripiatur. Sic, clementissime rex, majestas vestra consideret haec omnia, et quid agendum nobis erit, videat, curetque etiam propter Deum, ut facultatem habeamus, hoc est, media opportuna, per quae mox res emergentes majestati vestrae significare possimus; ne forte aliquis defectus nobis imputetur, cui causam dare nequaquam vellemus. Nunc hic princeps Alepi est, et mortem Muztaphae decima Octobris perpetratam ferunt; filius qui secum occubuit, septennem fuisse ajunt; major, data fide paterni militis salvatus est. Majestas vestra bene valeat. Constantinopoli, prima Novembris 1553. *)

*) Helyén láttuk ideiktatni Mahmud dragomannak hat nappal később Izabella királynéhoz adott levelét, mely eredetiben fekszik előttünk s jellemzetes világot vet mind az ügyre, mind az íróra.

Serenissimae principi et dominae dominae Isabellae Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae tanquam majestati reginali

XLV.

Dominego Trevisano velenczei bailónak (követnek) Verancsics és Zay.

Verancius et Zay Dominico Trivisano bailo Veneto.

Dolemo assai che il nostro congresso tanto si differisse, ma non potendo farsi altro per conto della voga di tempi e di costumi de huomeni, bisogna soffrirne. . . . . , ... 1553. nov. 6

. . . . Attento che dal principio della venuta nostra havemo desiderato di fare a vostra magnificenza reverenza et uffe-

---

tanquam dominae dominae et principi meae mihi semper colendissimae.

Serenissima regina, domina domina mihi semper colendissima. Post fidelium servitiorum meorum in gratiam serenissimae majestatis vestrae commendationem. Cum veni in Constantinopolim, imperatorem non inveni, nisi trans marem ad partes Persarum proficiscitur, et varia rumores ex parte imperatoris jactabantur; ea ob causa per unum mensem in Constantinopoli permansi; interim etiam magnificus dominus Rustan passa advenit, et ea omnia sinistra novitate, quae populi dicebantur, mendacia fuerunt. Nisi istud certum est, quod potentissimus imperator veraciter intellexit filium suum sultan Mustafam infidelem esse et sinistrum animum erga patrem suum habere, et mancipios imperatoris cum muneribus et dulcis verbis abtrahere, et imperium imperatoris ab patre suo occupare velle; ideo imperator dictum filium suum sultan Mustafa advocavit, quod de certis rebus Persarum secum colloquere et cum aliquo exercito ad partes Persarum mittere vellet. Ideo et sultan Mustafa cum istis dulcis verbis deceptus fuit, et cum bono apparato exercito et cum strenuis militibus ad imperatorem advenit, et ipse quoque cogitabat, quod cum aliquo modo mancipios imperatoris sibi una cum imperio adtrahere posset, et sperabat imperatorem secreta negotia sua non intellexisse. Habuit tamen unum consiliarium suum supremum, qui ista omnia imperatori occulte notificavit, ac quando sultan Mustafa muneram suam imperatori dedit et manus imperatoris osculare volebat, tunc custoditori ante portam tentorium imperatoris, dictum Mustafam cum tribus supremis capitaneis ex commissione imperatoris interfectus est, et postea imperator filium suum honorabiliter in civitatem Brussam sepelire misit; neque post obitum suo ruinae militum, sicuti dictum erat, fuit, nisi unus quilibet et omni mancipii obedienter in pace manserunt, mancipios omnes sultan Mustafae imperator honorifice pro mancipios suos accepit. Quod tamen imperator magnificum dominum Rustan passam in Constantinopolim misit, non quod de officio suo supremo consiliario

rire li ufficii nostri, per commendamento eziandio del nostro Serenissimo, lo quale ancora nel partir nostro, per la fiducia della amicizia, que ha al amplissimo e serenissimo senato di soa republica, ne commesse, che tal volta, non occorrendoci altro mezzo di mandarli lettere, usassemo la cortesia di vostra magnificenza, ciocchè per soa grazia e favore . . . . che lei fa, per Venetias fuisse licito ancora a noi scrivere; il che non havendoli potuto referire a bocca per li tramezzi sopradetti, la femmo intendere per le presenti con debito nostro ufficio, et preghiamo quella, che . . . . la quale il re ancora nostro reconoscerà, si con la amplissima soa repu-

deposuisset, nisi imperator ea de causa fecit: ne dicant militi et mancipii imperatoris in isto negotio dominum Rustan passam in causa fuisse, ne fortasse de alicui sibi aliquid mali contingat; et aliud etiam, id est, quod imperator recogitavit, cum sua majestas est in alia parte mare in partibus Persarum, ne interim Germani aliqua damna et fraudolentia in confinia imperatoris inhibeant; si aliquid fiet vel oportebit in partibus Hungaris contra Germanos bellum gerere, ut statim magnificus dominus Rustan passa bellum moveat. Potentissimus imperator oratores regis Persarum honorifice ad regem suum dimisit, et nunc sua caesarea majestas hilariter in civitatem Halap proficiscitur, istinc hieme permanebit. Et jam iterum rex Persarum binos electos oratores ad imperatorem pro confirmatione et petendo pacis misit, tamen quod concluserunt, nondum certum est. Ego vero non multum apud imperatorem tardabo, statim sua caesarea majestas cum variis felicis negotiis iterum ad serenissimum regem Poloniae mittebit, spero quod Deo adjuvante omnia negotia felicem finem habebunt. Ea et alia omnia latius et clarius ab spectabilo magnifico domino Alexander vojvoda Moldaviae intelliget. Credat mihi serenissima majestas vestra, quod non habet maugorem et meliorem amicum et confidentem, cui fidem adhibendum sit praeter spectabilem magnificum dominum Alexander vojvodae; ego vero pro fidelitate suo caput meum promitto, neque est dubitandum. Majestas vestra serenissima in minime negotio suo Mirzae vojvodae Transalpinense fidem non adhibeat, ipse enim neque Christianus nec verus Turcus est. Oratori Ferdinandi regis sunt sub bona custodia in Constantinopoli, sicuti et ego in primo fui captivus in Cracovia, spero enim in Deum Omnipotentem, quod isti dicti oratori non in brevis diebus Viennam videre, quia mendacia eorum sicuti sol in mundo declaratum est. Deus Omnipotens serenissimam majestatem reginalem una cum illustrissimo filio suo quam diutissime feliciter et victorialiter conservare dignetur. Datum Constantinopoli sexto die mensis Novembri. Ejusdem reginalis majestatis addictissimus Mahmud sen. interpres caesareae majestatis. m. p.

blica como con suoi ambasciatori, li quali sua maestà sempre è solita accarezzare. E ancora accadesse venire i lettere da Venezia nelli mazzi de vostra magnificenza o delli suoi, la preghiamo, si degni di farle capitar al destinato porto, ufferendoli di ragnagliare ogni suo piacere con li ufficii nostri. E con queste li baciamo le mani. Da Constantinopoli il sexto di Novembre 1553.*)

XLVI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Nunc hic quoniam res ferventissime miscentur, 1553. nov. 8. inclusas litteras suo die mittere distulimus dedita opera, quo duo tantummodo interim cognoscere planius possemus, quae videntur nobis potissimum esse cognoscenda et majestati vestrae nuncianda. Primumque est: quaenam tandem principis hujus de gerendo bello Persico sit futura deliberatio? Secundum: quem exitum res Hruztani passae sint sortiturae? Quae etsi difficulter cognosci possunt propter varia alia vulgo, vel etiam fortasse de industria primorum enunciata, ut serius veritas rei illucescat, qua certe Turcae plurimum et turbantur et erubescunt: tamen quia et haec, quae jam scripseramus, operae pretium erat, ut majestas vestra tempestive intelligeret, et ea quae postea de his cognoscere potuimus, sic mature adderemus, et nunciare curaremus, quae successivis diebus fiunt et dicuntur, esto quod adhuc nondum omnino in lucem veritas prodierit: Igitur quod ad primum attinet, omnia principis hujus plena (?) in castris Turcarum referuntur, nec sedari janizarorum et spahiorum animi

*) Az egykoru másoló, nem értvén az olasz nyelvet, néhány sort oly gonoszul irt le, hogy azok helyett megannyi sor pontot iktattunk ide.

possunt, donec Hruztanum passam ad necem illis exhibeat, et licet eis jam publicatum donativum fuerit, neutrum tamen accipere voluerunt; immo cum eo ex loco, in quo Muztapha extinctus fuerat, die quadam movisset Alepum versus, nemo eorum voluit sequi, ita ut confusus in tentorium redierit. De aliis quoque insolentiis eorum, quas dicuntur sagittis scripto alligatas in tentorium ejus ejaculari, mira sunt: vorasse scilicet eum filium suum, Deumque ob id iratum illi esse; nec jam se audere bellum secum gerere, nec ultra idoneum ipsum esse ad imperium, filios vero, quos habet reliquos non esse dignos ea majestate, quod ex meretrice nati sunt, quodque primus ebriosus sit, reliqui duo imbelles et nihili. His longe plura et enormiora dicuntur agere. Ita ut si omnia vellemus persequi et complecti, multis chartis opus esset. Omnia tamen in silentium brevi sperantur abitura, postquam primis motibus nihil facinorose aut violenter commiserunt Inclinatum praeterea ejus animum ad pacem cum rege Persarum ineundam multi ajunt, sed exiget ab eo, ut in ritus suos transeat, ut filium obsidem det, ut Syrwan provinciam sibi cedat. Ille vero renunciasse fertur, Syrwanum jure etiam legitimo ad se pertinere, sibique eo opus esse, neminique sine pugna concessurum. Caeterum se nondum adeo victum putaret, ut captivitate filii redimatur; cumque ipse tanta etiam impietate sit, et filii sanguine, qui generosior illo futurus erat, madeat cruentatus: non esse cur in religionem ejus abire debeat, immo etiam illud affirmare, se Turcam verum esse, illum Kasul passam (quo nomine per contumeliam ab Otomanis Persae nominantur). Sic major pars existimat hominum, pacem hanc non futuram, quandoquidem etiam a jani-

janizaris pudor illi objici dicitur, quoties de reditu ejus fit mentio, quasi occiso filio Persam quoque victum putaret; quia tamen ejus oratorem ex Alepo honeste et bene muneratum remisit, multi etiam in contrarium opinantur.

De Hruztano passa autem hoc habemus. Principem omnino eum salvum esse voluisse, ideoque etiam ad fugam ex castris ab ipso monitum fuisse dicunt, in qua duos equos, quos habuit optimos, primo in cursu confecit. Paulo post ejus discessum janizari invaserunt ejus tentorium, ibique impedimentis ac rebus omnibus direptis, tentoria quoque discerpserunt. Hic jam nullius rei administrationem gerit, visitur tamen a multis, et exit in templum ad orandum, et quanquam jam per trinos nuncios revocatus est ad Portam, ire tamen praetermisit, non ausus interim donec janizarorum animi complacentur. Haec vox vagatur latius. Secretus tamen ille amicus nunciavit nobis, jam Hruztanum passam omnino nihil esse, nec optare ad passatum restitui, diffidereque omnino rebus suis, et ad privatam vitam anhelare in aliquo Chyffluk,*) si hoc quoque illi concedetur; non victurum etiam alioqui imposterum, quocunque loco fuerit, nisi a Deo quopiam tolletur a terra in aëra. Causam dicit inexorabilem janizarorum pertinaciam, qui interim ad officium principis reversuri non sunt, donec manes Muztaphae, Hruztani passae morte expient. Sed neque haec adhuc omni ex parte confirmantur; quia res nondum ad catastrophen pervenerunt, indiesque magis ac magis miscentur, atque identidem aliter referuntur, cum his diebus etiam profugisse, rumor ediderat, domi tamen adhuc est, et e solius socrus pendet suffragio, quanquam nec illam futuram satis tutam vul-

*) Csiftlik falusi lakot jelent.

getur. His de causis nos quoque ex consilio amicorum nihil ad illum postea, nec ille ad nos; quod et amicus ille noster secretus sic debere nos interim sub silentio esse, donec Joannes Maria redierit. Caeterum nobis nihil adhuc ad eas litteras ex Porta responsum est, quas proxime scripseramus, nos eo misisse per Petrum allatas; hoc tantum quaesitus Hruztanus passa respondit: non potuisse illis vacare propter interventum ejusmodi turbarum, brevi tamen venturam relationem in manus Zynan passae, quo tempore et Petrum remittere poteritis. Igitur quantum ex his et aliis quibusdam signis et verbis conjicimus, interum nobiscum nihil tractabitur, donec Joannes Maria redibit, quo fit, ut vereamur imperatorem Turcarum de industria nihil confecturum conclusive dc pace cum rege Persarum, nisi prius certo cognoverit, quid illi majestas vestra respondebit de Transsylvania; cumque, ut intelligimus, sic ei est negotium cum rege Persarum ratione Syrwan, ut cum majestate vestra ratione Transsylvaniae, suspicamur eum sic se inter majestatem vestram et regem Persarum gesturum, ut quoquomodo possit, opportunitatibus suis consulat. Quid jam his de rebus futurum credimus, certo adhuc nescimus; tamen ut obvietur periculo, quod posset accidere, majestas vestra, nisi aliter postea quippiam statuerit, maturet dimissionem Joannis Mariae cum Transsylvanis et eorum tributo, quod profuturum speramus; dignabiturque triplicem etiam nobis dare informationem de gerendis et in solidum conficiendis rebus, hoc est, de retinenda et salvanda Transsylvania, quae concedi hostibus nullo pacto debet; nosque in hoc quicquid sciverimus et poterimus, tanto conatui, Domino adjuvante, non deerimus. Nec

enim est concedendum obstinatis, non pertentatis et insumptis omnibus rationibus, quibus obsisti possit, cum neque ipsi Turcae possint ea omnia utrobique, quae velint, et magna fama est janizaros apertis vocibus profiteri, Muztaphae se filium pro Muztapha habituros, eumque praelaturos Hassathiae liberis; unde ingentem factionem brevi apud hanc gentem multi surrecturam opinantur, quod ut eveniat, Deus Optimus Maximus concedat.

Reliquum est, nos haec, clementissime rex, non scribere sic, ut aliter esse non possint, vel ut majestatem vestram terrere, aut in aliquem errorem deliberationum inducere vellemus; fungimur tantummodo nostro officio, significantes partim quae hinc inde in hac clausura nostra videntur vel futura vel possibilia, quo multis simul consideratis et expensis, nihil agamus fortuito, et ita retinendam Transsylvaniam curemus, ut ea nulla ratione spoliemur. Quae quidem sola totam praesentem actionem sibi vendicavit, et majestati vestrae, totique genti nostrae negotium fecit. Nec de his pro nunc plura. Quando majestas vestra Joannem Mariam expediet, dignabitur habere rationem non tantum Achmat passae sed etiam Hruztani passae, ne si quo pacto restitueretur in pristinum, committeremus errorem; quia mirum est omnibus, quod cum dicatur esse cassus et exclusus, tamen Constantinopoli moratur in sua domo, quod exulibus ejusmodi nunquam concessum fuisse memorant. Classis Turcica vero LV. triremium 14. hujus mensis rediit Constantinopolim, nulla significatione laetitiae edita; advexit pro vulgari opinione sexcentos captivos communis plebis, ipsa ex singula trireme 40. et 60. et 70. homines amisit. Princeps Salerni, cum adhuc esset

classis in mari Senensis orae vicino, dicitur a quibusdam captivis terram cum suis descendisse, abominatus et Turcarum societatem et Gallorum fumos, caesareaeque majestatis gratiam quaesiturus. Utinam sapiat; quia neque hic habet famam nimis celebrem. Majestas vestra felicissime valeat, nosque sciat, adhuc, ut prius, quietos et incolumes esse, licet una cum civitate timuerimus agzyamoglanorum *) insurrectionem in hujusmodi tumultibus fieri solitam, ob praedam rerum Judaeorum, et, uti dicunt, reliquorum caurorum; **) jussu tamen principis provisum est, ut prohiberentur, distribuendo eos in diversas partes, ne in massam coire possent. Jamque cuncta hic videntur esse tutiora. VIII. Novembris, Constantinopoli, 1553.

XLVII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1553. nov. 15 Nos plura eramus scripturi, si licebit per tempus nobis parvi spatii datum. Ideo sciat majestas vestra, quaternas dedisse jam a discessu Joannis Mariae litteras de multis rebus, diversis viis, et postremas binas per conductos homines, ex quibus multa cognoscet majestas vestra de rebus, quae hic aguntur et dicuntur, et omnino non omnia affirmamus. Quia ut quicquid quaelibet dies attulit, et amici, quos habuimus et habere potuimus, nobis retulerunt, ita scripsimus; et nunc scribendi multa, eaque quae vellemus, quia facultatem non habemus, illud majestati vestrae affirmanter significamus: Muztapham cum juniore filio suffocatum, principis hujus exercitum post multas

*) Növendék jancsárok.
**) Gaur, a keresztyénnek is csúfneve.

turbas jam sedari, ed ad officium redire inceptum, pacemque cum rege Persarum tractari quidem, et ut nobis dicitur, etiam valde optari, interesse tamen magnas difficultates, quas proponit Turca, et rex Persarum non accipit; relationemque de dicta pace expectari intra paucos dies per oratorem proprium, quem cum Persae oratore Alepo expedivit. Quantum autem credimus nos de ista pace, non possumus quicquam certi affirmare, quia inclusi et custoditi, ut sumus, aegre ad cognitionem rerum pervenimus. Major tamen hominum pars credunt non futuram; et nihilominus in utramque partem multa est opinio. Hruztanus passa silenter, honorate alioqui domi suae residet, et licet jam aliquoties dicitur esse revocatus ad exercitum et curiam principis, nondum tamen hinc recedit. Nos autem quantumcunque satagimus intelligere de hoc utroque negotio veritatem, aliud tamen nostra conjectura non assequimur, quam quod sit inter illum et principem secreta aliqua intelligentia, et quod sublato imperii aemulo, olim filio charissimo, ita secum agetur, ut paulo post et rogatus et coactus ad pristinum reducetur officium. Si enim eum mori princeps voluisset, nec ipse quidem evasisset, ut alii evadere non potuerunt; et si privatum exulem fieri praecepisset, Constantinopoli, apud uxorem et suae domi in amplitudine simili solitae non exularet. Igitur quoniam plura scribere nequimus, et nobiscum nihil interim tractabitur, donec Joannes Maria redibit, majestas vestra festinet eum expedire, cum Transsylvanis et eorum tributo; praeoccupemusque, si ita majestati vestrae videtur esse consultius, tractationem cum Persis. Ad nos quod attinet, adhuc bene habemur et bene sumus; nulla huc venit querimonia

contra majestatem vestram, immo omnia bona hac in parte nunciantur. Fit majestati vestrae non parvo commodo, quod nobis etiam favorem videtur augere. Majcstas vestra bene valeat. XV. Novembris, Constantinopoli, 1553.

XLVIII.

A királynak Verancsics és' Zay.

Regi Verancius et Zay.

1553. nov. 17. Heri fuimus apud Hruztanum passam, hocque jam secundo ab ejus ex Asia reditu. Cum quo satis de rebus collocuti, nihil prorsus etiamnum ex illo accepimus, quod gratum, quodque pro voto majestatis vestrae foret; eandem cantilenam de Transsylvania occinit, quam antea. Et nisi quod ad finem expeditionis nostrae melius differat, respectu aut causa aliqua nobis incognita, hactenus tamen durus perseverat, et omnino principem suum ait velle Transsylvaniam, nec eam concessurum majestati vestrae, etiamsi non veniret in illam reginae Isabellae filius. In ea autem optione, quam nuper concesserat Transsylvanis de principe sibi eligendo, uti proximi nuncii in discessu nostro attulerant, principem suum non intellexisse majestatem vestram, sed reginae Isabellae filium, et aliquem ejus provinciae primarium virum; nec alia, quae hoc congressu secum contulimus, per hanc viam ausi sumus scribere, sed scribemus his diebus quinque, (?) tametsi nudius etiam tertius per Venetias scripserimus. Majestas vestra itaque sciat etiam haec ita, uti nos quoque accepimus, et Joannem Mariam festinet omni cum celeritate mittere cum Transsylvanis et eorum tributo, antevertamusque, si erit possibile, pacem Persicam, de qua, etsi in utram-

que partem, quod erit et quod non erit, magna est opinio et multus sermo, haec tamen passae durities circa negotium Transsylvaniae valde nos terret. De tributo autem urgemus, ne si forte non penderetur suo tempore, causa rei pro voto non confectae majestati vestrae impingeretur, uti de superiore quoque contigit, quod ratione Hungariae pendendum fuerat. Supra autem omnia afferatur et offeratur solius majestatis vestrae nomine, quia hactenus etiam domini Transsylvani multa egerunt hic suis auspiciis sive nominibus; quod certe sicut majestatis vestrae magna injuria factum est, ita veremur, ne in magnum et grave eorum incommodum redundet. Nec id fortasse nunc perspiciunt, (de autoribus loquimur) appetitu rei desideratae obnubilati, perspecturi tamen, quum ad fruendum fructibus devenerint. Majestas vestra bene valeat. XVII. Novembris 1553, Constantinopoli. Caeterum quater nos jam, praeter has a V. die Octobris dedimus de multis viis.

XLIX.

Verancsics Antal és Zay Ferenc az erdélyi püspöknek s az erdélyi vajdáknak.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Paulo Bornemiza episcopo Transsylvaniensi, Francisco Kendi et Stephano Dobo vajvodis Transsylvaniensibus S.

Transsylvania nobis magnum facit negotium, cu- 1553. nov. 17
jus rei et causam et culpam parcat Deus proximi motus et tumultus authoribus. Excusserant jugum Pueri, Foeminae, Monachi, quod vel me Verancio teste gravissime tolerabant, eoque liberari omnibus votis et viis contenderant. Nunc denuo, ut sit verum illud tritum proverbium: iis Deum mentem primo adimere

consuevisse, quos velit perdere, in quod et quale festinent tam sese, quam omnes caeteros conjicere, viderit malus eorum genius. Nec enim aliter possumus dicere, quia omnium jam prope apparentis ruinae causam videntur suscitasse. Clarius et copiosius scribere non possumus, quod ignotis litterae committuntur. Durum tamen habemus Hruztanum passam. Verum quia res omnis suspensa est ad reditum Joannis Mariae Malvezzi, nondum sumus spe destituti, sed interim nihil est certi, quod ad dominationes vestras scribere possimus, nihil dubitantes, quod a majestate regia domino nostro clementissimo omnia cum eis communicantur, quae in ziphris scribimus. Illud tantummodo vos et rogamus et obsecramus, ut postquam potiti sitis tam feliciter Transsylvania, de quo plurimum gratulamur, in eo potissimum elaboretis et enitamini, ut domini Transsylvani uno omnes consensu, una anima, una voluntate et studiis concordes sint in serenissimum regem nostrum, ne pyraustae vermiculi more, insperato malo, quaesito tamen hauriantur. Hic enim vermiculus luci lucernae gaudens, eamque pertinacius circumvolitans, dum lucem tantummodo illi inesse existimat, ignem invenit et exuritur. Conquiescant igitur aliquando tumultuari, quaeso, et alienis exemplis vitent pericula, ac sciant veri ac legitimi sui regis ductu liberiores et diuturniores fore, quam suo proprio, aut Pueri, aut Mulieris, vel etiam privati hominis alicujus. Elapsae enim sunt ejusmodi occasiones et tempora, quibus tumultuari minori periculo licebat. Et si etiam ii sapere voluerint, ne incidant in foveam, quam aliis fodiunt, certe Oppoliae sese continebunt, privatus vero ille Munkach colet, nec attentabit contra regem, quae contra Monachum minus est ausus.

Haec a nobis scripta in hunc modum, rogamus boni consulant, et mature regem suum intelligant, et quicquid publico pro commodo et conservatione rite geri oportebit, duce et ductore suo, eadem regia majestate provideant. Caeterum quicquid nobis mandatum fuerit, ad agendum segnes non erimus, nec deerimus nostro officio. Reliquum est, ut dominationes vestrae nobis ignoscant, quod has unas litteras tantis dominis communes fecerimus, casui enim commissae sunt, quia incerto tabellario; alioqui ratio conditionis cujusque nos non praeteriisset. De expediendo quam maturrime tributo non omittemus, valde est operae pretium futurum, ut quam celerrime afferatur. Igitur rogamus, curent illud diligenter; ac feliciter valeant. Decimaseptima Novembris 1553. Constantinopoli.

L.

Bornemisza Pál erdélyi püspöknek Verancsics Antal.

Antonius Verancius Paulo Bornemizza episcopo Transsylvaniensi S.

Multa sunt, quae hinc scribi possent, sed non 1553. nov. 17. licet tuto, quod peculiares tabellarios non habemus. Verum sciat dominatio vestra reverendissima, principem hunc filium Muztapham, revera ob affectatum paternum imperium, conjurationemque cum Persa in paternum excidium initam fecisse suffocari. Ea culpa quoniam impingitur passae Hruztano a janizeris et a toto fere exercitu, summotus est ab officio, nec adhuc plane scitur, an prorsus, an ad tempus, donec placentur militum animi. Et quia de hoc ejus statu multi multa loquuntur, nec quicquam adhuc in alter-

utram partem confirmatur, ego etiam hoc in medio dimitto, et facile futurum ambigam, paulopost ad ampliorem existimationem transiturum, nisi quid aliud intercesserit. Honoratur enim ab omnibus ut antea. In exercitu ob Muztaphae caedem graves fuere perturbationes, princepsque est vexatus non parum publicis, ut dicunt, conviciis, sed jam sedata ajunt omnia, pacique cum Persa componendae incumbitur, de qua quid speremus nos, si rogamur, nihil certi habemus, quod affirmemus, quia in utramque partem multa dicuntur; res tamen quoniam latere diu non possit, ubi primum prodierit, in lucem, curabo dominationi vestrae reverendissimae significandum, si per quem erit. Sororem ejus nullibi adhuc sum consequutus. Sambilotta mecum aportabo, si redierimus. Praeposituram meam, ac meos, meaque servitia plurimum commendo, nosque omnes hic bene esse et adhuc bene valere sciat. Decimaseptima Novembris, Constantinopoli, 1553.

LI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1555. nov. 27. Scripsimus hactenus ad majestatem vestram quinas litteras diversis viis, nec tamen adhuc scire potuimus, quid vel magni vel boni vel certi scripserimus, adeo nobis negotium est cum tyrannis barbaris et chameleontibus. Quum enim post tantam agendi circumspectionem quandam et modestiam rem in portum prope jam perduxisse crederemus, alto in mari navigamus. Porro XVI. mensis hujus, idque jam secundo cum Hruztano passa fuimus ab ejus ex Asia

reditu, non tam quidem instinctu nostro, quam illius, ut fortassis prioris congressus defectum suppleret, quanquam sic ciaus noster in hoc nobiscum sese gessit, nobis insciis, ut res a nobis processisse videretur. Verum non displicuit, paucisque ostendemus, quid apud eum egerimus.

Verba illius manifeste prae se tulerunt, quod Transsylvania majestati vestrae, nec sicut eam cupit retinere, concedetur, nec aliter; aliud enim non loquitur, quam quod ejus princeps vult pro se Transsylvaniam, dicens: quod cum bene sciverit rex vester Transsylvaniam ipsam ad meum principem pertinere, quare legitime datam non acceperit, nec eam suo tempore petiverit, sed postea, quando vi atque armis, eo inscio, occupavit. Frustra igitur esse, etiam loqui de Transsylvania remittenda, quam nisi majestas vestra ipsi Turcae, ut ajebat, remiserit, nullam pacem speraturam et contentam ea parte Hungariae esse debere, quam hucusque possederit. Ad haec nos etsi solita modestia usi fuerimus, ita tamen vicissim responsum est, ut intelligeremus honesto quodam modo silentium de hoc nobis suaderi. Non omisimus tamen dicere: potuisse regem nostrum sperasse ab ejus principe, non tantum Transsylvaniam ea conditione retinere, qua possidet, sed etiam aliud quodpiam regnum vel provinciam obtinere, quae ab avorum suorum memoria nemini fuisset collata. Caeterum si princeps ejus omnino induruerit in detrahenda regi nostro Transsylvania, sciret se illi cum pallio etiam indusium, quantum ad Hungariam attineret, detracturum. Itaque videas, domine passa, quantum et possis et velis amicus esse regi nostro, cui superioribus diebus tanta de te, et de amicitia et patrocinio tuo cum per

litteras tum per nuncios tuos fueris pollicitus, quanta te praestare posse rex noster magnopere confidit; proptereaque et nos tales oratores cum tali apparatu atque muneribus misit, ut hoc etiam magnitudinem principis tui honoraret et testatum faceret, sincero animo se amicitiam ejus optare. Ubi quum dixisset, impossibile esse, principem suum posse ea benevole cuipiam remittere, quae illi vi atque armis erepta forent, respondimus: regem nostrum nihil vi eripuisse ejus principi, sed sua ultro restituta recepisse, jureque optimo egisse, si quae sua sunt, noluerit alienis permittere; agnoscere alioqui principis tui vicinitatem et amicitiam, omniaque cum apud Deum, tum apud principes posse amicos: unde si ejus majestati verus amicus esse volueris, nihil erit tam magnum ac tam difficile, quin pro ea impetrare non poteris.

Et haec nobis agitantibus, intervenit Durgutius, Turcicae capitaneus classis, coram quo vires caesareae majestatis et vestrae majestatis coepit subridendo extenuare. Cur, inquiens, vester Spagna et Fernandus (sic enim majestates vestras semper nominat) nolunt bonam pacem habere cum meo principe, si secum nequeunt bello contendere? Videtis, quandoquidem cum paucis triremibus profectus est Durgut in ditiones vestri Spagna, damna illi intulit, nemine ab eo obviam prodeunte; idque eo factum est, quia contra principem meum nihil potest. Aliaque plura in hunc modum, insolenterque. Etsi nobis displicuissent, et potuissemus bono modo et lata mensura retorquere, modeste tamen respondimus: Id mirandum non esse, quia cum eadem in domo domestici inimicantur mutuo, parsque altera vult eam domum perditam, nec ita facile ea pars opprimi potest sine totius domus ruina, solet to-

lerari aliquandiu, nec interim quicquam in ea domo rite geri potest. Ideo cum rex Franciae in eadem domo religionis sit cum imperatore Carolo, et eam domum diu jam conatur evertere non tantum suis viribus sed etiam vestris adjunctis; idque non solum marte aperto, sed etiam latentibus quibusdam modis, Carolo nostro non ignotis: quid debuit imperator noster et prius et diligentius facere, quam Corsicam fortunae relinquendo, quae tamen sequenti die a discessu Durguti omnino signa pristina esset resumptura, toto conatu latentibus illis modis occurrere, quibus majora, quam esset Corsica, petebantur; idque vel et Durgut potuit cognoscere, si observavit, circa quaenam littora Andreas Dorea versabatur. Hic responsum non habuimus, sed digresso Durguto, nos quoque absoluti sumus. Et cum die sequenti barianum *) Turcae essent habituri, ad fratrem ejus ivimus Zynan passam, ut ei gratularemur de eorum bariano, et de salvo fratris reditu, commendaremusque etiam res majestatis vestrae. Quibus diligenter perfuncti eodem eum animo reperimus, quo et fratrem ejus, nobisque non ita sese comem exhibuit, ut alias.

Caeterum, quoniam de his rebus publicis Hruztanus passa pleno ore et firmo animo nobiscum loquebatur, tanquam nulla ex parte fuisset loco atque autoritate motus, isque sermo ejus nupero fuisset similis, videmur in eam adduci opinionem, ut nihil omnino de pace Persica dubitet, bellumque in nos ex Persia transferendi fomitem fovere pergat; idque eo etiam argumento, quod his duobus nobiscum congressibus vel semel eam chordam non attigerit, reginae Isabellae filio deberi Transsylvaniam, — forte quia jam

*) A bajram- ünnepet értik.

majestatem vestram firmatam esse in Transsylvania cognoverunt, — sed semper suo principi, quandoquidem esset illius et non alterius, et quod eam nemo vel majestati vestrae vel alii cuipiam potuerit sine scitu ipsius sui principis attribuere, in cujus demum juribus esse censeretur. Ubi cum dixissemus, principem suum permisisse Transsylvanis per proximos eorum nuncios optionem de eligendo sibi principe inter majestatem vestram et reginae Isabellae filium, fecisseque securos, quod utrumvis eorum elegerint, eum ipsis praeesse consensurum, et fore contentum: quare, si proxime in generali conventu omnes regem nostrum omnibus votis elegerunt, et eidem denuo sese in fidem tradiderunt, nihil certe principi tuo nec rex noster nec ipsi Transsylvani deliquerunt, nec est, domine passa, cur tam pertinaciter ejus majestatem a provincia velitis summovendam, si tuo principi hostem se non denunciat, vultque eidem consueta tributa pendere et tibi munera. Respondit: quod in permissione ejus optionis princeps suus non intellexerit de rege vestro quicquam, sed de reginae Isabellae filio, *) et de quopiam jam idoneo ejus provinciae viro. Subjunximus: nuncios Transsylvanos secus retulisse. Caeterum non esse e re principum, immo ne populorum quidem, in multas partes regna aut provincias dividi, et alioqui nunquam fuisse Transsylanos sui juris, sed coronae et regum Hungariae subditos. Et sic perpetuo Hruztanus passa nobiscum disputat, nos vero secum; nec unquam res suo cursu tractat, sed furiose cum fastu, et oblique semper, estque omnino

*) Hammer Tújgun budai pasának 960 szilhidzse 18 (1553 nov 25-én) Ferdinándhoz adott levelét említi ily értelemmel: a szultán akarja, hogy Zápolya István (a törökök János Zsigmondot mindig Istvánnak irták) birtokolja Erdélyt, mint atyai örökségét. IX. 372.

arte quadam expectandus, donec conceptum aestum quasi digerat et consumat. Verum hic colloquii facto fine, remissi sumus ad hospitium, ubi biduo post, dum colloqueremur cum nostro ciauso, aliquid ex eo eliciendi gratia, dixit inter alia: imperatorem Turcarum remisisse ad Budensem passam, ut resciret a Transsylvanis, majestatem vestramne, an reginae Isabellae filium velint habere in dominum; et sibi quamprimum renunciaret, quandoquidem decrevisset eorum electionem hujusmodi ratam sese habiturum, modo eam ab ipsorum etiam Transsylvaniensium ore fateri audiat atque intelligat. Is ciaus homo est senex et cautus, et nihil unquam ad nos defert, quod vellemus, tametsi non est malus nobis neque incommodus. Verum existimamus eum haec non ex se expressisse et studiose retulisse, sed aliunde accepta per imprudentiam effudisse, quod statim majestati vestrae significandum duximus, quo cŭraret omni diligentia, non praetermittere, ut Transsylvani sint in verbo, in opere, inque fide erga majestatem vestram constantes, mittatque huc tales ex eis viros cum Joanne Maria, iu quibus aliqua sit authoritas et firma in majestatem vestram voluntas; nec deliberationem ullam pro judicio nostro de hoc dignabitur praecipitare, quia et nos ita in omnibus rebus attemperamus nostras actiones, ut et de his, quae istic fiunt, prius nos a majestate vestra informemur, et majestas vestra a nobis, quae hic aguntur, edoceatur, quam ad aliquid dubio eventu peragendum descendatur, in quo casu et periculum timeri possit.

Haec et ejusmodi alia, uti indies ab hoc et ab illo accipimus, ita per nos non restat, quin ea ad majestatem vestram scribamus, omnibus viis quibus

possimus. Verum, quantum hic jam a XII. diebus vulgari coeptum est, intelligimus, istic circa Giulam et Varadinum peractas esse nundinas, quod qua ratione, quibusve opportunitatibus, nos omnino latet; non sumus propterea sine sollicitudine, quotidie expectantes negotium ab intemperiis gentis hujus; nondum tamen animos despondimus, nec despondemus, Eo adjutore, qui ducit ad inferos et reducit. Istic tantummodo res geratur feliciter et firmo aliquo fundamento: nos hic pro viribus partem, quae nobis est imposita, strenue ornare enitemur. Sed omnino Joannem Mariam et tributum cum Transsylvanis mitti suademus, nisi quid aliud occasionum, quae diu fuere desideratae, nunc demum a Deo sit oblatum.

Postscripta. Heri venit nuncius ab imperatore Turcarum ad Hruztanum passam, qui eum magna instantia ad pristinum locum revocat, nec aliud facturum esse ajunt, quam quod jubetur; prout nobis relatum est, etiam numerum suorum recensuit. Hic idem nuncius attulit, pacem cum rege Persarum non posse fieri propter graves conditiones, quae illi a Turca proponuntur; eamque pacem magnum ajunt argumentum fore, si Hruztanus passa revertetur ad exercitum. Hujus opinionis est et amicus ille noster secretus, de quo jam pluries, qui nobis etsi nunciat pauciora, ea tamen veriora reperimus, quam quae referunt alii. Sed rei hujus veritas non potest diu latere; interim tamen, quae consequimur, majestati vestrae significare non praetermittimus, supplicantes summo conatu, ut dignetur festinato Joannem Mariam remittere, quia interim, ut jam dictum est, nihil nobiscum tractabitur, speramusque nos non vacuos redituros, si rem Persicam praeoccuparemus.

Caeterum, quoniam forte Hruztanus passa oblitus est eorum, quae per Petrum Horwath ad majestatem vestram de missione oratorum scripserit, optamus, ut exemplum earum litterarum dignetur ad nos mittere, et meminisse etiam dominorum mercatorum Venetorum Dellavecchia, qui magno usui hic Constantinopoli semper esse possunt majestati vestrae, ut hactenus fuerunt. Nos autem adhuc bene sumus, nisi quid postea acciderit. Majestas vestra feliciter valeat. XXVII. Novembris, Constantinopoli, 1553.

LII.

Dominego Gaztelunak*) Verancsics és Zay.

Al M. Dominego Gaztelu Veranzio e Zay.

Indrizzo queste presente a vostra signoria, le 1553. nov. 27.
quali subito che saranno rese, prego, le voglia mandar a soa maestà con più prestezza che si potrà. E quanto delle cose di qui, dicessi esser questo principe in trattato della pace col Persiano a gran podere, ne ancora si puol sapere la certezza, se la sarà o no, essendone opinioni in tutte due parti grandissime a tale, ch' io non so, a quale mi debbe attacar col credere. Il signor passa Hruztano talero (?) heri fù chiamato, sicome dicono alcuni, dal suo signore al pristino loco et uffizio suo del veseriato. Ne è dubio, di quanto si ragiona, che andarà, essendo la soa industria ai tempi de adesso in cose di questo principe molto senza pari. Con noi non tratta altro per adesso, ne si trattarà, fino al ritornar del signor Gioan Maria nostro, lo quale hormai ogni dì aspettamo. Alle altre nostre a vostra signoria mandate nulla ancora risposta havemo havuta, la quale quando verrà, verrarà desiderata

*) Ferdinánd követe a velencei köztársaságnál.

e gratissima. Statesano et habiate me in bona soa grazia. Da Constantinopoli, al XXVIIdi Novembre M.D.L.III.

LIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1553. dec. 8. Jam a discessu Joannis Mariae septenas litteras dedimus ad majestatem vestram, per eas omnes vias, per quas potuimus, ut majestas vestra cognitura est, quando perferentur, binasque conductis duobus hominibus commisimus, postquam Petrum remittere horum hominum tergiversatione nequivimus, nec adhuc quimus, quum is passa Zynan semper nobis renunciat, nondum se eam facultatem a Porta accepisse, et eam praestare Hruztanus passa non potest. Nec propterea ulla suspicione moveatur majestas vestra, quia id, ut putamus, non ob aliud faciunt, quam ne de aliquibus rebus notitiam daremus majestati vestrae, quae minus eis pro voto cadere possent ex parte Transsylvaniae, tanquam nos adeo segnes essemus, ut de aliis viis praevidere nobis nesciremus. Quare nunc etiam oblata scribendi occasione, dignabitur majestas vestra cognoscere, nihil aliud hic in rebus esse innovatum, et eam tantum vigere famam, quae magis videtur confirmari, pacem cum rege Persarum non futuram. Dicit enim rex Persarum, sublatum esse illum, quem timebat Muztapham, scilicet, patrem non tanti se facere, cujus jam bene didicisset ingenium. Nuper autem, quantum inferri audimus, erat ipse princeps Constantinopolim rediturus, dimisso in Asia exercitu, sed consilio Achmad passae retentus, quod si ipse abiret, sic exacerbatum exercitum morte Muztaphae, nemo esset tanti, ut eum

regere posset, metuens perniciosum aliquem tumultum, remansit. Huc accedit, quod etiam nunc milites trajiciunt in Asiam ad Scutarum, et imperatorem sequuntur; quae omnia argumento sunt, bellum cum rege Persarum prosecuturum. In exercitu autem carissimam ajunt esse annonam, et tam graves aegritudines, ut quatriduo homines necent. Hruztani passae locus datus est nemini adhuc. Caeterum de reliquo ejus statu omnia videntur conticuisse, et amici nostri dicunt, miram rem futuram, si in pristinum decorem et dignitatem restituetur. Adeo ea opinio videtur praevalere, omnino depositum esse. Nos certe vellemus, hominem nequam, majestati vestrae parum amicum, et omnibus intractabilem dudum concidisse ad officium, ne hic obversaretur nobis, sic incerto statu praeditus, (quandoquidem timemus, ne cum dominus Joannes Maria advenerit, omnia secum cogamur communicare,et determinabitur nihil,)neve inter duos passas circumducamur inutiliter, et neutrum expeditum habeamus. Sed Deus providebit et edocebit, modo festinaret Joannes Maria, et quidem cum Transsylvanis et eorum tributo. Haec nunc circumferuntur de principe et de Hruztano passa. Quum veriora et certiora consequemur, statim majestatem vestram edocere non negligemus, cum curam et studium nostrum in omnes partes intendimus, ut quam citissime de hac ipsa pace intelligamus, quae si non concludetur, omnes nobis prosperrimam expeditionem pollicentur.

Quod ad alia attinet, homo Brassoviensis Joannes Tot, qui dicebat se a dominis episcopo et vajvodis huc missum, quemadmodum aliis nostris scripsimus, nuper significarat nobis, se habere amicum quendam Valachum, euntem in Transsylvaniam,

quare si liberet, scriberemus. Scripsimus itaque ad praefatos dominos et ad majestatem vestram. Paulo post ipse quoque, (vel ut existimamus, una cum eodem Valacho) discessit, nobis insciis; quod non debuit facere, quia si ipsum abiturum scivissemus, plura scripsissemus. De hoc homine cognoscendo dignabitur majestas vestra reverendissimo domino episcopo committere et dominis vajvodis.

Sed et aliud est, quod scire majestatem vestram necessarium esse duximus. Proxime scripsit quidam ad nos, famulum quendam Ally Matthiae, qui cum eo fuit in carcere, fuisse hinc expeditum ad spectabilem et magnificum dominum banum, cum magnificis pollicitationibus, si ad curam et tutelam reginae Isabellae filii vellet transire etc. Pluraque huc facere visa sunt; ipsi quoque famulo datae sunt vestes, equus et impensae majores quam pro ejus conditione, cum promissione majoris beneficii, si rem pro eorum voto confecisset. Dictum etiam est, quod idem famulus reversurus est, et in turcicam fidem abiturus, quem, dum a Zynan passa expediretur, coram quidem vidimus, sed quid ageretur, ignorabamus. Haec ad majestatem vestram non scribimus, quod suspicandum esset aliquid de integritate tanti domini, nostrae tamen timuimus, si reticuissemus, praesertim quod Hungarus homo id ad nos retulit. Re itaque communicata, cum quibus debebit, fortasse non esset alienum, si cura magnifico domino bano, et quibusdam aliis mandaretur, ut hic nebulo famulus Corotnae et alibi quaereretur, et clam caperetur, premereturque tamdiu in tenebris, donec nos rediremus, ne forte posset etiam aliud detegere. Supplicamus autem majestati vestrae, ut si ita videbitur, dignetur supprimere nomen nostrum,

et aliunde se id cognovisse fingat, ne in aliquam indignationem domini bani caderemus.

De Transsylvania autem quid dicemus? Eam omnino vellent majestati vestrae adimere, deditaque opera, quantum jam nunc conjicimus, hoc spatium concludendae nobiscum pacis quaesiverunt, ut interim ejus provinciae majestati vestrae eripiendae tentarent occasionem; tanquam videretur eos alia via potiri illa non posse, quum si bellum sint cum rege Persarum habituri, velint nolint, pacificari nobiscum debent, remissa etiam ipsa Transsylvania. Verum bene actum est, quod is perfidorum injustissimus conatus irritus fuerit, et damnum acceperit; eritque etiam imposterum, elementissime rex, danda opera, ut per haec horum temporum momenta tueatur Transsylvania. Quia nunc circa magnum punctum ejus fortuna versatur. Immo et salus totius regni Hungariae. Quia si bellum cum rege Persarum constiterit, qua sententia major est hominum pars, Transsylvaniam omnino retinebimus, neque enim sufficient vires imperatoris Turcarum utrobique ad gerendum bellum. Si vero pacem cum rege Persarum fecerit, etiam tum enitendum erit, ut ea majestati vestrae non adimatur, idque si non alia ratione, quia jus majestatis vestrae de illa non admittunt, saltem majore tributo; tametsi ne de hoc quidem interim loquemur quicquam, donec a majestate vestra edocebimur, et supplicamus ut inter alias informationes per Joannem Mariam mittendas, dignetur etiam de hoc meminisse. Sed non omittemus et illud, quod ajunt, inter Turcae et regis Persarum exercitum XV. dierum (?) spatium interesse, crebroque mutuo parvis praeliis dimicare, ingruentibus modo hinc modo illinc, non expectantibus

Persae velitibus; hactenusque longe majora damna Persae in Turcis edidere, quam Turcae in Persis, quo majore ad prosequendum illud bellum furore Turca incendi dicitur. Unde non desunt, qui nobis referant, magnopere optari Joannis Mariae reditum, ut citius de pace nostra transigatur, et ex nostris etiam finibus moles in Asiam traducatur. Quare majestas vestra videat, quantum referat, ut Joannes Maria properet. Cum autem relatum fuisset Ruztano passae (ut id quoque addamus), de proxima profligatione Turcarum ad Gyulam, et videretur majestati vestrae indignari, aderat ei amicus ille noster secretus, passaque allocuto, cur indignaretur, quum ipsi Turcae in ditionem majestatis vestrae horribiliter irrupissent, non lacessiti neque laesi, et hoc sub induciis, existentibus hic oratoribus, pacemque quotidie postulantibus, allato etiam tam honesto et diti munere, (dumque) rem omnem ejus amicitiae et in illius manus commisisset majestas vestra, aliaque id genus plura: respondit, ut nobis nunciavit, eum vera dicere et sic esse; postea aequiore animo factus, videtur res in silentium abiisse, nec adhuc nobis quicquam dictum est, et tractamur solito more, omnes Dei gratia bene incolumes. Majestas vestra valeat. Tertia Decembris, Constantinopoli 1553.

LIV.

Dominego Gaztelunak Verancsics és Zay.

Al M. Dominego Gaztelu Veranzio e Zay.

1553. dec. 3. Di novo altro da qui che si potesse scriver, per adesso non è cosa alcuna, solo che la voce di pace Persiana pare que va più presto debolitandosi. Ne perhò se ha ancora certezza, quello in vero debbia à

seguire. Il signor passa Hruztano sta nel primo essere, ne del suo stato si ragiona tanto, quanto poco fa si ragionava, per una certa deliberazione che dal Signor s' aspetta. E pare, che essendo stato detto in ambedoi parti tutto quello che poteranno havere i romori volgari, non hanno hormai che dire, e cusì si tace appresso ogni uno. E noi intenti alla ritornata del nostro signor Malvezo, stemo a vedere et ascoltare più che negoziare. Tuttavia per dar alla maestà del nostro re spesso il conto del esser nostro, indrizzemo anco queste a vostra signoria, le quali sarà contenta mandare a soa maestà per prima che andarà in quelle bande. Nè ci resta altro che recommandarci alla soa buona grazia. Date il terzo dì del Decembre 1553. Constantinopoli.

LV.

Verancsicsnak és Zaynak a király.

Ferdinandus divina favente clementia Romano- 1553. dec. 5.
rum, Hungariae, Bohemiae etc. rex. — Reverende devote, ac magnifice, fideles nobis dilecti. Mittimus ad vos cum hisce litteris nostris duplicam vel potius exemplum earum litterarum, quas per viam Budae tum ad serenissimum principem Turcarum tum ad vos dedimus circa istam parvam moram, quae expeditioni oratoris nostri Joannis Mariae Malvezi cum resolutione nostra remittendi, interponitur; quod si fortassis illae in itinere perirent, quod tamen non credimus, saltem ex hiis percipiatis, quae ad vos et ipsummet principem Turcarum perferri voluerimus; vel saltem si hae illas anteverterent, eo plus spatii et temporis habeatis ad cogitandum, deliberandumque, quomodo lit-

terae illae nostrae ad magnitudinem ejus primo quoque tempore expediri queant, ne magnitudo ejus hanc remittendi Malvezii vel alterius cum resolutione nostra expediendi dilationem in sinistram partem interpretetur. — Licet non dubitemus, habita ratione prudentiae, rerumque gerendarum dexteritatis vestrae, vos alias sedulo laborare et cogitare, ut omnia ex usu nostro, et omnium regnorum dominiorumque nostrorum, totiusque Christianitatis commodo gerantur et succedant, ideoque vos etiam nulla admonitione indigere arbitramur: sed hoc vobis non obscurum esse volumus, fidem et diligentiam vestram, quam in hac legatione declaratis, nobis maximopere probari, neque nos ejusdem immemores futuros esse. Datum in civitate nostra Vienna, die quinta mensis Decembris, anno Domini M. D. LIII°, regnorum nostrorum, Romani vigesimotertio, aliorum vero vigesimoseptimo. Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium J. Jonas D. vicecancellarius m. p. M. Singkhmoser m. p.

LVI.

Verancsicsnak és Zaynak a király.

1553. dec. 5. Reverendo devoto, ac magnifico fidelibus nobis dilectis, Antonio Wrancio episcopo Quinqueecclesiensi et praeposito Pornensi, nec non Francisco Zay nazadistarum nostrorum generali capitaneo, consiliariis et oratoribus nostris ad serenissimum principem Turcarum destinatis.

Verancsics kezével: Redditae 22. Januarii 1554.

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. rex. — Reverende

devote, ac magnifice, fideles nobis dilecti. Quanquam nos pro eo desiderio, quo tenemur renovandae et confirmandae cum serenissimo ac potentissimo principe domino sulthano Soleymano, imperatore Turcarum ac Asiae et Graeciae etc, vicino nostro honorando, pristinae amicitiae et pacis, quam superioribus annis cum magnitudine ejus iniveramus ac constitueramus, lubenter jam statim oratorem nostrum Joannem Mariam Malvezium cum resolutione nostra ad magnitudinem ejus remisissemus; cum tamen negotium hoc magni sit momenti, et spatium aliquod honestum deliberandi requirere videatur, ipseque Malvezius tarde etiam ad nos venerit, impeditus nimirum valetudine, qua etiam nunc utitur satis incommoda, usque adeo quod non putet posse tam longinqui itineris labores et molestiam adhuc tolérare: ,visum fuit nobis, has adjunctas literas ad magnitudinem ejus scribere, ut saltem magnitudo ejus causas morae intelligat, et acceptis litteris nostris, eo aequiore animo oratorem et responsum nostrum expectet, sicuti magnitudinem ejus pro animi sui aequitate facturam esse non dubitamus. Nam prout et magnitudini ejus scribimus, negotia ista non sumus remoraturi, sed post pauculos dies aut Malvezium aut aliquem alium, si hic per valetudinem mitti non poterit, cum resolutione nostra expediemus, quae omnino talis erit, quod confidamus, magnitudinem ejus illi amice et benevole acquieturam, et intellecturam, quod nos praeter honestatem et aequitatem nihil postulemus, sed amicitiam magnitudinis suae sincero et candido animo expetamus. Porro quo tutius coepti tractatus absolvi, et oratores nunciique nostri hinc inde proficisci queant, expedivimus his proxime elapsis diebus ad pas-

sam Budensem egregium fidelem nobis dilectum Andream Tarnoczy, et ab ipso certiores fieri voluimus, num ipse interim in omnibus confiniis inducias firmiter observandas curare velit; reddidimusque ipsum vicissim securum, quod etiam nostra ex parte eas observari curaturi simus, prout ista omnia fusius ex annexis litterarum exemplis cognoscetis. Eaque propter vobis clementer committimus, ut serenissimo Turcarum principi litteras nostras primo quoque tempore transmittatis, atque pro vestra etiam parte, medio passarum et consiliariorum suorum, melioribus, quibus poteritis, modis et viis efficere studeatis, ne magnitudo ejus parvam moram istam, quae interponitur expeditioni Malvezii et responsi nostri, aegreferat, quia, quantum in nobis erit, nihil sane praetermittemus, quod ad firmandam, stabiliendamque inter serenissimum Turcarum imperatorem et nos bonam et firmam pacem atque amicitiam pertinere videbitur. Caeterum vos exequemini in hiis bene gratam ac expressam voluntatem nostram, regia nostra benignitate erga vos recognoscendam. Datum in civitate nostra Vienna die quinta mensis Decembris anno Domini M. D. LIII°, regnorum uostrorum Romani XXIII°, aliorum vero XXVII°. Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium J. Jonas. D. vicecancellarius m. p. M. Singkhmoser m. p.

LVII.

Ibrahim dragomannak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Zay Ibraino interpreti principis Turcarum S.

1553. dec. 8. Nimis dominatio tua oblita est nostri, aut potius etiam de pectore nos jam abjecit, quod a tanto tem-

pore nihil ad nos nec scripserit, nec nunciaverit. Et ne pluribus cum dominatione tua expostulemus, quod fortasse etiam ipsa habet suos respectus, non debet tamen bonorum amicorum etiam in majoribus negotiis oblivisci. Ideo rogamus eandem, ut non gravetur jam significare nobis, quid agatur, quidque nobis sperandum sit de rebus nostris. Caeterum ad litteras nostras proxime missas nihil nobis responsum est, nec etiam adhuc facultas data est, ut regis nostri tabellarium remittere potuerimus, quod quid sit et quare fit, nescimus, timemusque ne id sua majestas in malam partem interpretetur. Alioquin nos patienter ferimus, et fungimur nostro officio pro mandato principis, in cujus manibus sumus, et a dominatione tua magnifica expectamus amicas litteras et veritatis indices, quia hic plura nova sunt, quam stellae sunt. Vale et feliciter vale. Datum octava Decembris 1553. Constantinopoli.

LVIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Clementissime rex Quoniam nunc ad ea, quae 1553. dec. 13.
proximis superioribus litteris fusius, aliud his addere non possumus, quam quod ea praxis de pervertendo domino bano a fide majestatis vestrae, procedit, et instituti sunt alii ad eam promovendam, ubi famulus. Ally Matthiae redierit. Huic praxi dedimus*) Petrum Petrowyth dedisse initium et formam, Hruztanus passa tamen eam tractat, prout intra paucos dies per proprium hominem dabimus ad scitum majestati ve-

*) Valószinűleg tollhiba „audimus“ helyett.

strae, si aliter non poterimus. Nunc tantum haec pauca, raptim, ut majestas vestra statim sine aliquo respectu, nobis non nominatis, occurrat periculo; et ut saepe jam scripsimus, festinet cum tributo Joannes Maria. Caeterum fama de bello cum rege Persarum maxime confirmatur, et gentes quotidie in Asiam trajiciunt, certiusque nunc jamque hoc scribimus, quam hactenus. Dicunt etiam principem ire in Hierusalem, putamus expiandi filialis parricidii gratia. De Hruztani passae restitutione in pristinum per hiemem nihil scietur, estque ea opinio, quod erit quod erat; nemini tamen adhuc certum est, et Achmat passa officio fungitur. Plura paulo post, et Joannes Maria festinet. Majestas vestra bene valeat. XIII. Decembris 1553. Constantinopoli.

LIX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1553. dec. 16. Etsi inclusi et sub custodia teneamur, nec ita libere ac large munere nostro fungi possumus, ut vellemus et res postularet: omni tamen via et modo, largitione tamen potissimum contendimus, quo quotidie manus nostrae occupantur, ut aliquid eorum intelligamus, quae regni et majestatis vestrae intersunt. Sciat itaque motum, quem Petrus Petrowyth anno superiore causa Transsylvaniae cum quibusdam paucis, qui ipso principio noti esse non erubuerunt, ut homines temerarii et patriae excidium accelerantes, concitaverunt, non esse levem, neque parvo fundamento insitum, si modo ea istic processerint, quae hic nobis referuntur de praxi quadam Hruztani pas-

sae, qua magnificum dominum banum vellet a fidelitate majestatis vestrae amovere, filioque Joannis adjungere: quae praxis vera sit, necne, omino affirmare non audemus; quoniam tamen pro vera et certa relata est nobis ab iis, qui ab eo intellexerunt, qui ejus instrumentum esse debebit, existimavimus fidelitatis nostrae esse, ut eam quamprimum majestati vestrae patefaceremus. Quare quae paulo ante ad majestatem vestram scripsimus de famulo Ally Matthiae ad magnificum dominum banum in hac ipsa praxi misso, ea vana esse non videntur. Quia antequam ipsum famulum passa Zynan in hoc dimisisset, Hruztanus passa Ally Matthiam dominum ejus prehensaverat, nunc vero Ally Matthia extincto, presbyterum quendam Zegediensem, captivum, nomine Franciscum Picam, arripuerunt, et praeficiunt tanto negotio, cujus ratio et modus, ut totus majestati vestrae constet, eum ordine prosequemur.

Quum enim Hruztanus passa vidisset, aditum ad recuperandam Transsylvaniam esse difficilem, partim ob conatus majestatis vestrae in ea retinenda, partim ob principis sui expeditionem necessariam in Persiam, et interim nobis etiam pro gratuita liberatione Ally Matthiae spe pacis componendae diligenter instantibus: animum ad dolosas praxes convertit. Ut etiam si in praesentium induciarum transactione concessa fuisset majestati vestrae Transsylvania, rebellionibus tamen suorum subditorum divexetur, et non solum ad Transsylvaniam inposterum obtinendam viam praepararet suo principi, verum etiam ut et Hungariae et Sclavoniae reliquum in discrimem abducat, injectis late per utrumque hoc regnum seditionibus. Sollicitat itaque ante alios Ally Matthiam, ut

a majestate vestra ad reginae Isabellae filium deficiat, et si apud passas fidem juramento obstringat, liberationem primum captivitatis ei pollicetur et summum capitaneatum apud Puerum; deinde ampla a principe Turca munera, et omnium eorum restitutionem, quaecunque hactenus Turcae de bonis suis illi detraxissent, cum adjectione spei majoris et conditionis et fortunae, sese offerentibus occasionibus. Ad haec ille respondit, quod ipse solus huic tanto negoto non sufficeret, nec posset solius ejus opera feliciter tractari propter virium suarum et existimationis suae exiguitatem, nisi si ei aliqui alii adderentur, qui auxilio forent; tunc demum visurus esset, quid agere posset et deberet. Et ita tentari atque explorari magnificum dominum banum, ipsius etiam suggestione et consilio ajunt fuisse constitutum. Verum interim etsi Ally Matthias decessisset, animum tamen domini bani explorare Hruztanus passa cum fratre non omiserunt, misso ad eum Ally Matthiae famulo, de quo proximis litteris XIII. hujus mensis ad majestatem vestram datis, fecimus mentionem, quemque ipse Ally Matthias, dum adhuc viveret, nominarat et ad hoc opus designaverat. Ut autem ejus magnifica dominatio facilius pelliceatur in casses suas et pedicas, inter multas et maximas pollicitationes, quas illi faciunt principis sui nomine (quod inferius demonstrabimus), affinem et compatrem appellant, hisque de causis nunciant secum se confidenter de hoc negotio tractare, quod si complecti non respuerit, futurum illi maximo et honori est et commodo. Et quanquam Ally Matthias nobiscum fere quotidie per nuncios et litteras agebat de ejus calamitatibus, planeque perspexerat, quanto studio et fide pro ejus liberatione niteremur,

nunquam tamen haec nobis, uti certe debebat, vel unico signo detexit; in quo an sit accusandus, majestatis vestrae est judicium, quia jam desiit vivere; nec desunt tamen concaptivi ejus, qui affirmarunt nobis, futurum fuisse majestati vestrae permolestum, et regno perniciosum, si eliberabatur.

Igitur jam memoratus Ally Matthiae famulus, dimissus est ad jacienda hujusce rei fundamenta, si modo idoneum solum inveniet ad ejusmodi recipiendum aedificium; isque quamprimum redierit et attulerit aliquid spei de voluntate domini bani, mox Franciscus Pica presbyter, obligatus hic fidei suae juramento, ad ipsum dominum banum cum plena rei instructione et mandato expediretur. Domino autem bano nunciarunt, principem hunc reginae Isabellae filio totam Sclavoniam, extra Posega, et quicquid anno superiore in Hungaria ademerit, praeter Temesvarum et Szolnok, reddere promisisse, et quod totius Sclavoniae dominationem sine mora in manus ipsius domini bani assignari faciet, commissaque illi etiam tutela reginae Isabellae filii, gubernatorem etiam creabit totius dominii et ditionis ejus, ubicunque existentis, si hoc consilium acceperit. His praeterea apud dominum banum confectis et constitutis, idem Pica habet in commissis, ut omnes dominos barones et summos viros, in quibus authoritatem aliquam esse cognoverit, circumeat, et sigillatim omnes nomine imperatoris Turcarum ad reginae Isabellae filii fidelitatem recipiendam cohortetur, promittendo cunctis tam in Sclavonia quam in Hungaria et Transsylvania securitatem, et firmam pacem. Petro Petrowyth vajvodatum Transsylvaniae promiserunt, ipso(i) vero Francisco Picae presbytero, si fideliter sese in his et pro-

spere gesserit, episcopatum Transsylvaniensem. Et ajunt eum non aegre ad hoc facinus assensisse, ac palam fuisse jactatum, se etiam aliquando in Hungaria futurum dominum, hincque factum est, ut cum amicis quibusdam rem communicarit, iique ad nos detulerunt, deferentque etiam imposterum, quicquid insuper audierint, aut de discessu ejus cognoverint. Ut autem Picam hunc majestati vestrae depingamus: Homo est statura brevi, non pinguis, sed bene compactus, facie rotunda, colore fusco, capillo et barbae et capitis nigro, semicano, annos vero natus supra 45, et vere Pica nominatus, quia nimis loquax, et volubili aeque aspectu atque ingenio, parumque etiam probus, quia versatus in domo et servitiis oratoris Gallici; et ipsi etiam stipem porreximus, ut ei Ally Matthiae aliquando, sed, ut videmus, viperas sinu calefecimus. Jam majestas vestra, cognita tanti incendii scintilla, sive illud verum erit sive non, principiis occurrat. Caeterum ne suspiciones quidem et rumores ejusmodi surda aure et conniventi oculo praetereunda sunt, donec ad veritatis notitiam perveniatur. Quia, ut cum domus aliqua in ruinam inclinat, muri ejus finduntur, lapides ejus decidunt, et trabes tabulatorum stridunt: ita certe etiam verba non seruntur frustra, nisi aliquo spiritu impellantur.

De integritate vero et fide domini bani erga majestatem vestram, sicut indignum esset quippiam sinistre credere, ita etiam cogitare nefarium putamus, praesertim qui ab initio auspicia majestatis vestrae semper coluerit et propugnaverit. Verum quoniam in hoc non laeditur a nobis dominus banus, si hostium praxes detegimus, quas non in illum solum, sed etiam in reliquos regni majestatis vestrae proceres in-

tendunt, credimus nos et ab ipso domino bano et ab aliis laudem et gratiam relaturos, quicunque et patriam salvam et majestatem vestram quietam esse volunt. Quare dignabitur majestas vestra tutelae nostrae curam habere. Ubi autem haec nefanda gens ultro conquirit tanta instrumenta ad reddendam sibi obnoxiam Hungariam et Transsylvaniam, consideretur fratris Georgii heremitae facinus, et quod illius rebellio post tantum delictum fuerit ipsi Turcae grata, si opportune non tollebatur; in quo et justissima ejus mors facile ab iis cognosci potest, qui eum a culpa vindicare student. Verum de his obiter, et de Hruztani passae et fratris ejus praxi satis; humillime supplicantes, ut majestas vestra, quando hoc malum cognoverit, dignetur fingere, aliunde non a nobis intellexisse, ne si quo casu praxis hujus participes id rescissent, periculum hic nobis intenderent, ut fieri solet. Alioqui arbitrio majestatis vestrae fiat, quicquid voluerit.

De pace cum rege Persarum hactenus nihil actum, et desperatam major hominum pars affirmat, et gentes quotidie in Asiam trajiciunt. Praetera heri allatus est huc Gziehangyr minimus natu principis hujus filius Alepo, ubi post vulnus, quod sibi intulerat ob Muztaphae mortis indignationem, paucorum dierum infirmitate correptus occubuit, tametsi natura debilis erat. Principem etiam dicunt valde male valere, tum desiderio duorum jam filiorum et conscientia parricidii, quo alterum confecit, tum etiam majore aegritudine quadam, quam plane non explicant, licet nobis clam dictum est, morbo caduco; unde tanta dicuntur confusione castra conflictari, ut quum proxime exisset rumor de ejus obitu, Alepi suburbia

janizari in praedam verterint, eoque res tota videbatur spectare, ut ad mutuam caedem devenirent. Verum relata re ad principem, ita ut erat invalidus equum conscendit, et in publicum prodiens, visurum se vivum praebuit, et ut potuit, sedavit tumultuantes. At hic episcopi etiam jam eorum ac sacerdotes solliciti de futuris, palam ex libris suis minantur hoc mense, vel ad summum proximo, seditione gravi laboraturos; inde semper eorum imperium declinaturum. Haec nobis non ab uno, nec a vilibus hominibus referuntur verum a pluribus, et qui in domo penitiore Hruztani passae versantur; atque ita adeo etiam hic novi ex his rebus terrores exierunt, ut nos quoque sine sollicitudine esse non possimus. Verum quod ad has hostium nostrorum mutationes et turbas attinet, ne etiam in hoc desimus nostro officio, si forte essent istic aliqui, qui animos vellent attollere et dicere nunc tempus esse, invadendi hoc vel illud etc. videretur nobis occurrendum esse spiritibus ejusmodi, expectandasque esse majores occasiones, caeterum et certam ac manifestam virium suarum inclinationem, quia omnino nondum adest tempus, quod adesse vellemus. Igitur dignabitur majestas vestra simulare, et inceptum callem urgere, donec clarius effulgeat sol, nostro Christo praeeunte. Alioqui majestatis vestrae est consilium.

Aliis vero de rebus, accepimus regem Tunetanum novarum rerum quiddam cum Turca tractare, de intercipienda Goletta; unde decretae sunt CL. triremes ad hanc expeditionem proprimo vere, ajuntque id confirmatum iri, si mox a kalendis Januariis incipient triremes reparare, quod cum viderimus et certius cognoscemus, significabimus. Nunc Joanne Maria Mal-

vezio opus est. Omnes enim dicunt nobis, magnopere illum expectari, quo, confecta nobiscum pace, expedirent nos, et quae cum rege Persarum agenda restarent, sine aliarum rerum cura soli bello Persico navarent operam; sic magnopere existimamus esse necessarium, ut jam veniat, ne quid tale aliquid interveniat, quo aut infectis rebus rediremus, aut quippiam praeter opinionem et vota nostra accideret. Quia omnino mira hic coeperunt in hac regia et in hoc imperio misceri. Nam et tertius filius ejus, Bayazyth nomine, qui est Adrianopoli, coepit aegrotare, nec scitur, qua aegritudine, nisi quod intumuit, et Constantinopolim adduci dicitur, magnaque de veneno suspicio est, adeo jam et princeps hic et proles ejus ex Hazzatya suscepta venit Turcis in odium. Hruztanus passa autem, quod jam manifeste scitur, privatus est omnino suo loco et dignitate, et jam advenerunt homines Achmat passae, qui omnia ejus officii loca occupent, quia ipse erit jam summus passa. Hruztano vero et Haydar passae donata est vita, dabiturque illi sex millium ducatorum proventus, et locus, qui Oturlaka dicitur, huic trium millium tantum. Muztaphae unicus filius annorum XII., et unica filia cum matre Prusiam deducti sunt, et adhuc inquilinorum more agunt. Quicquid de eis statuetur, ubi cognoverimus, scribemus. Nec aliud restat in praesentia, quam ut geratur cura, si quo bono modo fieri poterit, etiam si italico more munera proponantur, ut silenter intercipiatur Petrus Petrowyth, quia, huomo morto non fa guerra. Servantur enim a Turcis non in alium finem, quam ut habeant instrumentum et causam, quo regnis majestatis vestrae insidientur. Haec nobis condonari a Deo Optimo Maximo exoramus. Verum mor-

tem procurare unius mali et nocentis pro tot innocentibus et bonis, existimamus etiam episcopos posse consulere sine scrupulo conscientiae.

De Joannis Mariae reditu tantopere urgemus, quia Persae oratorem, quem paulo ante dimiserat Turca, in negotio pacis, ajunt a praeside arcis Van fuisse detentum, quod sine salvo conductu venerat. Van autem arx est munitissima in finibus Persiae, eique regi fuerat annis superioribus erepta a Turca. Quare quod hactenus negotium ejus pacis dilatum est et adhuc differtur, factum est, dum tabellarii ultro citroque salvi hujus conductus causa discurrunt, quod nollent passae aliquid de hac pace concludere, dum res nostra transigatur, et principis hujus videant, quo evadat aegritudo, resque etiam ejus aliae in pristinum restituantur ordinem. Quia quamprimum idem princeps resumet eam valetudinem, qua itineri poterit sufficere, omnino Hierosalem iturum perhibent, expiandi sese gratia, quoniam incurrisse se in iram Dei arbitratur, vetustoque more gentis suae fatetur jam non esse aptum ad belligerandum. Unde et alii, qui hujusmodi peregrinationibus, sese dedunt, ut eorum Meccam vel Hierusalem invisant, sive illi sint principes sive privati homines, inposterum etiam lege sua a militaribus rebus prohibentur. Itaque dum hic haec aguntur, multum prodesse rebus majestatis vestrae speraremus, si Joannes Maria adesset, quem tanto desiderio expectamus, quantum ad vota inservire majestati vestrae et regno optamus. Ad nos quod attinet, bene adhuc Dei gratia omnes valemus. Sed pestis hic et in exercitu maxima viget, et res ubique ita sunt Turcarum turbulentae (quod verum dicimus), ut turbulentiores diu non fuerint; et videtur nunc illis im-

minere, quod Cracoviense judicium annotavit. Majestas vestra feliciter valeat. XVI. Decembris 1553. Constantinopoli.

LX.

Dominego Gastelunak Verancsics és Zay.

Verancius et Zay Domenego Gaztelu.

Le nuove di qui queste sono: Il terzogenito del 1553. dec. 16. Gran-Turco, cioè della moglie Hazzathya suscetto, Gziehangyr nominato, hieri fù condotto morto da Alepo a Constantinopoli; il padre ancora dicesi esser gravamente infermo; del secondogenito Bajazitò, che è in Adrianopoli, e dalla figlia, moglie di Hruztan passa, non c'è huomo che dice o pensa bene; e tutto lo essercito si truova perturbato et in bisbiglie. Janizeri per un falso romore, uscito fuori della morte del signor, sacchegiarono i soborgi di Alepo; et acciò non sequesse maggior inconveniente, il signor, cussicome era debole, montò a cavallo, e mostrò si alla gente tal, che sedò il tumulto per quanto puote. La pace di Persa non va innanzi, ma indietro. Il Hruztan passa è privato in tutto della signoria, e quella è data al Achmat passa. Nostro Gioan Maria ancora no torna, e noi nè da Vienna della maestà del re havemo cosa alcuna; pur non mancando allo ufficio nostro, se le altre nostre, per el passato date, havete mandate a soa maestà con gran prestezza, vi pregamo che queste vogliate mandare con grandissima. E state sano con salutar gli amici nostri. Date il XVI. di Decembre, Constantinopoli, 1553.

LXI.

Amhád nagyvezírnek Verancsics és Zay.

Verancius et Zay Ahmat passae primo imperatoris Turcarum visirio S.

1554. januarius 14. Etsi nos interim, donec redeat Joannes Maria collega noster, nihil agere possumus earum rerum, quae nobis sunt demandatae, tamen quoniam nunc veniunt ad potentissimum et invictissimum imperatorem nuncii serenissimae reginae Isabellae et domini Petrowyth, afferentes multa, quum contra serenissimum regem nostrum, tum contra nos etiam, qui ministri sumus nostri domini: visum est nobis necessarium fore, si et nos vestram magnificam dominationem litteris tantum adiremus ac viseremus, postquam nequimus personaliter, quo nostri quoque principis ac domini memoriam apud eandem magnificam vestram dominationem revocaremus. Quoniam autem, uti percipimus, memorati nuncii dominae reginae atque Petrowyth multa sunt relaturi de serenissimo rege nostro et de suis ministris, quae ad impediendam pacem atque amicitiam faciunt, pro qua nos tractanda et componenda missi sumus, non in vanitate verborum, sed in sincera veritate et sine omni fuco dominationem vestram magnificam magnopere rogamus, ne velit facile verbis eorundem nunciorum assentiri, et fidem adhibere, quandoquidem nihil eos locuturos speramus, cui nos respondere non poterimus; modo imperator invictissimus ne velit amicitiam regis nostri ab se rejicere, quae cum ejus potentissimae majestati nullas unquam impensarum, aliorumve onerum et molestiarum causas sit allatura, tum etiam accedet certe et utilis et honorifica, utcunque diversi

adversarii nostri secus conantur invictissimae ejus majestati persuadere, multum et suae propriae religioni derogantes, et ipsi imperatori invictissimo parum commodi afferentes, quem etiam hoc tempore, quo, si bene ejus majestas invictissima considerat, tam ingens bellum cum domestico, eoque non impotenti hoste aggressa est gerere, non erubescunt, neque verentur distrahere, et ad suas ineptias, saneque intempestivissimas avocare. Haec quod sincere, et certe etiam pro ratione vere ad magnificam dominationem vestram scribimus, novit Deus altissimus, nec dubitamus vestram quoque magnificam dominationem, quae est prudentissima, et his in rebus diu optime trita et versata, bene perspecturam. Igitur quando jam vestra magnifica dominatio cognoscet, quae praefati nuncii attulerunt, eisque alteram aurem praebuerit, rógamus ut alteram quoque dignetur nobis reservare.

Et quia audivimus, eos hic dixisse: regem nostrum habere conscriptum aliquot millium hominum exercitum, et invictissimo imperatori fraudem machinari, considerata ejus invictissimae majestatis absentia, et occupatione belli Persici: propterea cautius erit illis fides adhibenda, quandoquidem id si verum esset, a finitimis praesidiis, ut est passa Budensis et Temeswariensis, dudum fama advenisset, iique certiora nunciarent, qui imperatoris invictissimi solam salutem intuentur, et tuentur imperium, quam illi, quos in regem nostrum veteres animi inimici atque infensi exagitant. Et tametsi non est omnino rex noster sine aliquibus gentibus, uti et nos dici intelligimus: id tamen non contra imperatorem invictissimum, sed contra eos subditos suos, qui fidelitatis suae facti imme-

mores, non tantum ejus majestatem regiam et publicam regni illius quietem perturbant, ac in periculum adducunt, sed etiam invictissimo imperatori molesti sunt. Et illud facile possumus nos affirmare: quod si dominus Petrowith in arcem Munkach, quam pro Temeswaro commutavit et a rege nostro accepit, reverteretur, atque ibi in pace conquiesceret, rex certe noster serenissimus, unicum militem in armis non teneret.

Verum ne dominationem vestram magnificam multis rebus molestemus, dignabitur bene expendere quam opportuno tempore et regina et Petrowith invictissimum imperatorem contra regem nostrum stimulant atque incendunt; quia etiamsi invictissimus imperator iret cum toto suo exercitu ultra Indiam, ter tantum, quantum est a Vienna in Indiam, rex noster non cessaret pacem et amicitiam ejus invictissimae majestatis desiderare et exposcere. Tanta animi sui constantia hanc praesentem cum sua invictissima majestate pacificationem complexus est.

Hoc verbum ab initio, clementissime domine passa, semper fuit in ore nostro et nunc est, idque non ex nobis solis sed e mandato regis nostri, qui non ludit verbo suo, et cum imperatoris magnitudine sic agit, ut eum amicum non hostem habeat; hocque ejus majestatis adversarii offenduntur, et intendunt tot praxes, quas bene prudentiam vestrae magnificae dominationis perspecturam, et aestimaturam eas ita, uti merebuntur, non desperamus, quam totum hoc felicissimum otomanum imperium studiosissimum aequitatis esse praedicat.

Nec restat pro id temporis dicendum aliud, quam ut dignetur serenissimum regem nostrum magnifica

dominatio vestra tum apud se tum etiam apud imperatorem invictissimum habere in suis rebus commendatum, de cujus gratitudine nos et benevolentia vestrae magnificae dominationi ea pollicemur, quae erunt amplitudine vestra dignissima et honoratissima. Et Deus eandem quam felicissime conservet salvam atque incolumem. Datum decimaquarta Januarii, Constantinopoli, 1554.

LXII.

Ihrahim dragomannak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Franciscus Zay Ibraino imperatoris Turcarum interpreti S.

Magnifice domine amice, tanquam frater nobis 1554. Januar. 14.
confidentissime, salutem et amicitiae nostrae commendationem. Quoniam diu est, quod sejuncti sumus, tempus est ut litteris saltem mutuo (nos) invisamus. Et licet jam binas ad vos dederimus, ad quas responsum non habuerimus, nos tamen iterum atque iterum in officiis nostris sollicitare, et excitare ad memoriam nostri non praeterimus, ut saltem importunitate nostra aliquid ejus erga nos recordationis extundamus. Quoniam igitur praesentium nunciorum serenissimae reginae Isabellae et domini Petrowyth ad invictissimum imperatorem adventu inducti, breves litteras ad illustrissimum et clementissimum dominum passam Ahmat primarium passam scripsimus, ad vestram quoque dominationem scribere voluimus ne officio nostro et amicitiae deessemus, qua etiam eandem ex mandato serenissimi regis nostri summo affectu complectimur. Quapropter quum eaedem litterae interpretandae vestrae dominationi committentur, roga-

mus diligenter, ut eas illustrissimo domino passae velit, pro sua in officio suo omnium, qui apud potentissimum imperatorem habent negotia, integritate sic exponere et interpretari, ut ejus illustrissima dominatio animum nostrum, et ex animo nostro regis nostri erga potentissimum imperatorem voluntatem clare et plane intelligat.

Haec diligentia, hic amor, hic affectus, hoc studium, haec fides in interpretando, et haec integritas vestrae dominationi vestrae magnificae, quod nos polliceri non dubitamus, redundabit non in honorem tantum sed etiam in utilitatem, prout ejusmodi gratitudinis ejus majestatis erga se non parva sensit argumenta et signa. Et quaecunque hactenus facta et exhibita sunt, sperare debet, quod inposterum, prout sinceritas vestra promerebitur, majora subsequentur, suffragantibus nobis et domino Joanne Maria, amico et promotore vestro non postremo, de cujus reditu adhuc nihil intelligimus, sed brevi rediturum speramus. Bene et feliciter dominatio vestra magnifica valeat. Datum decimaquarta Januarii 1554. Constantinopoli.

LXIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. januar. 17. VIII. die mensis instantis advenerunt Constantinopolim nuncii reginae Isabellae duo et Petri Petrowyth unus, una missi, quorum praecipuus Polonus est, reliqui Hungari; nec familia IV. homines excedit, omnesque juvenes et Verancio noti, unusque etiam servitor extitit ei aliquando. Mansere Constantinopoli V. dies circiter, et postea ad principem in

Asiam profecti sunt. Ductor ct instructor eorum Mahmut est dragoman turca, qui alias apud majestatem vestram functus est Viennae legatione Turcae, inde legatione executa ad reginam regressus fuerat, et conatus est ejus et filii fortunam in Transsylvania contra Heremitam retinere. Quare nunc quoque idem est et reginae et Petri Petrowyth consiliorum instigator et reversionis instrumentum.

De legatione magno studio enixi sumus, ut aliquid intelligere possemus, et quae tandem non contemnendis mediis potuimus, haec sunt. Supplicat regina cum Petro Petrowyth, ut imperator Turcarum cum majestate vestra pacem non faciat, neque illi Transsylvaniam concedat, quia quicquid nunc ageret oratorum medio apud imperatorem Turcarum, dolus et fraus esset; ut jubeat passae Budensi et Temeswariensi primo quoque tempore ipsi Petro Petrowyth gentium ferre suppetias, spem se habere certissimam de recuperanda Transsylvania, quia ad eas gentes, quas est ex Hungaria habiturus, quae secum in hanc conjurationem conspirarunt, juvabitur etiam ex Polonia viribus, et mox Transsylvania quoque universa auxilio ejus consurget, ubi viderit Turcae subsidia; ut oratores majestatis vestrae Turca retineat, quia cum episcopus unus sit ex praecipius suis consiliariis, Zay vero classis summus capitaneus, sciunt non solum omnia secreta majestatis vestrae, sed etiam hoc ipsum, quo velit eum decipere. Imploravit regina Isabella apud etiam regem Franciae opem, ut se ac filium principi Turcae commendaret, misso ad eum vel nuncio vel litteris. Quare advenit etiam sub hoc tempus praefati regis Franciae nuncius, isque vestitus veste hungarica, sequctur reginae et Petri Petro-

wyth in Asiam nuncios, cujus commissio potissima est, reginam cum filio commendare, et omnibus modis instare, ne filium cum serenissima filia majestatis vestrae maritet, ejusque affinitatem prorsus rejiciat, offerendo eidem se affinem quandam suam collaturum, et praebiturum omnem opem, quam poterit. Postula regina Isabella et ab uxore imperatoris Turcarum apud maritum ejus commendari, et nuncii obtinuerunt litteras, si modo verum est, quod dictum nobis sit. Quicquid praeterea Joannes Maria tulit hinc commissionum ad majestatem vestram, quicquid apud eandem istic tractatum est et huc ad nos est relaturus, iidem nuncii retulerunt hic passae, reginam et Petrum Petrowyth omnia plane scire, eaque etiam litteris suis tam passis quam ipsi principi perscripsit. Postremo petunt Lippam, Solymos, Chanadinum, Chaylyath, Fenlakoth, Nagylakoth et Zolnok sibi restitui, quo magis ac magis tam Hungari quam Transsylvani erigantur ad complectendam fidem reginae Isabellae ac ejus filii, seque etiam ipsius Turcae principis auxilio et gratiae committere non vereantur. Munera portaverunt non magna, neque valde conspicua; quae Hruztano passae et Zynan fratri suo tulerunt, ex tanistra porrexerunt, fuitque rude aurum et vestis sericea. Ad principem hoc ipsum ferunt aurum, et ad passas pannos auro et serico mixtos, nec sericorum pannorum valor octingentorum ducatorum summam excedit. Et haec est tota legationis summa, quam sic scribimus, ut accepimus, supplicamusque veniam nobis dari, si quid secus fuerit; non enim certiora scire potuimus.

Quod ad alia attinet, superioribus diebus dederamus ad majestatem vestram et ad reverendissimum dominum episcopum ac dominos vajvodas per Trans-

salpinam litteras cuidam Ioanni Toth inquilino Brassoviensi; de his litteris quid actum sit, nescimus. Ad notitiam tamen passae Zynan in adventu horum nunciorum pervenerunt, et nobis earum continentiam significavit cum indignatione quadam, quod nos hinc novitates et alias res ad majestatem vestram scribendo male faceremus, idque si pergeremus facere et deprehenderemur, posse fieri, ut incommodius nobiscum ageretur. Hae litterae an nostrae fuerint, necne, ambigue et proprius ad negationem respondimus: quia nobis non deessent inimici, qui eas finxisse potuissent, et si nostras esse constaret, afferantur, ut eas videremus. Quod cum facere recusassent, dicerentque in in eis nihil mali contineri, sed in posterum sileremus, diu fuimus solliciti unde de memoratis litteris passa cognovisset, et demum amicus quidam Turca nunciavit, redditas fuisse litteras eas fideliter, verum esse apud dominum vajvodam Dobo, hominem, amicum et fere consiliorum ejus participem, qui quicquid ad eum vel a majestate vestra vel aliunde de publicis rebus scribitur, id totum ad Petrum Petrowyth perscribit, Petrus Petrowyth vero huc, quo nobis negotium facessat et res majestatis vestrae impediat. Hoc quia majestati vestrae damnosum est, et dominis etiam vajvodis parum commodum, immo magnum obstaculum ne possint strenue fungi suo munere, dignabitur caute primum cognoscere, nihil se ex Turcia habuisse fingendo, sed aliunde, quia nobis periculum immineret, cum dicerent, exploratores esse non oratores; postea ita omnes suos ministros edocebit, tractare negotia ejusmodi, ut secreta habeant, nec apud hostem ante tempus evulgari curent.

De Ally Matthia etiam, quodnuper scripseramus,

Turca quidam nobis e Hruztani passae domo affirmavit et dixit, recte actum cum majestate vestra, quod abierit, sed esse adhuc alium, cujus opera memoratum negotium molietur, nec nomen hujus extorquere potuimus. Verum majestas vestra morbo huic diligenter invigilet, remque cum paucis communicet, quia mala sunt tempora, in quorum mores pauci sunt mortalium, qui non abeunt.

Verum est et de classe Turcica, quam apparari scripsimus; ea quot triremium erit, nondum est plane determinatum, sed de 60. tantum vulgatur, et jam conscribuntur subditi, qui sua pecunia conferent remiges. Apparatus ejus pro opinione et voce plurium fit in Golettam Tunetanam, etsi secretius judicium est, quod propter custodiam maris et Graeciae, cum princeps longius abesse cogitur. Proxime vero et Galliarum regis homines, qui duo hic surrogati sunt, donec novus orator adveniat, classem hic a passis Hruztano et Zynan, nomine sui principis porrectis litteris petiverunt, quibus responsum est, regem ipsorum multum impendere, caeterum visuros quid agendum erit, quum principis sui voluntatem cognoverint. Princeps autem ipse convaluit et Hierosolymam profectus fuerat, ubi ad hiemis usque exitum morari statuerat. Verum interim cum jam XIII. dierum iter confecisset et urbem prope esset ingressurus, occurrunt ei veredarii nunciantes, regem Persarum invasisse ejus quandam provinciam, et eam caesis colonis et municipiis, ac villis igne consumptis, quasi totam stirpitus delevisse, eoque esse in periculo Van quoque arcem quandam, (de qua aliis nostris litteris scripseramus), ut parum deesset, quin caperetur. Quare omissis Hierosolymis, et ab suburbiis ferme reversus, rediit, ad ca-

stra magnis itineribus, confestimque missis duobus expeditis nunciis ad passas Hruztanum et Zynan, qui huc heri advenerunt, primum eis imperatum, ut majorum ac mediocrium bombardarum centum numerum et vim commeatuum omnis generis quantam maximam potuerint, mari, qua ad eas partes, in quibus est exercitus, quam propinguissime licebit, eis submittant, edicantque ubique per suas ditiones, ut omnes, qui vel X. asperis e publico merent, sub poena capitis ad quadriennium usque sumant secum necessaria, et sequantur castra; nec desideat Hruztanus passa quoque domi in otio, sed expedito solito ejus apparatu militari ad se maturet. Persa enim nihil minus vult, quam pacem, sibique eam fortunam pollicetur, quod eum Scutarum usque insequetur. Hruztanus passa Constantinopoli haeret, et silet, et licet erat fama, venire quendam inquisitorem, qui de ejus administratione rationem esset exacturus, quod multi de eo expostulassent, is tamen nondum venit, dudumque venire debuisset, si initium rumoris ejus consideramus. At quia nondum venit, et instanter revocatur ad Portam, aliud in ejus rebus subsequetur, quam possimus loqui. Haec sunt quae de bello Persico habemus, quaeque magna et publica fide confirmantur. — Nec est aliud, quod dicamus, supplicamus tantummodo, ut Joannem Mariam cum tributo Transsylvaniensi diutius non detineat, ne interim aliquid aliud interveniat, et nostrae occasiones incassum nobis effluant. Verum si rex Franciae interim a majestate caesarea enixius urgebitur, nihil hoc tempore oportunius rebus majestatis vestrae et regnis ejus poterit evenire.

Et ne quid aliud majestas vestra existimet, quod

has praesentes sic patentes sub aliena inscriptione misimus: amicis Dellavecchia cavimus, quorum opera scribimus, ex quo illae aliae nostıae ad scitum passae pervenerunt. Audivimus postea hominem regis Franciae non venisse, sed cursorem tantum, hominem Ragusinum litteras ejus attulisse ad principem et passas, in eo tamen revera negotio, ut contractus serenissimae filiae majestatis vestrae et reginae Isabellae filii infringatur. Praeterea princeps hic ad reliqua gentium subsidia, quae se sequi imperavit, jussit etiam scribi duo millia novorum janizarorum ex agzyamoglanis, qui imperatoris Turcarum pueri vocantur, et in decimationibus humanis collecti ad janizarorum ordines educantur, moxque in castra illi submittantur. Regem Persarum enim nihil timere ajunt, affirmantque ad centum millia hominum in armis, et pixidarios paulo pauciores quam Turca (habere); et de proclamatione belli Persici, alii in triennium alii in quadriennium factam esse dicunt. Sed utcunque fuerit, nos bonam expeditionem sperabimus, Domino adjuvante, si hoc bellum confirmabitur. Postea etiam accepimus, Hruztanum passam non audere ire ad imperatorem, et socrum suam scripsisse ad maritum, quid Hruztanum passam ad se revocaret, cujus jussiset officium; locum et proventus omnes intercipere, haecque omnia Achmat passae concessisset. Ex hoc quid possit elici, facile apparet. Caeterum omnes judicant ad macellum eum vocari, et ob id formidare, eo proficisci. Ud audimus ejusmodi indies dici, sic scribimus, ut nil majestatem vestram lateat; multa enim dicuntur et aguntur modo hic, nec intima, finemque alius novit quam Deus.

Quod addamus nihil est, nisi quod adhuc Joan-

nes Maria nobis desideratur, et imperatori Turcarum ac passis ejus non minus quam nobis. Vellent enim rei nostrae finem jam videre, et carere sollicitudine altera, quum Persae resistere vix posse sperent, tanto vigore et fama belli ejus urgeri pergunt. Litteras vero a majestate vestra nullas postea accepimus, quam Petrus Horwath venit, nec scimus causam. Nos adhuc Dei gratia omnes bene valemus, et rogamus Deum, ut majestatem vestram quam felicissimam et incolumem diu conservet. Constantinopoli, XVII. Januarii 1554.

LXIV.

Dominego Gaztelunak Verancsics és Zay.

Al M. Dominego Gaztelu il Veranzio e Zay.

Vostra signoria mi perdonerà, se non rendemo 1554. januar. 17.
il pari delle novelle, con quelle che da qui sono, scrivendoli anco questo in maniera che vedete senza nostro bollo, e sotto mansione di altri. Perhò di poi non molto soddisfaremo al officio. Le sue del IX. di Novembre al XXVIII. di Dicembre ricevemmo intiere e salve; nè altre da Lei o prima o poi havemo havute. Le nove che n'ha largamente scritte, ne sono sta molto grate. E Signor Iddio mantenga quelli, li quali vogliono salvo il stato Cristiano. L'armata che se fa di novo per Goletta, como si ragiona, sarà per altre parti et havrà 60. galere, no più, ne lice per hora. Solamente la preghiamo che queste si degni espedire a soa maestà in tutta prescia. E state sano. Da Constantinopoli, il XVII. di Gienaro M. D. LIIII.

LXII.

Remer Zsigmond Kristófnak Verancsics és Zay.

Christophoro Sigismundo Remero Verancius et Zay.

Quod ad te crebro non scribimus, ut optas, non 1554. januar. 18.

est alia causa, quam ne in aliquas suspiciones et te et nosmet ipsos adduceremus. Alioqui amici esse non desimus. Caeterum de chirographo manus tuae latino pro aureis nummis decem, quos tibi mutuo dedimus, nihil tibi nunciavimus, quia nec vernaculum valde exegimus, quandoquidem majora etiam auderemus in te conferre, si modo essemus facultate, qua esse deberemus, quum huc non veneramus nisi pro diebus decem, vel ad summum viginti. Igitur habeto nos ingenue commendatos. Hominem autem nostrum, quem ad te mitti desideras, videbimus, sed difficile isthuc poterit venire homo noster, ut non agnoscatur. Quod itaque et tibi et nobis commodius esse possit, hortamur te, ut si quid habes, quod nos vel tua vel nostra causa velis, alia id via, alia ratione agas. De novis habemus nihil. Vale. Datum decimaoctava Januarii 1554, Constantinopoli.

LXV.

Amhád pasának Verancsics és Zay.

Verancius et Zay Ahmat passae, principis Turcarum primo vesirio S.

1554. januar. 22. Hodie recepimus binas litteras a serenissimo rege nostro, quarum alterae datae sunt ad magnitudinem potentissimi imperatoris, alterae ad nos, jussitque sua majestas, ut eas, quae ad ejus magnitudinem sonant, statim et sine mora mitteremus. Quod et fecimus. Caeterum quae nobis quoque sua regia majestas scripsit, omnia ad unicum verbum eidem vestrae magnificae dominationi transscripsimus, ut intelligat omnia, quae sint illinc allata, et quae sua regia majestas nobis etiam in hoc negotio futurae pacis commisit et mandavit.

Et quia proxime dedimus ad dominationem vestram magnificam unas litteras nostras, quae quoniam sero fortasse perferentur, exemplum earundem cum praesentibus mittimus, ut dominatio vestra magnifica intelligat, omnibus ex partibus verba et actiones nostras convenire cum voluntate serenissimi regis nostri, cujus bonum ac sincerum animum ac perseverantiam in desiderio pacis faciendae cum invictissimo imperatore cognoscet, immo etiam quietem ab armis intelliget. Rogamus eam plurimum, velit eidem serenissimo regi nostro favere, et ita ejus majestatis regiae rem et causam apud invictissimum imperatorem commendare et promovere, ut aliquando illi gratificari possit. Nec dubitare debebit, quod in hoc non minus commodum imperatori suo invictissimo sit allatura, quam regi nostro, cujus sinceritatem invictissimus imperator erga se vel ex his litteris plane cognoscet, declarabuntque praxes adversariorum ejus esse falsas et vanas, et magnitudini ejus multum hoc tempore damnosas.

Quoniam autem majestas regis nostri cupit excusari apud invictissimum imperatorem ob moram expeditionis Joannis Mariae, qui aegrotus fuit, et ob negotii magnitudinem, cujus nequit cito sumi deliberatio: rogamus vestram magnificam dominationem, velit nostro nomine ejus magnitudini supplicare, ne indignetur, nec aliter eam moram interpretetur, quam ipsius regis nostri litterae sonant. Veniet autem, qui venturus est, nec tardabit; dummodo invictissimus imperator sit sanus, felix et de hostibus ejus victor.

Reliquum est, quoniam necesse est, interim confinia illa quieta esse et sine inimicitiis, et rex noster inducias praesentes jussit ubique in ditionibus suis

late observari, donec nos hic omnem legationem expediamus: rogamus dominationem vestram magnificam, ut alias etiam litteras supra praefatas inducias obtineat a sua magnitudine, et mittat ad Budensem et Temeswariensem passam, et ad regem nostrum, quod denuo limitanei praesides admoneantur ad quietem et otium et pacem mutuam observandam. Quod ut imperatori invictissimo et regi nostro serenissimo feliciter succedat, faxit Deus Optimus Maximus, et magnificae vestrae dominationi omnia bona precamur. Datum vigesimasecunda Januarii 1554, Constantinopoli.

LXVI.

Vég János erdélyi követnek Verancsics és Zay.

Verancius et Zay Joanni Wég nuncio Transsylvano S.

1554. januar. 23. De adventu tuo plurimum gaudemus, et precamur ut prospere geras omnia, quae sunt fidei tuae demandata. Quas autem misisti nobis litteras, accepimus et intelleximus, et valde laetamur, res omnes in Transsylvania per dominos episcopum et vajvodas geri feliciter. Plura nunc non scribimus, quia is noster internuncius supplebit semper vices nostras, immo et vestras. Quoniam vero difficile nobis colloqui licebit, hortamur te, ut modo quopiam, sed cauto facias nos certiores, quibus in rebus adveneris, quo nos etiam sermones et actiones accomodemus tuis, vel nostris tu, si sic negotia exegerint, quum nobis quoque a majestate regia heri allatae sunt litterae. Demum si omnes ad id viae defuerint, hoc ipso utere internuncio, est enim nobis fidelis, etiamsi tegatur galero. Vale. Datum vigesimatertia Januarii anno 1554, Constantinopoli.

LXVII.

Kiván csausznak Verancsics és Zay.

Verancius et Zay Kywano ciauso S.

Litteras tuas heri nobis reddiderunt, quas qui- 1554. Januar. 28.
dem grato et amico animo accepimus, idque eo potissimum, quod ea nobis patefecisti, in quibus cum Transsylvanorum nostrorum nuncio ad principem Turcarum proficisceris, quodque ostenderis, velle te uno nobiscum calle ambulare et eidem verbo inhaerere, dummodo fias a nobis certior et edocearis, quo loco sint cum Turca res nostrae, quoque tenus in negotio pacis processerimus, quicque te illic conari, cum affueris, consulimus. Quapropter scito, quod quibus in rebus missus es, et ut rem te gesturum tuto ostendis ac polliceris una cum collega tuo Joanne Wég, recta es in via, nec multa instructione indigetis, quia regis nostri hoc semper fuit desiderium, ut Transsylvania semel jam tandem desineret a seditionibus et novis rebus moliendis, utrumque ac legitimum principem suum agnosceret et reciperet, ac praeterea, ut inter principem Turcarum ac serenissimum regem nostrum pace composita et amicitia renovata, ea sincere, inconcusse et inviolabiter servaretur ac foveretur; caeterum etiam ii summoverentur e medio, ut: Petrus Petrowyth cum quibusdam aliis sibi similibus, ne memoratam amicitiam et pacem inter hos principes perturbarent, jamque tot afflictorum populorum nominis christiani constitutum et confirmatum otium non revocarent in aerumnas et in discrimen.

Haec eadem quoque nobis data sunt mandata ab ipso rege nostro ad hunc Turcarum principem, di-

ligenterque injunxit, ut instaremus, quo velit amicitiam ejus complecti, quae illi nullae(i) molestiae aut oneri esset futura, ut quorundam Aliorum, qui semper ab eo petunt, sed et honorifica et commoda, quum potius daturus ei est, quam quicquam petiturus. Unde hactenus etiam, si hic princeps hanc ipsam amicitiam recepisset, dudum certe rex noster majorem numerum honorariorum pro Hungaria et Transsylvania mittendorum curam gessisset; sed quorum hominum causa factum sit, ut hujus amicitiae et concordiae instauratio tam diu dilata fuerit, ipsi viderint: Deus alioqui non deseret suos.

Et quia nos quoque in hoc ipso venimus, laboravimus et adhuc laboramus: hortamur vos, ut eatis et pergatis bonis avibus; atque ita gerite omnia, ut ab episcopo et vajvodis, reliquisque regni Transsylvaniae proceribus edocti estis; et advigilate diligenter, ut mendaces reginae et Petłowyth nuncii, qui vos praecesserunt, nihil vestris actionibus obsistant, nec negotia regis nostri perturbent. Persuadere autem tibi debebis fide minime dubia, quod si te strenue et fideliter his in rebus gesseris, tali gratia et remuneratione in reditu excipieris a rege nostro, quae tibi et honoris plena et utilitatis veniet cumulatissima, nosque sic apud eundem regem et dominum nostrum clementissimum exponemus operam tuam, et tuum erga ejus majestatem studium ac voluntatem, ut tute et intelliges et senties signis non vanis neque frivolis, fatebereque nostram amicitiam tibi non defuisse.

Nec est aliud, quod addamus, praeter quam ut cum dominis passis, qui sunt hic, ita vos geratis, ut sinceritatem regis nostri erga hunc principem veram et sinceram intelligant. Sunt enim prudentissimi, et

sine ullo dubio valde bene sciunt malum a bono dignoscere. Enitamini itaque, ut in amicitia regis nostri eos confirmetis, et in adversariorum invidiam adducatis, prudenter, vere et circumspecte loquendo omnia. Memineritisque accipere ab eis litteras commendaticias ad alios passas, qui sunt cum principe, idque non tantum pro tutela itineris vestri, sed in causa regis nostri promovenda, et permittenda illi Transsylvania. Quod a vobis et a te potissimum ita est ejus regia majestas acceptura, ut rem omnium gratissimam. Vale et iter agas felicissimum. Datum vigesimasexta Januarii 1554, Constantinopoli.

LXVIII.

Remer Kristóf Zsigmondnak Verancsics és Zay.

Antonius Verancius et Zay Christophoro Sigismundo Remero S.

Litteras tuas intelleximus. Scito igitur quod omni- 1554. januar. 26.
bus in rebus, in quibus possemus tibi prodesse, vellemus animo et voluntate longe propensissima. Quare illae quoque litterae tuae, quas nuper ad nos misisti mittendas Viennam, adhuc haerent in nostris scriniis, quod commodum tabellarium non nanciscimur, cui tuto committi possent. Verum indies etiam pro nostris litteris operimur sollicite, si quos fortuna offerret. Operae itaque pretium erit, si quas de novo Viennam mitti desideras, eas in promptu habeas, atque ad nos transmittas, ut apud nos cum nostris occasionem expectent. Pollicemur nos tibi hac in re fraternum officium, negotium autem tam tuum quam juvenis istius tui amici Felis pro tuo arbitratu, hiisdem in litteris exarato, diligenter*); et edoceas amicos et propinquos

*) Kimaradt: procurabimus vagy hasonló jelentésű más szó.

captivitate liberemeni. Nos enim curabimus, ut prima quaque occasione Viennam incolumes perferantur. Nec est dubium, quin permutandi captivi reperientur illis in partibus, dummodo habetis opportunitatem apud majestatem regiam amicorum et propinquorum non indubiam. De Joanne Maria habemus ex litteris suae majestatis, brevi iter ingressurum Constantinopolim versus; et res ibi majestatis suae recte procedunt; tu vero de amicitia nostra tibi, quae cupis, persuadeas. Vale XXVI. Januarii 1554. Constantinopoli.

LXIX.

Federigo Badoeronak Verancsics.*)

Il Veranzio al magnifico Federigo Badoero S.

1554. febr. 8. Il presentatore di questa è M. Dominego Regolo conterraneo mio, tanto a me accetto quanto un fratello all' altro esser puote. E questo per più ragioni e dote, che in lui sono, le quali a ricontare ne particolari hora non mi estendo, per non far parole, dove in fatto strettamente racommando l'amico. Questo ha un fratello in Venezia, M. Francesco dottore nella rason civile, e di altre assai virtù segnalato. Li quali tutti due avendo in luogo di fratelli, e cari tanto quanto rari, alla magnificenza vostra gli racommando con quella fiducia che già in Vienna mi dette di se, non per me solo, ma ancora per gli amici mei. E racommando in simil guisa a vostra magnificenza più persone, perche facciendo di quella spesse volte la memoria molto honorata et alzando usque ad superos supra omnes prope mortales la gentilissima natura suoa e suoe rare grandezze e vertù, molti di amici

*) Velenczének előbb mind Bécsben mind Konstautinápoyban követe

miei faccio inamorarsi di Lei, a tal che ogni uno resti desideroso da servir la si, come io faccio. Hor dunque vostra magnificenza degnarassi a sapere cheanco li miei Regoli sono tenuti di questo desiderio,li quali, pregho, che benignamente nella suoa clientela aggiunga.

Io in un subito, nullis meritis praecurrentibus, fatto un poco maggiore di più piccoli, fui carricato di questa legazione, la qual nel vero è tanto grave e pericolosa, quanto altra al mondo nissuna. Ne conto le cause, che alli signori Veneziani sono bene note. Laudato sia Iddio, nel quale ponemo il tutto quanto esso ne aggiuti e conforti. Mi afforzo spesso di far vertù di necessità, ne despero di n' uscire con satisfazione de suoa maestà e commodo di suoi popoli.

Di novo de queste bande dopo le carnificinae domesticae e turbazioni di mille sorte, hora non c' è altro che bella, horrida bella, et Asiam multo spumantem sanguine cerno. Il Persiano sta saldo e fa facende. Quest' altro non manca intertenendosi perhò adhuc in hybernis, et accresciendo ogni dì l' esercito, a ciò con la moltitudine suoa vinca la leggierezza e prontezza e stratagemme del Persa.

Noi volemo pace come anch' essi, benchè lor fenzeno (?) male per costi, e Dio perdona a chi è in causa. Ne c' è altro per adesso, se non, che bacciandoli le mani, mi offero ad ogni suo piacere. Datum nel II. di Februario, Constantinopoli, M. D. L. IIII.

LXX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Sint Deo Optimo Maximo laudes, majestati vero 1554. febr. 8.
vestrae summae gratiae, quod nunc, hodie scilicet utriusque vestrum, quid facto opus sit, ut ambo e

demum, VIII. die Februarii anni 1554 intellexerimus, quo pacto et Joannem Mariam Malvezium collegam nostrum et actiones nostras, quas apud hunc principem Turcarum summa fide et industria gerere adnixi sumus, majestas vestra gratiose accipere sit dignata. Qua fide et diligentia omnia hic nobis commissa indies gerimus, recensendi nunc tempus non est, sed majestas vestra clementissima sit certa, quod capitibus nostris non parcemus in quemcunque eventum, ut et tuae serenissimae majestati et regno ejus inserviamus. Ad reliqua quoque quae hac ipsa die a majestate vestra cognovimus, debita copia respondere non possumus, quia ea ipsa certe hora, qua ad eam has dabamus praesentes, duplices ejus ad nos pervenerunt, publicusque tabellarius Venetorum, qui eas ferre debebat, moram pati non potuit. Sciat itaque tantum majestas vestra pro nunc, quod die hodierna, ut diximus, februarii VIII. accepimus ex Venetis ab illustri et magnifico domino Gaztelu oratore ibidem suo, binos ejus majestatis litterarum fasciculos, alterumque similem illis litteris, cum suis exemplis omnibus, quas per Budam misit V. Decembris anni superioris datas, ut in praesentibus etiam intelligere dignabitur, alterumque exponebant Joannis Mariae adventum et quaedam alia de majestatis vestrae in pluribus rebus animo. Quae utraeque litterae nos magnopere delectarunt, potissimum vero, quod majestati vestrae omnia feliciter succedant, quodque ea consilia majestas vestra est prosecutura, quae dissuadent abrupta, et fortunae atque casui obnoxia. Credat majestas vestra, quod Deus etiam magna et duratura pedetentim promovet; et consideratis rebus regni sui Hungariae praesentibus, cogitandum est

aliquando, ut praecipitia evitentur, hoc praesertim tempore, quo imperator Turcarum, hostis noster in asperrimas et mirabiles charybdes inductus est. Sique harum induciarum nostrarum spatio patietur forte fortuna a suo adversario rege Persarum aliquam inclinationem: Deus bone, qualis occasio felicissimorum successuum majestatibus vestris, quae solae pro nomine christiano belligerantur, offeretur, modo nervi interim bellici praeparentur, et communiantur fines ac duces praeparentur. Haec pro nunc, quia plura non possumus, festinante tabellario, copiosius tamen brevi ad praesentes litteras responsuri; et tantum hoc addimus, quod hortamur humillime majestatem vestram, ut velit curare, quo pacificissime fines Turcae teneantur. Caeterum magna et inenarrabili laetitia exultamus de conjugio Anglico in principem majestatis vestrae nepotem, ut ex Venetiis audivimus. Quod si revera secutum est, laetetur non Hungaria et Transsylvania sola, sed omne christianum nomen. Plura addere possemus, sed nequimus. Verum illustrissimum et magnificum dominum Dominicum Gaztelu non commendamus majestati vestrae, quia parvi magnis non afferunt splendorem, verum ita laudamus, ut supplicemus majestati vestrae, quo dignetur illum habere inter primos benigne, et gratiose acceptum. Nisi enim ipse fuisset, et illi magnifici mercatores Veneti, hic sicut in tenebris essemus. Sed majestas vestra felicissime et in gratia omnium Creatoris pro voto bene valeat. VIII. Februarii 1554.

LXXI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. febr. 8. Die vigesimasecunda mensis Januarii duo Budenses ciausi attulerunt nobis a majestate vestra litteras V. Decembris datas, erantque his adjunctae, quae ad imperatorem Turcarum mitti debebant. Omnibus igitur intellectis, quae ad nos majestas vestra scripserat, et quae per dominum Andream Tarnozy cum Budensi passa egerat, quodque etiam in Transsylvaniae restitutione per magnificos vajvodas fractis rebellium conatibus, praeclare ac feliciter confectum fuerat, quae nos magna voluptate affecerunt: haud mora, passas Hruztanum et Zynan accessimus, eisque, declarata majestatis vestrae primum perseverantia in voluntate pacis et amicitiae cum imperatore Turcarum ineundae, deinde excusationibus quoque enumeratis de tardiori dimissione nostri collegae, diximus iis ipsis causis muturandum esse in Asiam ad imperatorem Turcarum cum litteris majestatis vestrae, quas ad eum habuere; simulque diligenter rogatis, ut res majestatis vestrae in Porta apud suos amicos et imperatorem Turcarum, pro sua in eos fiducia promoverent ac juvarent, hisque obtentis, quantum obtineri potuit, ac reversi ad hospitium, ea ipsa adhuc die scriptis litteris ad magnificum Achmat passam et Ibraimum interpretem, summa cura et diligentia, prout majestas vestra nobis mandaverat et res exigebat, memoratos ciausos ducatis aliquot muneratos ad imperatorem Turcarum cum litteris majestatis vestrae expedivimus, qui quantum et ab eis ipsis et ab aliis

intelleximus, optime erant majestati vestrae affecti, promittebantque eidem se fidelem in praesenti negotio operam navaturos contra mendacia reginae Isabellae et Petri Petrowyth nunciorum, cum essent coram passis probaturi: fines istos per majestatem vestram pacifice et amice conservari, nihilque eandem contra imperatorem Turcarum hostile moliri; quod ii nuncii videntur multa hic de his blaterasse.

Die sequenti, qui fuit XXIII., advenit et ex Transsylvania a reverendissimo episcopo et magnificis vajvodis nuncius Joannes Weg cum Kyvan ciauso, in rebus certe valde opportune nunciatis, et quas nos, si bene meminimus, nunciari alias desideravimus: nolle scilicet Transsylvanos Petrum Petrowyth, nec alium regem aut dominum, praeterquam majestatem vestram serenissimam. Per hunc quoque nuncium litteras accepimus a reverendissimo episcopo et magnificis vajvodis, ex quibus cognito statu Transsylvaniae reparato, et rebellibus majestatis vestrae tam turpiter victis, ac ea provincia deturbatis, eadem profecto laetitia nos affecerunt, qua priores majestatis vestrae. Laudetur itaque Dominus Deus, qui et majestati vestrae benigne affuit, et eam nationem tali mente et sanitate donavit, ut jam tandem intellexerit bonum suum, nolitque in Aegyptum descendere pro auxilio, quum sit Deus in Israel. At nos per litteras et internuncium collocuti cum Joanne Weg et suo ciauso de his, quae attulerant, et quomodo gerere sese in Porta debebunt, ut convenienter nobiscum agant omnia, quia ad nos venire non sunt permissi, iidem quoque XXVII. praefati Januarii expediti sunt ad imperatorem Turcarum. Jam majestas vestra dignabitur scire, quod et hic nuncius ex Transsylvania et

litterae majestatis vestrae adeo opportuno tempore advenerunt, quod simul et sub adventu nunciorum reginae Isabellae et Petri Petrowyth, testimonio et passarum horum, prout nobis retulerunt, et amici illius secreti, ut si ex condicto id factum extitisset, opportunius fieri non potuisse. Unde accedente ad haec et belli hujus Persici confirmatione, de qua jam nullum dubium est, omnes amici nostri et felicem et facilem expeditionem nobis pollicentur, si modo cito collega noster reverteretur et tributum pro Transsylvania afferretur, quod nec retineri nec differri, at mittendum debet, si adhuc stat de pace et amicitia imperatoris Turcarum sententia. Quia Hruztanus passa uti est in majestatem vestram homo et mentis et animi mali, etiamnum dubitat, quod majestas vestra memoratum tributum mittet, sed tantum verbis interim agit cum suo principe, dum ardentius bellum cum rege Persarum conserat et constituat, ut postea retento etiam hoc tributo, ut illo nuper de Hungaria, improviso mox fines ejus invadat. Haec nobis amicus ille secretus, et qui est illi intimus, et curiae suae primus, retulit. Quare si sic, sicut cogitat, in porta etiam sui principis disseminat ejusmodi, quantum nocere cupiat, plane videtur, quaque in hoc majestati vestrae celeritate est utendum, in ejusdem manu consilium est.

Caeterum non praetermittemus etiam illud, quod nuper, tentandi amici hujus nostri gratia, quia occasio fuit oblata, tuto quodam modo fecimus illi dicere: cur hic princeps dum tot regna possidere contendit, nullum sine perpetuis laboribus, maximisque impensis et periculis tuetur? et quaedam similia. Nonne esset illi commodius, si consecuta jam gloria et tri-

umpho, Hungariam eandem regi nostro restitueret, secumque perpetua pace atque amicitia constituta, cum interpositione non exigui honorarii muneris, nihil jam ex ea parte metueret, et in eum hostem vires suas in unum collatas converteret, qui cum illi sit domesticus ob communionem religionis, polletque tanta fortitudine, ut omnibus suis antecessoribus fecerit negotium, timendum esset magnopere, ne illinc illam plagam ejus imperii acciperet, qua labefactari et in periculum venire inciperet. Renunciavit, haec vera esse, et id Turcam magnopere vereri, nosque de his rationabiliter commendari, sed his nunc tempus non esse, daremusque imprimis operam, ut liberaremus Transsylvaniam. Caeterum fore postea faciliorem reditum ad reliqua, ubi pace et amicitia inter utrumque principem constituta, sic se mutuo officiis excolerent, ut uterque sibi de altero ea polliceri inciperet, quae desiderare posset. Sed jam de rebus aliis.

Classis Turcicae apparatus procedit, eique praeerit Durgut. Sed variatur adhuc sermo de numero triremium, et quo emittetur; prius de CL. triremibus dicebatur, et contra Golettam Tunetanam, postea de L. tantum, quarum XX. in Pontum, XXX. in Aegaedum mare mitterentur; illae ut Cappadociae littora, qua circumveniri Turca a Persianis possit, hae Graeciae oras custodirent. Nunc jam partim de LXXX., partim de C. dicitur, quodque totus is numerus in Tyrrhenum emittetur, quandoquidem intellexissent caesaream majestatem magnae classis inibi facere apparatus.

De bello Persico non est aliud quod dicatur, nisi quod est fortissime succensum, quodque postae huc a

Turca veniunt, urgentes subditos in exercitum, eos etiam, qui vel duabus aspris merent. Ajunt habiturum trifarium exercitum, quod a dextra ab Arabibus timeret, a sinistra subsidia quaedam Persae; ne cum ipse medius cum reliquo exercitu intima Persiae ingrederetur, circumveniatur; quandoquidem et rex Persarum gerat rem bifariam, filius una, pater a parte altera, et uterque dicitur multo majores copias quam pro solito, et pyxidarios non ad admirationem tantum sed etiam ad terrorem Turcarum habere. Princeps autem hic non periculi arcis Van, uti aliis nostris, prout tunc dicebatur temporis, sed Arabum metu ab itinere Hierosolymitano destiterat. Profectus enim erat eo nonnisi cum duobus mille equitibus, quod perlatum ad Arabas quosdam illi infensos, X. millia equitum expediunt et opponunt in insidiis, qua transiturus erat. Caeterum misso exploratore illi obviam, qui cognesceret et indicaret, quod prope esset, et quando adesse deberet, is idem explorator a Turcis capitur, et plagis fateri adactus, quinam esset, et si quid circa ea loca lateret hostile, indicavit positas eis esse insidias, vixque eas bidui spatio ab eo loco abesse. Quare converso Turca itinere, quum triduum tantum restaret ad Hierosolymarum urbem peragendum, dies et noctes reditum in castra maturavit; eaque fuga cognita prosecuti sunt eum quadamtenus, sed quum elapsum perspexissent, destiterunt; et affirmant quidam, quod nec militi nec principi pepercissent a caede, si assecutos vicisse potuissent.

De Hruztano passa quod jam scribamus, non reperimus, tam multa de eo dicta sunt et adhuc dicuntur, nec est, qui sciat ejus rei exitum. Hic tantum haeret, et silet, nec ullo fungitur officio. Nos Dei

gratia adhuc bene valemus, sed in fundo omnium expensarum sumus, ita ut omnino jam etiam necessariis egemus, quum de nostro plura duplo ad victum exponamus, quam e publico nobis suppeditatur. Nec mirum, si majestas vestra dignabitur considerare numerum hominum, quem habemus, nam 60. excedunt, ut de equis taceamus. Quantum vero quotidie donandum est his voraginibus et omnium mendicorum mendicissimis? Et pudet nos et timemus esse majestati vestrae molesti. Multum tamen est, nec possumus subterfugere, nisi si et de nobis risum concitare et honori majestatis vestrae deesse volumus. Supplicamus igitur majestati vestrae humillime, dignetur nostri gratiose meminisse, praesertim quum et in Asiam nobis est eundum, et in patriam, Deo adjuvante regrediendum, ac in discessu denuo et principis et passarum curia muneranda erit, et multi alii, donec Strigonium excedemus. Quae omnia Joannem Mariam non dubitamus majestati vestrae diligenter enarrasse, quam Deus felicissime conservet. Constantinopoli, octava Februarii 1554.

LXXII.

Dominego Gaztelunak Verancsics és Zay.

Al M. Dominego Gaztelu Veranzio e Zay.

Perche molto semo osservati di non mandar let- 1554. febr. 8.
tere in alcuno luogo, n'è forza scrivere in simil maschere e mandar le nostre per mille artes et ambages, come vedete, di maniera che se non si havrà in avenire più larga facultà di negoziare, e luoghi apostati per indrizzi presti e più espediti a nostre lettere, non sapemo come degnamente potasi servire di noi il no-

stro re, massime in queste parti, alle quali principalmente de haver l'occhio aperto la republica nostra. Ma vostra signoria come è humana, se talhora li scrivemo in brevità, si degnerà per si fatte ragioni haverne iscusati; desiderando noi sommamente aciò queste che vanno a soa maestà, le indrizzi con solita prestezza sotto il titolo di sua mano al destinato porto.

E di novo ciò, che la guerra di Persia va molto inanti per ostinazione de tutti due questi principi, ma più per quella del Persiano che di questo altro; per tutta questa invernata senza riguardo di staggion, di tempi, più e più volte ha fatto danni, havendo e gente e archibusieri molto più che per li passati tempi, di maniera, che il Turco ancora ogni dì fa forza a tutto podere d'ingrassare le sue squadre, dando nuovi commandamenti de dì in dì a tutti suoi sudditi e eziandio a quelli che di due aspri del soldo suo vivono, aciò lo sequitassero nel campo.

Se espedisse anco l'armata di gallere, chi dice 60, chi 80, e chi 100, ne però la certezza del vero numero e verso dove va, sa ogn'uno. Nondimeno dicono alcuni, che passarà più oltre nelli mari nostri, havendosi inteso, che anche la sua maestà del nostro imperatore facesse parimente grande apparato della armata; alcuni, che starà a sentinellare le rive di Grecia. Quello che da vero seguirà, stattemo a vedere, e tutto che intraverrà vi avisaremo con diligenza.

Le cose di sua maestà di quì, speramo, che passerano commodamente, puor tornasse hoggi mari il collega nostro Malvezio col tributo della Transsylvania, che sua maestà fa espedire a tutta prescia.

Se la signoria vostra ne scriverà per occasioni qualche cosa di ardamenti della guerra tra la maestà

cesarea e suoi nemici, e come va quella speranza d' Inghilterra, darà ne gran consolazione, e li saremo molto obligati. Nè ciò altro per adesso, salvo che offerendoci alli suoi piaceri, baciamoli le mani, con pregarla, che dicha il bon dì al clarissimo Federigo Badoero per nome del Veranzio. E l' essempio delle presente se vorrà dar a qualche uno, farà lo avvedutamente, a ciò che in tal mani non capitassero, che qui ci potesse far burla, e parlemo di Christianissimo. State sano. Datum octava die Februarii 1554. Constantinopoli.

LXXIII.

Dominego Gaztelunak Verancsics és Zay.

Al M. Dominego Gaztelu Veranzio e' Zay.

Eravamo già per dar le soprascritte lettere nostre al tabellario per Venezia, quando subito arrivarano le vostre lettere date del 6. del 16. e di 20. del Decembre, e due di sua maestà, le quali erano scritte, altre a 22. di Novembre, altre a V. del decembre passato. Dove vostra signoria sarà avisata, come ditte lettere ne sono state restituite intiere e in maneggio, overo se volete, sotto il mantello per ragualiar i tempi e luogi dove hor semo tenuti. Ne potendo far la risposta alle suoe debita, per la partenza di presente ..... che a mano a mano el si parte, solum dicemo: che vostra signoria ne ha legato di grandissimi nodi a dover li esse molto astritti di gratitudine per la grande ubertà de gratissime nuove che si porge si spesso. Del che cortesamente li ringraziamo e lodamo Iddio che per sua singolare bontà s' ha degnato di porre il freno sulle masselle. Di quel nuovo Mahometano e turbatore di fratelli faccia il superno

1554. febr. 8.

et eterno Principe, che la cosa conclusa habbi felice successo, et il serenissimo principe di Spagna ponga salvamente in gremio della sua sposa.

Del M. Ruggiero Tasso *) havemo.**) Preghiamo molto vostra signoria, che quando sarà appresso sua maestà proemi la cosa di M. Pietro Dellavecchia, mercatore e cittadino Veneziano, el qual se non fusse cossi devoto del nostro re, nè noi havessimo quì al commando nostro i suoi commessi: in verità non sapemo como mandassimo pur una lettera a sua maestà. Si che ancor dicemo e pregamo, fate buon offizio in ciò, acciò non perdiamo simil amico. Puoco di poi respondiremo più a lungo. State sano. Datum il VIII. Februarii anno 1554. Constantinopoli.

LXXIV.

Piero Dellavecchiának Verancsics és Zay.

Verancius et Zay al M. Piero Dellavecchia S.

1554. febr. 8. L'illustrissimo e magnifico oratore che è costi del nostro re, signor Dominego Gaztelu n'avisa, che era per andare alla corte; per absentia sua vole, che le nostre se indirizzino al signor Ruggiero de Tassis maestro delle poste cesaree e del re nostro. Perhò quando riceverete le nostre, consegnarete le al ditto, afferendone alli soi piaceri.

La sua maestà quello ne ha riposto cerca li soi crediti, che di sotto mandemo ritratto delle soe istesse parole, le quali sono tali:

„Deinde nobis quoque cura erit, ne magnificus Petrus Dellavecchia, qui superioribus annis oratori

*) Taxis.
**) Hiányzik valami.

nostro Malvezio isthic sumptus suppeditavit, aliquid damni percipiat, sed faciemus cum ipso tractari, et quicquid illi sub dicta ratione recte deberi cognitum fuerit, id primo quoque tempore ipsi persolvemus. Nec id ipsi solum sed etiam aliis, quos crediti hujus socios habuerit."

Si che vostra signoria stia de buona voglia, che soa maestà non fù mai avara alli benemeriti suoi. Balthasaro suo è un gentilhuomo di intelletto e di natura. Et è tanto al commando nostro, quanto se qui fossinni. (?) State sano. Nella VIII. di Februario 1554. Constantinopoli.

LXXV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Proxime, VIII. *) Februarii binas uno tempore accepimus litteras majestatis vestrae ex Venetiis, prout paucis diebus ante scripsimus. Erantque primae XXII. Novembris datae, et indicabant appulsum ad majestatem vestram Joannem Mariam. Postremae vero V. Decembris, quae eorum exemplum referebant, quas proximi ciausi jam attulerant circa excusationem tardioris ipsius Joannis Mariae expeditionis. Ad quas quod copiosius respondeamus aliud non est, quam ut majestati vestrae serenissimae humillime agamus gratias, quod tam benigne dignata est nobis declarare, fidem se et servitutem nostram gratam habere. Quocirca nos quoque Deum laudamus, cujus beneficio sic agitur nobiscum, quique semper ea nobis facere agereque in servitio majestatis 1554. febr.

*) A másolónak hibáját: „XXVIII" megigazítottuk.

vestrae et regni sui suggerit, quae maxime a nobis expetuntur, quaeque nobis commissa sunt. Ubi vero jubet nos bene inceptis diligenter insistere, et omne studium pro fide et industria nostra adhibere, ut res majestatis vestrae promoveamus, ejusque geramus ex sententia, curemusque enixe ut Hruztanum passam nobis conciliemus cum reliquis passis:

Clementissime rex, quod ad primum attinet, scire majestas vestra dignabitur, quod toti in eo sumus, ut majestatem vestram nunquam poeniteat, nos huc misisse, modo liberiores essemus. Et tamen sic etiam in custodia habiti, agimus, tentamus et experimur omnia, ut inutiles servi non simus, quod jam ex aliquot litteris nostris potuit majestas vestra cognovisse. Ad secundum respondemus: Impossibile esse diabolum posse baptizari; loquimur de Hruztano passa, et dicimus eum nec muneribus, nec amicitiae officiorumque jactatione posse majestatem vestram amicum habere, quippe qui omnium turbarum Transsylvaniensium anni proximi autor et sollicitator et fautor fuerit; et si quo casu vipera haec restituetur in pristinum, ejusque princeps redibit victor a rege Persarum, infestissimum habitura est majestas vestra. Favet regi Franciae plurimum, et paratus est neminem principum christianorum non laedere, ut huic gratificetur. Ideo orandus Deus est, ut hunc in finem usque confundat. Et quoniam ab hoc coepit nostra epistola, expediemus initio quae de eo habemus.

Tria ab adventu suo Constantinopolim, opera socrus et uxoris et filiorum imperatoris Turcarum a principe expetivit. Primum: ut in pristinam dignitatem restitueretur. Secundum: ut Meccam proficisci illi liceret. Tertium: ut in Aegyptum sive Hungariam

passa designaretur. Nec ad primum, nec ad secundum, nec ad tertium quicquid aliud responsum, quam ut in pace penes uxorem sedeat, si vexat nemo. Caeterum ubi se desiderarc dixit provinciam Hungariae, Achmat passa in sinistrum vertit, et egit apud imperatorem Turcarum, ne mitteretur, quod fortasse, ut homo desperatus, transfugere ad Christianos cogitaret. Haesereque ejusmodi apud principem. Haec nobis amicus ille secretus nunciavit, affirmavitque etiam litteras super haec apud se esse. Nunc jam alia de eo feruntur et quidem feliciora, quod scilicet vocetur ad dignitatcm pristinam. Nec est quod de eo affirmemus, adeo variat vices in ejus rei exitu fatum et fortuna. Et cum omnes rationes et rumores vulgi percurrimus, uxore et socru stat ut confundatur hominis superbissimi et furiosissimi spiritus, qui post gratiam tanti principis et tantas opes muliebri ope indigeat ac vivat. Anglicis nuptiis ita offenditur, ut nuper coram quibusdam non sine suspirio dixerit: En tandem Spagna ille canis (quod pace majestatum vestrarum a nobis dictum velimus) obtinuit Angliam, et quid jam facturus rex Franciae est?

Sed de Hruztano passa satis, et ad Achmat passam veniamus. Is summo passatu apud principem fungitur, nec adhuc ordinarios habet officii collegas, praeterquam unum, Ibraim passam. Hunc Achmat passam dicit amicus ille noster secretus plurimum majestati vestrae favere. Nunciavit et hoc: venisse nuper paulo post hiemis initium nuncium Petri Petrowyth ad imperatorem Turcarum cum litteris ejus et reginae Isabellae, quibus opem obnixe implorabant, et petebant ejus gentium auxilio in Transsylvaniam restitui. Haec Achmat passa cum intellexisset, non

sine accommodato et vultu et vèrbis accedens principem, retulit, quae regina Isabella et Petrus Petrowyth postulabant. Caeterum: quid, inquit, isti leves et stulti homines majestatem tuam vexant? quid insaniunt et fabulam de se concitant? Tu pro clementia tua et amicitia, quam erga Joannem regem habuisti, prout etiam facturum te juraveras, posteris ejus dederas Transylvaniam, eos benigne tuebaris contra omnes, qui illis adversabantur. Si igitur ipsi beneficio tuo uti noluerunt, immo recesserunt a te, et ad hostes tuos transierunt, acceperuntque pro Transsylvania alias provincias, et pro Temeswaro et pro Lippa alias arces et pecunias, quo alio nomine tibi sunt habendi, quam rebellium et perfidorum? Quare postquam et tu usus es pietate et munificentia in eos, qua debuisti, et illi te contempserunt: destituendi mihi esse viderentur, amicitiaque regis Ferdinandi complectenda. Principem prope annuisse ad hoc, dejecto in terram obtutu, nunciavit idem amicus, obticuisse paulum, postea dixisse, id cognitionis esse differendum in alind tempus. Qualia sunt haec. *)

LXXVI.

Diomedesnek a szultán börtönei felügyelőjének Verancsics és Zay.

Verancio e Zay a Diomede guardiano delle presone del Turco S.

1554. febr. 24. Signor Diomede, nostro amico carissimo et honorando. Nella presone del gran signore tra li altri schiavi intendemo esser tre della nazione nostra Hungara, il che per aviso de essi istessi havemo co-

*) A többi hiányzik.

gnosciuto, e per nome se chiamano: Nicolo Horvath, Michel Werebely*) e Matthia Marthalith. Li quali essendo ridutti a quella condizione, che chiaschuno de essi si possa discomprare per dui milia aspri, e non potendo che vadano a vagare la galera: è questo tutto all arbitrio vostro per l' officio che havete sopra li presoneri. Per tanto potete sapere et a noi credere, che ditte persone sono assai di bassa condizione e fortuna molto tenue. Tuttavia essendo christiani e huomini che qualche volta sono sta alli servizii nostri, parci esser obligati di agiutarli in quanto si potrà. Ma perche ne è forza chieder et usare il vostro patrocinio, che havete in vostri mani, vi pregamo strettamente, che ci fate havere ditte persone schivandole per ogni via e modo, che non siano mossi nella galera, e quello prezio che già è nominato per la loro redenzione, noi se offrimo de numerarlo subito alle vostre mani.

Fate dunque per noi, immo per la fede christiana questa lodevole e salutifera opera, della qual anche vui sarete partecipe lì, dove si rendono le divine grazie. Questo vui communicarete col guardiano delle presone al vostro piacere. E state sano. Nella XXIIII. di februario 1554. Constantinopoli.

LXXVII.

A királynak Verancsics és Zay.

... **) fecerunt hactenus. Ideo suppliciter oramus, ut 1554. mart. 1.
quae sunt agenda cum hoc principe, agantur et peragantur, dum tempus et occasio nobis servit, tributum

*) Nádasdy Tamásnak kedves embere és kiszabadulása után babócsai kapitány.
**) Kezdete nincs meg.

potissimum Transsylvaniae curetur et maturetur; et penes ista id etiam majestas vestra perpendat, et edoceat nos in solidum, quid agendum erit, si quo casu is orator regis Franciae institerit, ut in hac pace cum majestate vestra et caesarea majestas ac rex Francorum comprehendantur. Consilium enim petimus, non quod aliud intellexerimus noviter, sed fortuitis occurrimus. — Venimus jam ad Turcam et regem Persarum.

De Turca habemus, quod ingentes copias cogit, adhuc quotidie milites Constantinopoli in Asiam trajiciunt. Exegerat nuper oratorem a Tartaro principe Tauricae Chersonesus, qui fuit jam apud eum, et XX. die Februarii rediens Constantinopolim, a bailo Veneto convivio exceptus est. Ubi referre auditus est, Turcam ab ejus principe centum millia equitum petiisse subsidio sua pecunia. Is igitur orator haec nunciare revertebatur, nemo tamen est hic ea sententia, ut tot migrare eo poterint. Sed utcunque ista sese habent, Turca ingentem famam spargit de suo apparatu. Nam huc etiam ad hujus urbis procuratores dedit mandatum, ut utres octuaginta millium florenorum pro ferenda aqua compararent, quibus est usurus per deserta intimae Persiae, quo numero alias nunquam majorem dicitur habuisse. De regis Persarum apparatibus eadem nunciantur, jamque multa egisse contra hostem perhibentur. Turca tamen graviter agit et massam hominum facit. Quid in reliquum erit, ab Aprili et Majo expectamus. Nam recens habuimus, quod circa finem Martii movebit castra ab Alepo Persiam versus, et institutum ejus inter caetera est, plebe eam terram spoliare, jamque allatum est, abactam ex finitimis locis aliquot millibus, licet id Turcis am-

bigue creditur, quod de victoria regis Persarum magna est jam nunc hic opinio.

De apparatu triremium idem est, quod proxime scripsimus, lente tamen apparantur, nec adhuc de magno numero decretum est, nisi quid ex adventu hujus regis Franciae oratoris orietur. Hoc triduo vulgatum est, in hac urbe imperatorem Turcarum Zelimum filium, qui secum erat in exercitu, ut alii volunt, in custodiam conjecisse, ut alii, ab se magna indignatione rejecisse, propter quotidianas ejus libidines et constupratam uxorem cujusdam zanzaci. Vajvoda etiam hic nudius quartus in Transalpina novus creatus est, Petrusko nomine, Calugeri olim vajvodae filius, isque heri ad principatum profectus est, Mircie vero qui nunc dominio potitur, vocatur ad Portam, qui si huc veniet, nescimus, quo animo veniet, quove consilio cedet principatu. De hac mutatione causam non potuimus consequi; veremur tamen, quod Mircie vajvodae nocuerit amicitia majestatis vestrae. Verum non est in his Valachis ponenda aliqua amicitiae fiducia, leves sunt, et instrumenta hujus bestiae, qualia et in Transsylvania esse vellent, si eam pro arbitratu suo conferre possent, ut ab intrusis et extrusis vajvodis uno tempore et saepius munera legerent.

De rebus aliis. XVI. Februarii venit huc unus ciaus Buda, qui in hujus urbis ingressu divertit ad nostrum ciausum, et dixit, se litteras majestatis vestrae ad nos attulisse; id ille gaudens nobis retulit. Sed diu post, qui Buda venit, cum ad nos accessisset, quamvis adhuc ea die transactis aliis negotiis, quae apud passam habuit, dixit se nullas habere ejusmodi litteras. Tacuimus, sed non sine suspicione,

ne si quid attulisset a majestate vestra litterarum, datarum post eas, quas V. Decembris ad nos misit, interceptum fuerit; ideo tacuimus et deinceps tacendum est. Videretur tamen nobis, non debere mitti litteras ad nos nec per Turcam, nec per Turcas ejusmodi, praesertim quae sunt alicujus momenti. Mali enim sunt et nobis minime amici. Ubi autem generose dignatur majestas vestra de impensis nostris meminisse, agimus humillime gratias et supplicamus, ut per collegam nostrum, quem est remissura ad nos aut missura, benigne dignetur providere. Haec enim patria omnibus certe oratoribus vorago est et ignis consumens; nec credidissemus nisi experiremur. Tenenda nobis est honesta et libera mensa, et nunquam sumus sine aut turcis convivis aut christianis, et saepe utrosque habemus. Munera vero vel inspecti cogimur erogare, adeo ut jam mutua etiam contrahere incepimus, sed nostro nomine. Et praeterea illud etiam scire majestatem vestram non putamus alienum, quod sicut aurei ducati hungari istic dati sunt nobis pro denariis 140, hic 112, hoc est: 56 aspris commutantur; ex quo majestas vestra dignabitur considerare, quanta hic jactura fit in aureis hungaricis. Et cum nobis usque in Persiam sequendus erit Turca, procul dubio per multa et incommoda et pericula effundetur pecunia, non impendetur. Et voluissemus secus contigisse; sed postquam Deo sic placitum est, ita fieri necesse est. Sed si molesti sumus in hoc majestati vestrae, humillime supplicamus, ut generose nobis ignoscat.

Et reliquum est, quod intelligimus, nunc majestati vestrae comitia esse cum dominis regnicolis. Quare quia in his etiam de Transsylvania tractabi-

tur, de qua judicio nostro decernendum est, ut in omnes eventus retineatur; nosque hic omnia perpendemus, quo in manu majestatis vestrae libera remaneat. Nam et amicus hic noster secretus de ipsa etiam Transsylvania securos facit, quod Turca gravi et diuturno bello est implicitus; et ut, quod nobis videtur, cum gratia majestatis vestrae libere dicamus: si quo casu Turca omnino instaret pro Transsylvania obtinenda, belloque vellet majestatem vestram lacessere, judicamus, honestius casurum, si vi adimatur quam tradatur; cum et iis quoque solemus respondere: Christianis quoque non esse e religione subditos et regna sua alienae fidei a sua concedere, ut nec Turcis; solentque quiescere, qui ducuntur ratione.

Non omittemus in fine Judaei cujusdam Abrahami, Joanni Mariae notissimi commendationem, quia multo jam ipse et majestati vestrae fidelissimus est, et oratoribus suis hic ita commodus, ut certe dignum putamus gratia et liberalitate majestatis vestrae. Loquatur itaque pro eo Joannes Maria, et majestas vestra dignetur aliquo juvare auxilio. Majestas vestra feliciter valeat. Prima Martii, Constantinopoli, 1554.

LXXVIII.

Ruggiero- Tassonak Verancsics és Zay.

A M. Ruggiero Tasso Verancio e Zay.

Mandiamo queste presenti per soa maestà nostro 1554. mart. 1.
signore, e se qualche altre giungieranno di quà di là, como le mandemo a ventura, ... vi degnarete darle buon ricapito, sicome noi avisò il signor Gaztelu, quando andò alla corte, che lo farete. Parimente se da soa maestà venissero letere, le indirizzarete in

quà per la via solita, come credo ve lo ha detto. Ne altro li imponemo per adesso se non che ne commandi e voglia bene. State sano. Da Constantinopoli, il primo di Marzo 1554.

LXXIX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. mart. 16. Litteras majestatis vestrae VIII. Januarii datas XI. Martii instantis accepimus. Redditae sunt etiam ternae illae, quas missas ad nos fuisse eaedem litterae attigerunt. Caeterum quod septenas quoque jam nostras majestas vestra acceperit, summae est nobis voluptati. Sed totidem adhuc, et plures perferri debebunt, si non interciderint. Verum quae in praesentia scribi possunt: Homo regis Franciae, Codognatus, quem proximis litteris scripsimus oratorem esse, III. hujus Martii die Constantinopolim venit, non dimissus a Zynan passa per Hellespontum ad imperatorem Turcarum transire, sed per Constantinopolim, ubi ipse praetura id temporis fungitur. Dicimus autem hominem, quia negat se personam gerere, oratoris tamen officio, quantum intelleximus, fungitur. Venit ut amici nobis referunt, pacem cum majestate vestra et imperatore Turcarum turbaturus, et classem petiturus, exposito Corsicae insulae et Angliae negotio, quo medullitus offenditur; et quod primo quoque tempore rex ejus ab Italia et Flandria et ab ipsa Anglia caesaris armis vexabitur, nisi principis hujus ope adjutus, distinendas vestras majestates curaverit. Quae cum Hruztano passae retulisset, ajunt parum illi gratum dedis-

se responsum: principem suum privato bello, eoque gravi implicitum, ad quod omnes suas vires conferre cogeretur; et non esse e re ejus christianas modo nationes lacessere; prôinde sero, quantum sibi videretur illum venisse, nequire Turcam tam facile ex ipsa hostis praesentia inceptam provinciam revocare; nihilominus esse principem de hoc certiorem faciendum! Se privatum hominem factum, nec ipsi regi Gallo, nec cuipiam alii ex se quicquam posse polliceri; jam ad Achmat passam omnes publicas administrationes esse translatas.

Cum hic homo appulit, intra octavum diem erat in Asiam transmissurus, sed adhuc haeret hic, et incepti sunt rumores, iter illud eum omisisse; nisi forte nostri gratia id fingeretur, ut in ejusmodi fieri solet, ubi sunt concurrentiae similium personarum. Sed nos, quantum per ingenia nostra fieri potest, his minime movemur, cum videamus et res praesentes et tempora (in quo glorificetur Deus,) nobis servire, nec homines minus (quanquam non sponte) applaudere, qui nihil pro aequitate et humanitate, sed omnia ex privato commodo metiuntur et agunt, utentes etiam perfidia, si utilem futuram cognoverint. Quoniam autem nunc ii quoque, regina Isabella et filius ejus et Transsylvanus adhuc in Porta detinentur, idqe expectatione nostri: amicus ille noster jam aliquoties nobis significavit, quaeri assidue non a solis passis sed ab ipso principe: qui fit, quod Joannes Maria non redierit, aut ejus loco alius? putasne venturum? et similia. Quidam etiam ea sunt sèntentia, majestatem vestram verba dare imperatori Turcarum, et tempus tantum extrahere, aliud animo volvendo quam pacem. Hisque confirmandis nuncii reginae Isabellae et filii ejus non

desunt, inquit, continue aures Achmat passae et aliorum sugillare, nec quenpiam illic e nostris talem esse, qui ejusmodi posset diluere. Urget igitur plurimum nos, ut dum tempus habemus rei bene perficiendae, quale dudum esse coepit et adhuc est, sollicitemus pro expediendo illinc collega nostro, ne si nimis nos tardaverimus: et adversarii nostri antevertant nostra commoda suis fallaciis, et minus postea obtinere possimus, quod optamus, si quo casu imperator Turcarum aut vicerit, aut mutata belli hujus sententia reducat ex Asia exercitum. Nec est, clementissime rex, cur majestas vestra, pro sua rara et incomparabili bonitate et clementia debeat nos hortari ad ferendam hanc nostram moram hic aequo animo, dum adveniat, quem missura est nobis collegam: cum imperare majestatis vestrae est, nostrum vero libenter et humiliter obtemperare. De quo, quod ad nos attinet, majestatem vestram in omne tempus certam facimus. Ideo nostra haec non scribimus, sed majestatis vestrae negotii gratia, ne interturbaretur hoc ipsum ejus negotium, et dilatione nocumentum, paratis prope jam (nisi nos praesentium rerum fallat cursus) afferretur. Et certe, quantum captu nostro percipimus, operae pretium majestati vestrae fore putaremus, si et pacem aliquot annos haberet, quibus conquiesceret, bellique nervos compararet, et aliorum periculo primi impetus, summaque virium hujus tyranni frangeretur, quod fractum regnum nequit praestare. Id nos non scribimus dubii de animo majestatis vestrae ad pacem, cum in omnibus litteris ejus propensissimum esse cernimus, sed quia non desunt fortasse, qui considerata rerum facie, pro regula et ratione consulunt, non autem pro principum possibilitate, et pro his quae secum agitant.

Verum de his veniam humillime postulamus, cum nostrum non sit consulere, sed quae agentur, significare, et mandata exequi.

De bello Persico omnia in majus quotidie crescunt. Jam hoc tempore frequentior turba trajicit in Asiam multo quam antea, putamus quod propter tempora commodiora itineri. Turca certe movebit castra contra Persiam proxima hebdomada; hinc proxime summiserunt illi novos janizeros ex aziamoglianis supra duo millia, idque noctu actum totum, ne si palam fieret, laborare principem rumor acciperet. Jussi sunt et ex Bosna et ex finibus nostris milites praesidiarii aliqua ex parte convenire, nulloque ex loco ditionum ejus non itur ad castra. Tartaros etiam rumor est, nonnihil tergiversari impedimentorum quorundam excusatione interposita, quamobrem alius ejus orator his diebus excurrerat ad principem. Regem Persarum ajunt, omnino nolle pacem, velleque cum Solymano in iisdem campis Cialderanawaszy confligere, in quibus alias cum Zelimo ejus patre conflixerat; coëgit autem totam turbam popularem in castra, et habet ad XV. millia peditum pyxidariorum, et CL. millia equitum, quod et intercepto exploratore Persa cognitum est, hicque certo vulgatur. Dictum est etiam haud dubie sex nuper zangziacos magna caede affecisse, et eam partem Curtorum (quos Partos esse existimamus), quae Turcae favebat. Nec hoc pater agit sed filius; proludia belli pro aetate ipsi concedendo, ipse, ut senior, seniori sese servat.

Triremium apparatus modo diminuitur, modo augetur; et modo in Golettam fieri dicitur, modo Aegaeo mari custodiendo. Ideo nondum est hoc perspectum nobis, illud pro vero relatum. Accepimus

dixisse Turcam: nolle se hoc tempore in gratiam ullius amici Christianos vexare, idque, non quod eos timeat, sed quod ei eo cum hoste res est, quo majorem non habet. Et sunt qui arbitrantur, dictum hoc esse omnium eorum causa, qui a se opem petunt. Quid facturus sit in solidum, Deus scit; nos quae indies audimus, ea scribimus, ne nihil scriberemus.

Hruztanus passa, quantum conjicimus, indies sic decrescit in ima pedetentim, ut ad summa creverat; et credimus divina sententia ejus superbiam et intolerandam barbariam cum inhumanitate puniri, ut singillatim omnibus suis calamitatibus supersit, quemadmodum felicitate moderatius non est usus. Ad duo ferme millia captivorum, quos jam liberos in famulitio suo tenebat, hoc biduo simul omnes voluerunt eum, tota hac civitate conscia, deserere, quod eis stipendia jam plura solvere noluisset; quo sic videtur semet ipsum destituere, hujusque rei finis brevi cognoscetur. Quod fictene fiat an secus, nescimus. Amicus tamen ille noster: Ut me videtis, ait, sic credite, Hruztanum pàssam non rediturum in pristinum. Nos hoc de illo scribimus; secum tamen agimus omnia, et pro dignitate ac commodo majestatis vestrae, utcunque tamen nihil potest, et pro ejus existimatione tribuentes illi tribuenda, adeo ut nihil tale commissum est, quo personis nostris indignari deberet. Sic enim et alii oratores secum sese gerunt. Nec est quod addamus aliud. Incolumitate majestatis vestrae et serenissimorum ejus liberorum, principum nostrorum clementissimorum mirifice gaudemus, et oramus Deum, ut ad multos annos prosperentur. Nos etiam omnes bene valemus. Constantinopoli, XVI. Martii, 1554.

LXXX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Quoniam dedimus etiam alias litteras ad majestatem vestram via solita, quas ut intelligat, operae pretium esse ducimus: his breviores erimus, quod casui commituntur. Scire itaque majestas vestra dignabitur, quod quantum intelligimus ab amicis, jam videtur et princeps is et passae ejus non parum mirari de moratam longa expeditionis Joannis Mariae. Nec desunt, qui secus cogitent de animo majestatis vestrae circa pacem, quam et nos loquimur, et litterae ejus omnes testentur. Quod quantum impedimenti afferre possit, praesertim existentibus reginae Isabellae et filii ejus nunciis apud imperatorem Turcarum, qui quotidie variis technis hoc et illud insusurrare in aures passarum non cessant, cum ad hos nuncius etiam regis Franciae accesserit, qui procul dubio multa habet in mandatis ejusmodi, quae hanc legationem nostram perturbare debeant, si amicis nostris, immo ipsi etiam vulgo credimus: non existimamus pluribus oportere majestati vestrae intimare, quandoquidem per se satis liquet. Supplicamus itaque humillime, ut haec majestas vestra dignetur clementissime perpendere, et quem cum eadem expeditione ad nos est dimissura, jam dimittere, idque cum Transsylvaniae tributo, quod jam expectatur, quia oblatum. Nec scribimus haec nostra, sed majestatis vestrae et negotiorum suorum causa, quandoquidem nobis nulla hic mora molesta est, timenda tamen multa sunt, quae e re nata accidere possint.

1554. mart. 16.

Bellum Persicum quotidie ardentius invalescit, et utrinque magnis animis et voluntate; hic noster habiturus est innumerabiles copias, multoque etiam nunc frequentiores undique ex ejus ditionibus milites in Asiam trajiciunt, et sequentur exercitum, quam hucusque. Quod putamus fieri ob anni tempus, itineri commodius; et affirmant omnino principem proxima hebdomada demoturum in Persiam. Plura diligentius, explicatiusque aliis; his tantum hoc visum est, ut pro expeditione nostri collegae instaremus, quia ii impatientius ferunt ejus reditus tam longam dilationem. Deus omnipotens majestatem vestram incolumem et felicem perpetuo conservet. Constantinopoli, 16. Martii 1554.

LXXXI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. mart. 26. Heri alter ex illis duobus ciausis Budensibus, qui proxime litteras majestatis vestrae excusatorias de mora expeditionis Joannis Mariae attulerunt, rediit huc ex Porta cum litteris imperatoris Turcarum ad majestatem vestram datis; ad nos nec litteras nec ullum nuncium tam ab Achmat passa quam ab Ibraimo interprete retulit, de quo mirati sumus, cum ipsi ad utrumque diligenter scripserimus. Nec idem ciausus cui Jwszupf-agano nomen est, quicquam aliud scivit nobis dicere, quam quod omnia illic bene sese habeant circa nostra negotia, et quod fortasse habituri essemus aliquid responsi per nuncium Transsylvanum. Interim itaque, ne nihil hac occasione scriberemus, hoc tantum scire majestatem vestram voluimus,

supplices eandem postulantes, ne diutius expeditio collegae nostri et tributi differatur, propter multa impedimenta, quae hic paci, quam tractamus, accidere possent. Ii enim plurimum jam mirantur de ista mora, et eam potius in sinistram partem interpretari incipiunt, quam in dextram. Nudius etiam tertius retulit nobis ciausus noster, irasci hos passas plurimum, quod indies procrastinetur Joannis Mariae reditus, et nisi cito redierit, passuros nos incommodum. Majestas vetra itaque dignetur, quod agendum est, mature agere, ne et ea quae aedificata sunt, corruant, et gravius aliquid consequatur.

Bellum Persicum magno utrinque apparatu et conatu procedit. Et imperator Turcarum, quem ajunt adhuc Aleppi per totum Aprilem moraturum, Petro Petrowyth dedit in zanzacatum oppidum Lugas et Karansebes; concessit etiam tributum ei, ut eo sese fovere possit, quod trium millium aureorum pro iisdem oppidis quotannis pensurum obtulerat; quod quidnam in se tegat, facile poterit majestas vestra conjicere. Caeterum hic ciausus si in persona ad majestatem vestram cum his litteris veniet, non erit alienum, ut videtur nobis, munifice eum pro sua conditione remittere, quia, quantum intelligimus, bene se gessit in Porta pro majestate vestra. Faciet autem illum cum dexteritate interrogari de statu Transsylvaniae, de quo dicet aliquid consideratione dignum, tametsi loqui de re eadem non habet mandatum. Plura his nequimus, sed brevi aliis. Majestas vestra cum serenissimis liberis suis valeat quam felicissime. XXVII.*) Martii, Constantinopoli, 1554.

*) Az előttünk fekvő egykoru másolatban hibásan: XVII, mit a következő levél is bizonyit.

LXXXII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. mart. 30. Quod proximis litteris nostris, quas XXVII. instantis mensis ad majestatem vestram dedimus per ciausum Budensem, qui ad eam cum litteris imperatoris Turcarum remissus est, non sumus ausi propter respectus jam majestati vestrae cognitos, his exequemur et quidem duplici via, hac scilicet Turcica et Venetica, eodem exemplo, ut si alterum intercideret, alterum non falleret, quoniam rem allatura est, ut putamus, consideratione, consilio et celeri deliberatione non indignam. Cupidi siquidem cognoscere, quid ageretur apud inperatorem Turcarum de legationis nostrae exitu, plura cum eo ipso ciauso privatim collocuti sumus, et inter alia rogavimus: numquid sciret dicere, quaenam deliberatio esset futura de Transsylvaniensi negotio? Respondit: se ab intimis quibusdam Achmat passae familiaribus intellexisse: imperatorem Turcarum decrevisse Transsylvaniam majestati vestrae permittere, dummodo pro ea tributum pendat. Verum tamen, quoniam verbo suo nullo pacto deesse potest, quo eandem Transsylvaniam filio reginae Isabellae tradiderit, ut pupillo a patre sibi in tutelam relicto: velle, ut eidem in ipsa Transsylvania arces aliquas cum pertinentiis majestas vestra impertiat; ne et Puer prorsus ea provincia spolietur, et ipse in parte saltem juramento et promissis satisfaciat. Quod si majestas vestra fecerit, omnia cum eo amica et pacata habituram; sin minus: omnia secus, et neque tributum ab illa recepturum. Dixisse imperatorem

Turcarum praeterea, Petrum Petrowit quoque curae, tutelaeque suae esse commendatum, de cujus statu, quoniam nunc jam providerit Lugas et Karansebes oppidis ei attributis, Pueri tantum restare statum nondum constitutum, cui omnino deesse non possit, et hoc modo velle prospicere, donec aliae occasiones sese demonstraverint. Haec res Turcaene sit invertum, an aliunde suggesta fuerit, nescimus. Existimamus tamen, quod ab adversariis ortum habuerit, quod se tempori servare volunt, dum et Pueri erit vestigium in Transsylvania, et ille Senex eidem a finibus imminebit. Verum interim quantum hoc imperatoris Turcarum consilium habeat in se ponderis, majestatis vestrae judicii est. Nos antequam in aciem de rebus concludendis perveniamus, circa hoc quid fieri majestas vestra velit, si nobis quoque coram id ipsum voluntatis proponetur, edoceri quam celerrime optamus, praesertim si Joannes Maria sit absolutus. Nunc ad alia.

Homo regis Franciae emit hic Constantinopoli domum 800 nummis aureis, sed nondum persolvit. Cristas solito more ostentant, sed jam nugas nequeunt tegere, et mirum vulgi utriusque, christiani et turcici in eos odium est. Verum nondum hinc abiit ad imperatorem Turcarum, et quotidie abit.

De classe certum, quod non erit. 40 tantum aut ad summum 50 expedientur triremes custodiendis finibus Graeciae. Remigum pecuniae, quae jam bis exactae sunt, in aerarium dicuntur esse repositae magnis cum subditorum maledictis.

De bello Persico ea sunt, quae hactenus, ardent utrinque in arma animi. Turca facturus est in finibus

Persiae circa Syrvanam provinciam III. castella, ex quibus vastaturus est hostis viciniam. Jussit etiam denuo hinc submitti sibi sexingentis equis onera pecuniae (sicut Turcae dicunt), quae summa totidem millia aureorum nummum facit. Necdum cessat turba popularis post eum in Asiam trajicere, adeo ut mirum potest esse, quo tanta multitudo deveniat. Rex Persarum more suo agit, et quantum auditur, pater quiescit, et se summae rei servat, filius interim multa facit et nihil non prospere. Nam proxime etiam, cujus rei nunc demum vulgatum novum est, clam per nives altissimas, quas aliquot millibus plebeorum ante se fecerat summoveri, Ozmanum passam, unum e summis ducibus, qui in excubiis erat, ea strage affecit, ut ex X. circiter millibus hominum, quos habuerat, cum decima eorum parte vix ipse solus evasit, zangiacchis quatuor, praeter caesos; captivis factis. Non omittemus hic de commento quoque quodam regis Persarum senioris ascribere, quo usus est cum primoribus et subditis suis, ut eosdem et exploraret, et quid animi haberent in gerendo bello contra Turcam, et ad ineundum ardentius incenderet. Quae si fortasse praeter rem scripta videbuntur, supplicamus ut majestas vestra dignetur nobis generose ignoscere, putamus enim exempla ejusmodi non iis esse insalubria, quorum patria perit et sublevari debet omni ope. Diebus superioribus omnes suos in conventum convocaverat, eosque cum jam coram habuisset: En videtis, inquit, tam vos regni mei primores, quam vos alii subditi, quanto cum exercitu nos invadat Otomanus; nostrae vires comparatione ejus potentiae exiguae sane sunt et minime tales, quibus illi resistere possimus, bombardae illi plurimae, nobis

nullae sunt. Reliquorum quoque instrumentorum belli quid non habet ille? quid habemus nos, qui prorsus omnibus ingeniis caremus? Auctus ipse est Curtorum ac Georgianorum, qui utrique nostrarum partium esse deberent, auctus et Arabum et Tartarorum et plurium aliarum nationum auxiliis. Nos pauci et sine peregrinorum suppetiis esse cogimur. Caeterum tantum abest ut aequo secum conflictu audeamus congredi, his incommodis nostris consideratis, ut nisi solis dolis et celeritate aliquid praeclare gesserimus, frustra omnino et cum pernicie nostra aperto eum marte tentabimus. Nec restat aliud (quod vel ex nunc divino), quam ut succumbamus, deveniamusque in ejus servitutem, si cum eo pertinacius, temereque contendere voluerimus. Igitur ne et vos et me ipsum cum tota posteritate generis mei in hanc infelicitatem et casum praecipitem, statui apud me, consultius fore, ut pacem cum hoc hoste nostro etiam minus honestam ineamus, quam geramus bellum exitu nobis manifeste funestum. Filius ad hoc maximus natu, qui in consessu erat, ante omnes alios locutus: Nequaquam, inquit, pater, consulo, id ipsi tibi esse faciendum; quod si te usus bellorum jam taedeat, eum in me rejicias, qui cum tibi ante omnes alios conjunctissimus sim, et aetate quoque polleo jam militari, non est cur vires tuas subire refugiam aut non auderem. Verum quid quaeso agis, pater? unde tibi id consilii, id voluntatis irrepsit? Otomanus nobis Syrvanum eripit; religionem nostram improbat, nosque in suam accersit; velamen capitis rubrum, quod primi parentes nostri a propheta nostro acceptum nobis reliquerunt, jubet nos deponere, et suum album usurpare; tributum dehinc imponit, quod alias majores ejus nobis pende-

bant; et unum e filiis tuis obsidem sibi dari petit, obsidem nimirum tuae fidei, quam cum ei obstrinxeris (quod avertat Deus Optimus Maximus), et parueris ejus voluntati, quid illi accesserit? Hoc nimirum quod decesserit tibi; quin te et hos omnes (primores ostendendo) e liberis servos fecerit, qui non servi quidem nec e servis procreati, ut Otomanum genus atque colluvies reliqua, sed liberi et in libertate a liberis progenitoribus orti atque suscepti sunt. At ubi in hunc modum de pace nobiscum agit, clarum profecto est, non eum pacem petere sed imperare, et uti jam dudum victis legem imponere. Nam regni nostri partem sibi concedi, et tributum pendi postulare, perinde est ac velle, ut jura ac religionem nostram a tot saeculis constitutam irritam esse pronunciemus; quid aliud est, quam ut altera manu nos amplecti simulat, altera perimat? Nec enim aliter vires et libertatem nostram potest imminuere, ac tandem in servorum suorum ordinem redigere, quam si offusis intellectui nostro tenebris poterit nos inducere, ut ejus perfidiae credamus. De filio autem, quem sibi obsidem dari intendit, quid loqui attinet? Si cum suis crudelissimus hominum male agat, sperares tuo parsurum? ne interim Elcaszi fratris tui, mei vero patrui meminerim, qui quum regnum tuum prodere illi voluerit, qua morte illum extinxerit, satis nosti. Et confidis pater, vel in foedere tecum percusso verum amicum tibi esse posse, qui te captat tantummodo, ut decipiat, ut ludibrio suo reddat obnoxium? His demum et similibus magno, ut ipsi Turcae retulerunt, animi impetu elocutis, conventu excessit, illud adjiciens, se de his nec dicturum plura, nec auditurum patrem. Primores tum mirari se initio, quid consilii regis animum subiisset, deinde dicere

atque hortari, ut esset spe meliore cum de sua in eo bello opera et fide, tum de victoria obtinenda. Nihil enim moveri debere, quod Otomanus innumerabili prope turba hominum polleret, cum ipse virorum virtute expellat, etiamsi pauciores habeat, quippe qui non multum de Persis hactenus triumpharit, et quidquid aut ademit eis, aut ex bellis, quae cum eis gessit, gloriae reportavit, magna id cum mancipiorum caede, et rerum ac pecuniarum multarum jactura, tum laborum atque incommodorum summo inpendio pensavit. Caeterum revocaret in mentem, qua fide atque constantia bellis elapsi temporis, tam ipsi quam majoribus ejus navaverint operam, eandem sane hoc imminente quoque, publico omnium consensu et votis ex se polliceri. Nec id ad unum annum, aut item ad alterum, sed quamdiu necesse fuerit et ipse volet. Se enim nullum inter alios hostem habere, adversum quem propensiore animo semper pugnarent, quam in hoc servile Otomanorum imperium, contra quod nisi ultro etiam pugnaverint, de libertate amittenda periclitari et eum et se, necesse sit. Mutaret itaque sententiam, et quae opus ad rem bene gerendam forent, mature expedienda curaret, se eo usque cum Otomana colluvie dimicaturos sub ejus signis, donec aut vincant aut vincantur. Ad quae sic regem Persarum respondisse ferunt: Neque aliud se ab eis responsum expectasse, quod gratissimum sibi esset, quam hoc ipsum. Laudat deinde eorum voluntatem, et mutuo adversus se consensu felix faustumque ut fieret, quicquid acturi erant, precatus est. Verum quum alias, inquit, nonnunquam aliqui minus perstiterunt secum in periculis, quod novo hoc periculo dicere cogeretur, eaque causa in finibus nostris non parva accepimus

incommoda, quibus velut fovere diutius contra nos tam validum tamque infensum hostem visi sumus, nunc quoque in hunc eundem lapidem ne inpingamus, quodnam vel signum mihi vel quam cautionem facietis? Cupio enim serio de constantia vestra si ullo alio bello, magis hoc certe maxime fieri certior. Non tenuere principem dilatione responsi, sed extemplo obtulere se ad omnia, quaecunque postularet. Et quia, uti adjecerant, divinari nequirent, quod signum et quam cautionem rex ab se vellet, oraverunt ut id ipse eis proponeret et declararet; simulque omnes eorum conclamantes, nihil tale propodituros sibi, quod praestare respuissent. Tum rex Persarum: En ipse prior, inquit, proceres, penes publicam aerarii mei pecuniam, privatam depromo, et insuper uxorem, reliquumque domus meae ordinem muliebrem omnibus monilibus, aureis, argenteis et pretiosis exuo; vos si id ipsum facere non recusabitis, conferetisque in cumulum cum meis, ut cudatur pecunia, qua hosti diutius et fortius resistere possimus (neque enim publica tanti est, ut Otomani moli sufficiat), sufficientem mihi constantiae vestrae cautionem feceritis. Consensere ad hoc omnes, et exequutum haud mora aeque est a principe atque a primoribus. Quo autem haec pacto cognita sunt, id quoque asscribemus.

Rex Persarum exploratores uno tempore plures in castra Turcae emiserat, quorum interceptus unus, haud tormentis expectatis, illi confessus est omnia quae sciverat de sui principis apparatu. Caeterum ut ea, quae indicaverat, in majus homo revera Persico in Turcas animo attolleret, graviorem quandam catastroophen, addit. Sed haec, inquit, quae jam audistis, non tanti sunt. Illud attendite, quod princeps meus saah.

hoc est: Sanctus, et sui primores, ac omnis ejus populus uxores ac gynaecia sua cunctis molibus pretiosis spoliarint, verteruntque in pecuniam, ut bello vobiscum gerendo eousque sufficiant, quo aut de Persis aut Otomanis finis fiat. Nequire ulterius Persas vexationes Otomanorum tolerare, velle experiri ultima. Et his ab exploratore acceptis, caput ei amputatum. Solimano vero Turcae non levis injectus scrupulus, hincque nova apud illum inita belli ratio, hinc nova afferri jussa pecunia, hinc decreta nova in finibus Persae castella, et quotidianorum emissio mandatorum, ut se sequantur omnes, etiam ii subditi, qui dudum facti immunes jam ab armis evenerant; ne de finitimis praesidiis referatur, quae ubique dimidiatim relicta sunt, dimidiatim castra petunt. Sed nec rex Persarum sola nititur nobilitate; viritim omnes populos dicitur in castra deduxisse, quod nunquam alias factitatum est apud eam gentem. Post hunc conventum Ozmanum passam filius regis Persarum, ut supra diximus, ceciderat; quem cum pater per nuncium monuisset, adhuc, ut ferunt, simulando quod inceperat, ne tam acriter Otomanos impugnaret, parceret eis vel ob religionem nonnihil. quam cum Persis communem profiterentur: ajunt animosum sane juvenem, naso et auribus mutilato nuncio, ad patrem remisisse, significans, omnes etiam caeteros, quicunque simili cum legatione ad se venirent, sic ad eum remissurum. Se enim veros et legitimos esse Mahumetanos, Otomani genus; alienum vile, mentitum ac spurium, hisque de causis nobis ac libertati nostrae inimicum, et omnibus rebus rapinam eos potiorem aestimare, ac ponere in servitute nobilitatem. Dignum memoria exemplum. Sed haec prolixius.

At subjiciemus adhuc de Petri Moldavorum quondam vajvodae filio, nomine Constantino, qui annos natus XIII. servabatur apud Turcam, insanie, si bene conjicimus, Valachorum, qui principibus suis manus inferre usitatum habent. Nuper repentina morte sublatus, moderni, ut ajunt, vajvodae per venenum procurata, cum christiano ritu ultima sacramenta sumpsisset, et efferretur infinita Graecorum turba ad sepulturam comitatus, accurrere passae satellites, ereptoque Christianis mortuo, in domum retulere, inclamantes, turcico eum more humari oportere, quia dum viveret, Turcum se facturum promisisset, ubi primum ad aetatem pervenisset, quae posset de religione statuere; nec deesse rei testimonia. Eo itaque die circumciso pueri cadavere, populariterque habitis pro eo in templo orationibus, postero extra muros IIII circiter millium Turcarum pompa, Graecis summotis, elatus est et cum Turcis tumulatus, pathyolath sepulturae apposito; multo ludibrio res a nostris habita nationibus sed intra sinum. Negotii Martini de Miranda, ut etiam magnificus dominus Joannes Castillegius nos petierat, non eramus obliti, pauloque antequam a majestate vestra moniti sumus, eundem monueramus. Dabitur itaque opera, ut et mandato majestatis vesrae et amicitiae domini Castillegii per nos mos geratur vel intra VIII. dies. Summa tamen 60 aureorum nummum dominus ejus non erit contentus, nec nos pigebit majorem insumere.

Reliquum est, si nondum majestas vestra remitti jusserat filium nostri ciausi, supplicamus majestati vestrae, ne illum remittat. Credebamus nos bonum et gratum virum, custodem esse nactos, omnium tamen pessimus est et genti suae simillimus. Postquam spe

coepit esse certiore de recuperando tam facile filio, rediit ad ingenium, variisque prohibitionibus coepit nos exhaurire. Et hoc sola sciat majestas vestra, neque, quod valde supplicamus, aliarum quoque omnium litterarum nostrarum adeo multi compotes fiant, ne quid earum vento quopiam minus favorabili huc regrederetur. Plurimum enim cavetur, ne quid litterarum nostrarum efferri possit. Deus majestatem vestram cum serenissimis liberis suis, dominis nostris clementissimis quam felicissime tueatur et conservet. Constantinopoli, 30. Martii 1554.

LXXXIII.

Nádasdy Tamásnak Verancsics.

Verancius Thomae Nadasdino S.

Scio crebriores litteras meas a te expectari, me- 1554. apr. 1. umque dudum ejusmodi accusari officium, quia posteaquam veni Constantinopolim, plures vel mea ipsius confessione ad te non dedi quam unas Malvezio. *) Verum quicquid mei criminis est, non vel incuria mea vel oblivio culpam habet, sed loci et temporis et potissimum gentis hujus institutio, a cujus calumniosis intemperiis velut a Scylla et Charybdi est declinandum, adeo etiam oratores plus hic caecutire et tacere oporteat quam videre et loqui. Ignosces itaque mihi, meque excusatum oro velis. Caeterum quae his litteris, fretus Turcae cujusdam amicitia, qui easdem perferet, significare potui, haec sunt.

Bellum Persicum jam non ita facile revocabitur. Ardent ad gerendum utrinque animi, et jam saepius

*) Valószinűleg azt érti, melyet: „a királyi tanácsnak“ felirás alatt a 87. lapon olvashatni.

victor, sed velitaribus et clancularii congressibus. Turca collectus sedet, credo, ut fortius figat pedem, cum ad rem justis aciebus perventum fuerit. Classis Turcicae apparatus paulo refriguit. Paucae tantum triremes expedientur, quantum nobis dicitur, quae Graeciae fines tuebuntur. Petro Petrowith oppida Lugas et Karansebes in zanzachatum Turca contulit, et tributum etiam III. millium aureorum nummum ei subsidio asscripsit, quod oppidani pendebant. Transsylvania regiae majestati permittetur, cum pensione tributi, simodo verum sit, nec lusit nos ciaus quidam Budensis, ita referens et affirmans, qui nudius quintus ad majestatem regiam profectus est cum litteris imperatoris Turcarum. Adjecit tamen, velle Turcam, ut rex reginae Isabellae filio arces aliquot cum suis praediis et colonis in eadem Transsylvania impertiatur, ne omnino videatur ea provincia exclusus; ajebatqne idem, Turcam dixisse: quoniam eum puerum in suam curam et tutelam pater accepisset, non posse illi salva conscientia deesse, et optare hac via ei prospectum iri, quoad alia occasio de statu ejus constituendo sese ostendisset. Quod si ejus majestas fecerit, paccata ab se habituram omnia; sin secus, turbulenta et hostilia. Quae qualia et quanti sint momenti, nos judicare omnino nequimus, sed bonam considerationem requirunt, si et Puero vestigium dabitur in Transsylvania, et eidem Transsylvaniae Senex ille, majorum adhuc motuum instrumentum imminebit a finibus. His de rebus scripsimus etiam regiae majestati, cupimusque quam celerrime edoceri, quid agendum erit, cum ad conclusionem rerum veniemus. Quo autem omnia commodius, et antequam magis Turca in Persiam recedat, perficere possimus, reditu Malvezii magnopere

opus est, qui jam pene quotidie hic a nobis repetitur, et longe secus de ejus mora suspicantur ii, ut qui non dormiunt suis rebus, quam cogitat regis nostri sinceritas. Nec nos aliud facere possumus, quam expeditionem illius sollicitare, indicatis incommodis, quae possent devenire, si longius prorogaretur ejus reditus.

Quod ad statum nostrum attinet, omnes adhuc recte valemus, mihique tanta concordia voluntatis, tantus animi rerum omnium cum collega meo consensus est, in quo plurimum studii pono, ut si quid prospere et e re publica erit, Deo autore perfecerimus, huic unitati nostrae non ultima pars tribui debebit. Mira enim est in Francisco Zay cum erga majestatem regiam fides et in patriam pietas, tum im omnibus rebus erga collegam suum. Hoc est quod collega ejus simili et pietate et fide inductus erga eundem esse contendit. Faxit itaque Altissimus, ut pro voto tum principis tum vestrum omnium omnia geramus hic et conficiamus. Et licet summe intenti sumus in Malvezii reditum, ipsene tamen venturus est, an alium expectemus, nondum plane scimus; quo indies magis ac magis accendit sui apud nos desiderium, quod utinam jam expleret vel propter publicum bonum. Meos ac mea isthic omnia, immo et regressum meum hinc in patriam tibi commendo. Vale. Constantinopoli, prima Aprilis 1554.

LXXXIV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. apr. 4. Quum jam superiores essemus daturi litteras, facti sumus certiores ab amicis, perlatum esse ad hos passas: duobus locis in Hungaria gentes conscribi nomine majestatis vestrae, nescire tamen contra quem, et suspicantur, quod contra sua finitima; quae res moram quoque Malvezii videtur aggravare, eosdemque ad credendum inducere, quod majestas vestra longe magis aliud cogitat, quam pacem et expeditionem ipsius Malvezii, unde et ciausus noster auditus est loqui: expectaturos passas mensem adhuc Malvezium, postea quid de nobis statuere debebunt, dudum se a principe suo habere informationem. Haec voluimus majestati vestrae significare quamprimum, ut intelligat, quid jam hic de his feratur. Quare majestas vestra mature dignabitur nos edocere, quidnam hoc sit et quid loqui debebimus, interveniente aliquo simili inopinato casu, quo alia certe et multo contraria hospitalitate tractaremur. Constantinopoli 4. Aprilis 1554.

LXXXV.

Verancsicsnak és Zaynak a király.

1554. apr. 15. Reverendo devoto, ac magnifico, fidelibus nobis dilectis Antonio Wrancio episcopo Quinqueecclesiensi, praeposito Pornensi, et Francisco Zay de Chemor, nazadistarum generali capitaneo, nostris consiliariis et oratoribus ad serenissimum Turcarum imperatorem destinatis. Constantinopoli. Cito, cito, cito. Cito, cito.

Verancsics kezével: Redditae 11. Junii 1554.

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. rex. Reverende devote, magnifice, fideles nobis dilecti. Postquam*) [Lucam de Rado Ragusinum ad vos expedivimus, redditae fuerunt nobis senae a vobis litterae, nempe de XXVII. Novembris, III. XIII. et XVI. Decembris proxime elapsi anni quinquagesimi tertii, item de XVII. Januarii cum appendice, XVIII. XX. et XXII. diebus ejusdem mensis adjuncta, necnon de VII. et octava Februarii hujus anni quinquagesimi quarti datae]. Exque [illis litteris diffuse intelleximus omnia ea, quae] interim [isthic vobis occurrerunt, quae gesta sint, et de quibus] denique pro fide vestra [nos edocendos esse duxistis. Neque parum sane grata illa nobis fuerunt,] quandoquidem nobis comprobarunt luculentissime singularem vestram observantiam, fidem et rerum gerendarum dexteritatem, adeoque non solum comprobarunt, testatamque fecerunt sed maximopere etiam commendaverunt. Quare nolite dubitare, quin omni vos benignitate prosequamur. Hortamur autem vos, quasi calcar currentibus addentes, [ut imposterum quoque nos de omnibus rebus subinde certiores faciatis, quas scire nos, operae pretium] fore existimaveritis. Caeterum quoniam [litterae vestrae plures sunt, et tractant] maxime [de praesenti rerum Turcicarum statu], non [putamus necesse esse], ut [singillatim ad] omnia [capita vobis respondeamus; hasce] namque [litteras ad vos dedimus, ut sciatis expeditionem Malvezii,] quia jam deliberatum est [nobis, ipsum intra XV. dies una cum tributo Transsylvanico,

*) A [] közötti sorok chiffre-l vannak irva.

certisque honorariis isthic distribuendis] ac [sufficientibus expensis ad vos expedire,] et is [adferet secum plenam instructionem, quomodo] quod reliquum est [legationis vestrae, conficere] debeatis. Subjungemus tamen [insuper pauca quaedam in hisce litteris nostris, quae mature vos scire] oportere [existimamus, ne vacua ad vos epistola] ista [perferatur].

Ac primum quidem [scripsistis] in [litteris vestris] ad diem XXVII. Novembris datis]: ex quo [Hruztanus passa fortassis oblitus est] eorum [quae ad nos per Petrum Horvath de missione oratorum nostrorum scripserat,] ut exemplum [earum litterarum ad] vos [mittere dignemur., Nos vero] non [recordamur Hruztanum passam aliquid ad nos unquam scripsisse.] Atqui ne ulla ex parte [vobis desimus, jubemus describi, et Malvezio ad vos perferenda dari exempla illarum litterarum, quas tam per Petrum Horvath, quam antea de missione oratorum nostrorum] ad ipsum dederamus.

Deinde gratum quoque nobis accidit, quod [nos de legatione nunciorum reginae Isabellae] et [Petri Petrowyth ad Turcarum imperatorem expeditorum certiores reddideritis, et quod nuncius Transsylvanicus cum Chevan chiausso ac litterae nostrae tam opportune illuc adpulerint. Curandum itaque vobis erit, ut etiam expeditionem et responsum illorum diligenter ac exacte cognoscatis,] quemadmodum vos facturos esse non ambigimus.

Quod autem [Zynan passae innotuerit, vos rerum Turcicarum statum per quendam Joannem Toth Brassoviensem ad nos, et episcopum vajvodasque nostros Transsylvanienses perscripsisse, non absque molestia intelleximus. Facile enim videmus, quantum periculi

inde ad vos redundare possit. Proinde jam ea] de re [eaute Stephanum Dobo admonuimus, ita, quod nullo modo intelligi] queat, [rem istam a vobis detectam esse, et plane equidem confidimus in posterum, quae secreta habenda sunt, non ad alios quam quos scire necesse, sit, isthinc perlatum iri, nihilque, amplius negotii vobis inde expectandum fore].

De [praxi vero Hruztani passae, per quam banum Croatiae, aliosque fideles nostros regnicolas Hungaros a fidelitate et obedientia nostra removere vellet, prudenter sane et fideliter fecistis, quod tempestive nos admonueritis, talis namque illa est, quae nullatenus negligenda aut spernenda esse videtur; quocirca vobis benigne committimus, ut de nomine famuli quondam Matthiae Allia, qui hujus rei instrumentum esse debet, diligenter inquiratis, et, an rebus confectis Constantinopolim] jam [redierit; item num presbyter ille Franciscus Pica, qui cum instructione ad praedictum banum et ad alios profecturus erat, jam discesserit, perscrutemini, nosque de his postea primo quoque tempore edoceatis, quo facilius et commodius homines pestiferi clam intercipi ac juxta consilium vestrum in tenebris supprimi, et tandem merita poena affici queant].

Porro ut fines nostri et Turcarum pacati essent, ac induciae sancte observarentur, hactenus enixe studuimus, studebimusque inposterum, licet in tanta amplitudine et intervallo confiniorum in tanta multitudine latronum atque praedonum, qui latrociniis et rapinis exercendis assueti sunt, nec stipendio ullo vivunt, damna et depraedationes non undique facile praecaveri possint. Verumtamen nostra ex parte nihil quod ad conservandam, stabiliendamque inter nos et prin-

cipem Turcarum amicitiam ac pacem pertinere videbitur, negligemus. Atque haec sunt, quae modo ad vos scribenda esse duximus. Caetera quae vos scire intererit, brevi, Deo dante, ab ipsomet Malvezio coram intelligetis. Hoc tantum annectimus, vos in praemissis rite rateque exequendis tum voluntati nostrae, tum expectationi, quam de fide, sollicitudine et industria vestra concepimus, satisfacturos, magnamque apud nos gratiam inituros esse. Datum in arce nostra Posoniensi die XV. mensis Aprilis anno Domini MDLIIII°, regnorum nostrorum Romani XXIIII°, aliorum vero XXVIII°.

Postscripta. [Dum praesentes litterae conscriberentur, supervenerunt et aliae vestrae calendis Martii datae, quas non minus benigno animo, quam priores accepimus: placet namque nobis plurimum, quod tam distincte, tamque fideliter et diligenter de omnibus rebus, quae indies isthic occurrunt, et ad notitiam vestram deducuntur, nos crebro certiores reddatis. Et quoniam hoc tempore nihil habemus, quod respondeamus, maxime cum jamjam discessurus sit Malvezius, satis de omnibus informatus: id tantum hoc tempore in hac appendice addere voluimus, vos mentem nostram] ex [instructione, quam feret Joannes Maria, intellecturos, quid faciendum vobis sit, si orator regis Franciae] sacram [imperatoris nostri personam] et [regem suum in hac pace includi vellet.

Litteras autem praeter illas, quas Lucas de Rado Ragusinus de VIII. Januarii ad vos perferendas accepit et quas redditas vobis esse confidimus, vel per Budam vel aliam viam nullas expedivimus; itaque non est, quod ea de re quidpiam addubitetis. Utimur enim maxime via Veneta] quandoquidem [nobis

et tutissima et expeditissima videtur.] Datum ut supra. Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium. J. Jonas D. Vicecancellarius m. p. Singhkmoser. m. p.

LXXXVI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Ea quae superioribus litteris per Juuszupf Tur- 1554. apr. 19. cam datis, qui ab imperatore Turcarum ad majestatem vestram proxime missus est, attigimus de statu Transsylvaniae, sic scripsimus, ut tunc intellexeramus. Nunc quoniam clarius et certius eadem cognoverimus, dedimus omnem operam ut majestati vestrae quam celerrime constarent. Primum itaque est, quod imperator Turcarum et ejus passae tam longa dilatione Joannis Mariae expeditionis plurimum offenduntur, quemadmodum vel ternis jam nostris majestati vestrae significavimus, et interim, quoniam ad hoc latissima etiam fama viget, innumeras gentes apud majestatem vestram conscribi, aeque de Joannis Mariae reditu desperant ac verentur ne vis finibus eorum moliatur. Ex quo fit, ut nobis quoque imminet incommodum, prout clam ab amicis edocemur, tametsi nihil adhuc apparet hujusmodi. Quoniam tamen videamus nos quoque, VII. jam menses expeditionis Joannis Mariae praeteriisse, non possumus in tantis rumoribus non esse solliciti, praesertim vero quod reginae Isabellae quoque et filii ejus nunciis omnia videntur in Porta fuisse credita, nemine ibidem existente qui partes majestatis vestrae tueri posset, esto quod nos non segniter scriptis egerimus. Litteras tamen nostras parum apparet profecisse, quia iidem nuncii redierunt

a Porta expediti satis ex sententia, si modo exitus illis sucesserit, quod avertat Deus.

Eorum autem expeditio talis est. Imperator Turcarum omnino vult reginae Isabellae filium in Transsylvaniam reduci, idque si petitionibus et suasionibus fieri non poterit, armis subite agi praecepit. Et mittuntur cum iisdem nunciis Ferhat Hungarus et Mahmut Alemannus, ac unus ciaus, nomine Oruch, homines rerum nostrarum ac patriae bene periti. Ii, habito consilio primum cum Petro Petrowyth, deinde cum praefectis Bosnensi, Budensi ac Temeswariensi, quid facto opus erit, ut citra negotium Transsylvania restituatur Puero, tandem eisdem mandato imperatoris Turcarum committent, ut extemplo quilibet eorum copias suas in promptu habeat, postea petere a Transsylvanis Transsylvaniam aggrederentur, quae si non reddetur, subito armati eam invadent. Praemittetur autem Mahmut per Valachias in Poloniam, similique mandato Valachos quoque jubebit, ut sint parati cum res postulabit. Et praecipua cura et administratio hujus belli demandata est Mehmetbego zanzacco Bosnensi. Ferunt etiam secum duo vexilla (zangziack Turcae vocant), alterum reginae Isabellae filii, insigne principatus Transsylvaniae, alterum Petri Petrowyth, eorum oppidorum, quae data sunt ei ad amnem Themesum.

Retulit nobis haec Ferhat dragomanus, qui ostendit quidem favere Christianis et majestati vestrae, caute tamen fidendum atque agendum est cum homine. Blandiloquus est, sed duplicem esse ajunt His ab eo auditis, quaesivimus: num quid nobis quoque a Porta attulisset nuncii? Respondit: nihil. Ad quae: quid ergo nos agemus hic, aut cur etiam ve-

nimus huc, si per vos de legatione nostra debebit in Hungaria transigi? Ait: se nescire. Tum nos, videntes majestati vestrae magnam fieri injuriam, si et a suis subditis ea provincia peteretur non a majestate vestra, et hic nobis, legatis ejus silentio praeteritis, istic de commissionibus nostris transigetur, diximus: quod magna indignatione majestas vestra ab eorum principe afficietur, si sic processerint; immo timere etiam nos, adjecimus, ne aliquam causam novae dissensionis eidem porrigant, si non accepta a majestate vestra expectata relatione de Transsylvania, et nos hic, quasi pignus quodpiam, cum oratores tantum simus non pignus neque obsides, detinere perrexerit. Quare iret, et de his cum collegis suis et cum dominis passis hic existentibus communicaret, daretque operam, ut et pro majestate vestra ac eorum principe honestior ac pro pace commodior modus tractandi hoc negotium reperiretur et injungeretur nobis. Caeterum si omnino haec ita fieri princeps vester decrevisset, fieret uti Deo placuisset, sed dimitteremur saltem et nos vobiscum, cum jam quod hic agere deberemus, nihil nobis restaret, et vos edoceamini, ut a rege nostro petatis Transsylvaniam, non ab ejus subditis, et sic rite procedetis. Placuere ista homini, et rem se in medium propositurum recepit.

Principio de his in hunc modum collocuti, postea venit ad leniora, si modo fucum in se non habuerit, eaque ex se ajebat dicere. Quid si majestas vestra belli vitandi causa paterne cum Puero, bonis aliquibus conditionibus conveniret, et impertiretur ei in Transsylvania bona aliqua, ne totaliter voluntas imperatoris Turcarum rejecta esse videretur, fortasse idem conten-

taretur, majestas vestra reliquum Transsylvaniae ex toto possideret, quanquam, ut intellexisset ab reginae Isabellae nuncio, vellent ad haec bona ducatus etiam illos in Silesia obtinere. Quibus ex rebus nostro judicio plura conjici possunt, quam verba sonent: primum quod fortasse assentirentur paulo aliquibus majoribus conditionibus, quia plurimum praefatus nuncius jactavit hic ducatuum eorum tenuitatem; deinde quod optarent latente aliqua, sinisteriore fortasse praxi, ut Pueri vestigium quoquomodo figeretur in Transsylvania. Quod utrumque, et si quae plura sunt ad hanc rem pertinentia, majestati vestrae trutinanda permittimus, re pure eidem enarrata, ut est accepta. Nos autem ad hoc nihil aliud respondimus, quam quod non esset mala ejusmodi compositio, si modo majestati vestrae esset placitura. Caeterum hae viae essent longe meliores et ad pacem cum imperatore Turcarum aptiores, si illis uterentur, non armis quibus minari cogitarent. Adjicientes varia hortamenta, ut eidem paci enitantur navare operam non bello suscitando.

Haec nobiscum Ferhattus. Mahmut vero, qui similiter biduo post ad nos venit, eadem fere omnia pertractavit, nisi quod sicut ille de bonis Puero atribuendis loquutus fuerat, ita hic de pecuniis, dicens: sperare se, facile contentari posse et reginam Isabellam et Puerum, si majestas vestra controversiam ejusmodi pecunia redimere non gravaretur, ducatus enim eos in Silesia illis datos adeo esse tenues, ut privatum hominem non possent alere, nedum unum principem; et duabus rebus potissimum eosdem imperatorem Turcarum urgere in sui auxilium: status hujus tenuitate, in quo manifesta inopia premerentur; et quod ea, quae illis majestas vestra promisisset,

nondum persolvisset, litteris tantum et promissis ageret. Quibus commotus imperator Turcarum ad commiserationem, haec quae supra dicta sunt, in hunc modum statuisse dicitur, non sine motu animi. Verum dixerat etiam: ita imperatorem Turcarum apud se de Transsylvania decrevisse, quod si pro pugno ejus provinciae terrae vellet majestas vestra illi omnes thesauros suos erogare, nullo pacto eam esset concessurus, privato Puero; posse tamen fieri forte fortuna, ut pro ea non laboraret, si ex ipsa regina, filio suo ac rege Poloniae cognovisset, contentos alia via fuisse a majestate vestra redditos. Quae valde secreto et ex se loquebatur, nec vult de his palam loqui alicubi. Quid igitur de hac altera conditione dicere nos debeamus, id quoque in majestate vestra situm est. Si tamen tanta res pecunia componi posset, nihil videretur esse nobis expeditius, et in hoc potius effundi etiam sine parsimonia deberet, quam in arma, quae semper et cum multa jactura impensarum tractantur, et eventu saepe fallunt. Alioqui majestatis vestrae est consilium.

Praeterea quoniam hic Mahmut recta per Valachias ad regem Poloniae proficiscetur, visusque est de hoc valde serio, quanquam non omnino affirmanter rationari; uti ex se, quod cauti homines agunt, obtulit suam operam majestati vestrae propenso animo, si modo ipsa majestas vestra dignabitur hanc viam, pecuniae scilicet, prior tentare, et ad ejus adventum in Poloniam mittere suum oratorem de his, qui tamen orator ibidem cautissime secum agat in summa. Dixit demum, se non diffidere, reginam Isabellam finem his turbis facturam, si aliqua pecunia deliniretur, nunciaretque imperatori Turcarum, se et filium per

majestatem vestram contentos esse factos. Cujus nuncii legatum et promptum et fidelem majestati vestrae sese coram nobis studiose obtulit; et si majestas vestra hanc viam tentare voluerit, et in Poloniam oratorem miserit, non erit alienum mittere aliquod munusculum, quo rem magis promoveat. Sed cognoscat etiam illud majestas vestra, quod a Ferhato accepimus, saepe nuncium reginae Isabellae iis dragomanis fuisse locutum plurimum: imprimis oportere majestatem vestram precibus et officiosis mediis ad ejusmodi reginae Isabellae et filii ejus provisionem sollicitari, et eniti, ut bonis in Silesia eos non privet. Ex quibus omnibus conjicimus, imperatorem Turcarum nihil minus velle, quam belli in Hungaria terriculamenta tantum intentare, ut celerius ad ea adducatur, quae ab ea expetuntur. Verum non omnino securitati huic fidendum est, quum istos fines suos Turca satis habeat bene viris munitos; et dubitandum est etiam de animis Transsylvanorum, ubi et a Turcis et Valachis urgeri incipient. Cum huc et illud accedit, uti Ferhat dragomanus nobis affirmavit, quod imperator Turcarum ad futuram hiemen rediturus est Constantinopolim; contentus sola Syrvani recuperatione, in cujus finibus, postquam obtinebitur, tria castella eriget eaque validis firmata praesidiis, revertetur. Quod etsi adhuc non constat, si tamen ita fieret, timeremus ad insequentem annum nostris finibus, pace secum interim non confecta. His autem omnibus intellectis, maturavimus majestati vestrae significanda, ne quo casu improviso occuparetur; consiliaque in utramque partem capere posset de occurrendo incommodis, potissimum de remittendo jam Joanne Maria cum resolutione expectata. Cujus certe solius nostro judicio et omnium

opinione, mora miscentur et machinantur ejusmodi. Adjecit et hoc Mahmut, quod rex Poloniae neutraliter sese gerit in majestatem vestram et sororem ac nepotem suum; clam tamen omnibus modis favere suis, Petrum Petrowyth de omnibus instruxisse et animasse, quae contra majestatem vestram aggressus est ope Turcica: utcunque eidem de se polliceatur; nec aliam viam esse meliorem, quam pecunia uti ad sedandos inquietos.

De nobis quum Ferhatum rogaremus, quid futurum foret, respondit: arbitrari se, quod ad reditum imperatoris Turcarum non remitteremur, nisi si Joannes Maria cum resolutione rediret, quae placeret. De quo, si istic ii tractare inciperent de mandatis nobis commissis, putaremus bonum esse, si majestas vestra querimoniam faceret, quod responsum suum non fuissent expectati, nobiscum hic agere nihil voluissent. Alioqui sit judicium majestatis vestrae. Et jam de rebus aliis.

Rex Persarum praelii facultatem non faciet, sed solito more rem geret, modo fugitando, modo insequendo, prout motus hostis occasionem dabit, qui molem sui exercitus in locis suapte natura parum foecundis non potest commode alere, qua etiam inopia redire velle dicitur: Triremes vix 50 pro custodiendis finibus expedientur. Mirandam redemimus ducatis turcicis CIII.

Dragomanis nunera dedimus et damus pluribus aliis amicis, a quibus edocemur de his, quae scribimus, idque nisi saepius fecerimus, nihil fecerimus. Inde dignabitur majestas vestra scire, quod ea argentaria, quae remanserant, jam diversis vicibus oppignoravimus pro florenis ferme 600. Nihil enim hic

fit sine pecunia, et cum ea omnia. Supplicamus itaque, ut dignetur nobis mature succurrere, et ita quidem, ut haec etiam pignora redimere possimus, ne foenore consumantur.

Unum scribendum restat. Homo quidam Muzthaphae e Turcia profugit ad majestatem vestram, quod hic manifeste constat; hortantur amici nostri, ne illi apud majestatem vestram fides habeatur, nec instinctu ejus aliquis motus excitetur, quia etiam vulgaris rumor est, Turcam hoc bellum Persicum ultra annum non extracturum. De statu nostro quid addemus, cum in manu majestatis vestrae omnia sint. Si tamen istic aliquid ordietur praeter opinionem, et quo fines imperii Turcarum laedentur, nos incommode tractabimur.

Litteras autem nostras dignabitur propter Deum majestas vestra valde cum paucis extra consilium et caute communicare, parceque etiam nostrum nomen nominare, quum de his agere contigerit, quae scribimus: quia hic et nos et amici nostri periclitarentur, si quid earum huc referretur, prout non desunt ubique proditores. Majestas vestra feliciter valeat. XIX. Aprilis, Constantinopoli, 1554.

LXXXVII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. apr. 21. Quoniam gentis hujus mores sunt varii, cogimurque illa tantum accipere et intelligere, quae et quomodo nobis referunt ii duo dragomani: quod vere et sincere de his superius scriptis nobiscum contulerunt,

nescimus. Hodie tamen a quodam bono amico nostro intelleximus longe duriora. Heri Oruch ciaus et ii duo dragomani convenerant ad Hruztanum passam, ibique hoc eodem amico nostro praesente, prolatis et lectis litteris imperatoris Turcarum, quas nunc ad majestatem vestram mittit, hunc tenorem esse retulit.

Scribit ut amico et vicino, dicitque alias etiam monuisse majestatem vestram, ut Transsylvaniam reginae Isabellae filio velit remittere, nondum tamen remisit. Et quoniam eandem Transsylvaniam patri ejus Joanni antea dederat, una cum toto regno Hungariae, illique juraverat, quod eum, quamdiu vixisset, ob ejus in se merita et fidem semper esset in eodem regno tutaturus, et post obitum ejus filium quoque ipsius, si quem reliquisset, ita complexurus ut ipsum patrem; quare cum Joannes rex post mortem reliquisset hunc filium, qui adhuc vivit, quique ut pupillus et destitutus omni spe alia, in sinum et tutelam suam sese contulisset, nullo eidem pacto deesse vult, sed collata ipsi Transsylvania eo ipso jure, quo eam patri contulerat, omnem etiam defensionem suam eidem in omne tempus obtulit. Hoc igitur e Transsylvania in magnam contumeliam suam extruso, dicit se nolle conquiescere, donec eundem in statum suum reducat. Et quia proximis litteris majestatem vestram, ut idem amicus dixit, modestius ad restitutionem Transsylvaniae requisivit, si amicitia et pace sua uti velit, his praesentibus severissime fulminat, quae tunc ad majestatem vestram mittentur, cum superiores nihil profecisse constabit. Ait itaque in his litteris, velle se omnino et sine mora, ut eandem Transsylvaniam majestas vestra cum omnibus locis et arcibus, quae numerantur XXVII, ad eam pertinentibus, Puero resti-

tuat, nolleque nec a majestate vestra vi nec a Transsylvanis tributum ejus accipere, quod Puero ipse in alimoniam sui concessisset. Caeterum majestati vestrae etiam pro ea parte Hungariae, quam tenet, solitum se donare tributum, si modo Transsylvania cesserit. Si vero noluerit, edocet majestatem vestram, habere se nunc in castris septies centena hominum millia, et ait rediturum hoc anno Constantinopolim ab expeditione Persica, ubi cum annum sequentem quieti et reparationi militum permiserit, tertio in persona sua cum omnibus memoratis viribus (facto perquam maximo juramento.) in Hungariam contra majestatem vestram venturum sese edicit, ibique tam diu vastabit igne et ferro omnia, propriam majestatis vestrae personam persequendo, donec aut ipsius compos fiat, aut et caput suum et exercitum totum amittat. Hic litterarum tenor est.

Ii autem tres viri, habito primum consilio, de rebus in Temeswar cum Kassumbego et Petro Petrowyth, Mahmutum in Poloniam expedient, ut supra diximus, reliqui duo Budam proficiscentur, et ibi cum eo passa et cum zanzacco Bosnensi tractabunt, quid fieri debebit. Ferunt autem secum non duo sed VI. vexilla; quinque mediocria, sextum totum aureum et speciosum, et titulum Puero non Transsylvaniae ut hactenus, sed jam Hungariae regis. Huic deliberationi ajunt Hruztanum passam valde adversari et dicere periculosum fore; caeterum acturum etiam se apud imperatorem Turcarum, ut retractetur, si fieri poterit. Quod quo zelo faciat, ignoramus; dubitari tamen potest, quod ob aemulationem Achmat passae. Verum quod in summa dicemus, nos aliud nescimus, quam quod majestati vestrae cum imperatore Turcarum

nunquam certa et sincera poterit esse pax et amicitia, quamdiu foedere regis Franciae detinebitur, et quicquid circa haec majestas vestra sibi promittat, majestas vestra sola scit. Sed aliter his de rebus cogit,*) et quia dum majestatem caesaream distinere contendunt, majestati vestrae infesti esse non cessabunt. Praeter enim haec aliud nos didicimus nihil. Det itaque majestas vestra operam, ut cedendo tempori, pacem aliquamdiu habeat, et interim eversor ille rex Christianitatis, si fieri poterit, evertatur. Alioqui supplicamus, ut dignetur nobis gratiose ignoscere, si quid temere de his judicamus. Reliquum est, ut his cognitis majestas vestra etiam aliunde instruatur, quia nos nolumus esse causa erroris cujuspiam. Majestas vestra quam felicissime valeat. XXI. Aprilis, Constantinopoli, 1554.

LXXXVIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Moram expeditionis Joannis Mariae plane appa- 1554. apr. 24
ret jam coepisse et imperatori Turcarum et passis ejus non molestam solum sed etiam suspectam, eaque passim etiam sugillatur. Qua ex re nova quoque apud imperatorem Turcarum de negotio et Hungariae et Transsylvaniae constituta est deliberatio, nulla nobis vel minima precatione(?) facta, adeo non raro rerum procrastinatio damnosa esse consuevit! Haec profecto Joannis Mariae tarditas etiam Hungariam, de qua initio tacebatur, adduxit in controversiam, quemadmodum majestas vestra ex mandato, quod nunc ad omnes utriusque regni proceres dedit, cognitura est. Nam sicut proxime per Budensem Turcam tabellarium ad

*) Úgy látszik, kimaradt valami.

eam modestius scripsit in petitione Transsylvaniae, ita nunc durius agit. Nec quidem aliter, quam qui conatur extorquere quod ultro nequit obtinere. Da, inquiens, reginae Isabellae filio Transsylvaniam, si mecum velis pacem et amicitiam; sin minus, bello te id ipsum facere adigam. Mittitur in Hungariam Oruch ciausus, qui constituetur primum cum Petro Petrowyth et Temesiensi praeside, postea cum Budensi passa et Boznensi praeside, omnibusque injuncto belli apparatu, ut habent expeditum, mox mandatum superius memoratum emittet in publicum per regni incolas, et hortabitur majestatem vestram ad restituendam Puero non Transsylvaniam modo sed Hungariam cum omnibus illis finibus, qui fuerunt in patris ejus potestate. Et nisi id fecerit quamprimum, bellum subito inferent supradicti praesides, initioque in Transsylvania promovebunt, et adhibebunt omnem curam, ut ope Valachorum Joannis posteritatem in pristinum statum reducant.

Adjuncti sunt Oruchio duo *) imperatoris Turcarum, Ferhat Hungarus, Mahmut Alemanus, quorum ille ubique Oruchio adhaerebit; hic per Valachias it in Poloniam, jussurus ut et Valachi in armis sint, et curaturus, ut mater cum filio ad descendendum in Transsylvaniam sese parent. Initio tamen, quantum ab ipsis interpretibus et ab aliis amicis nostris accepimus, movebunt omnem lapidem, ut majestas vestra concordet cum eis, et ultro in gratiam imperatoris Turcarum reddat contentos. Uti mox dicemus. Et si per concordiae viam res componi non poterit, tum demum ad vim convertentur.

Haec nobis hunc in modum cognita sunt et affir-

*) Kimaradt: dragomani, vagy: interpretes.

mata, nec ea pluribus hac epistola exponimus, scripturi paulo post via solita fusius ac distinctius, de hoc tantum paucis reddentes majestatem vestram certiorem, quod ii duo interpretes ambo seorsum et valde clam ac ex sese dixerunt nobis: posse haud dubie mitius hoc negotium transigi per novam concordiam, si modo utilioribus aliquibus conditionibus vellet majestas vestra reginam Isabellam et filium ejus contentare, plurimum enim inopiae et egestatis incommoda declararunt apud imperatorem Turcarum. Et Ferhat de concessione aliquorum bonorum in Transsylvania loquebatur, Mahmut vero de pecunia, quemadmodum latius aliis majestatem vestram edocebimus, judicantes etiam nos, multo fore commodius, si lis ejusmodi pecunia finiretur, quam per bellum, quod multo majorem requiret, si fuerit, quam ipsa pax. Sed de hoc majestatis vestrae erit judicium et consilium, cum hujusmodi tractatus perferetur in medium et placuerit. Nos interim, uti ex Ferhato fore audivimus, veremur valde ne hic ad Turcae reditum detineamur, nisi cura et providentia tum Dei tum majestatis vestrae melius de nobis statuerit. Hi autem interpretes ambo suam operam majestati vestrae obtulerunt, sed Mahmut majore cum affectu, et erit fortasse majori ipse usui, quod apud reginam erit, si quid modo hujus tractatus intervenerit; unde optavit, ut eum diligenter recommendaremus, polliceremurque suffragaturum commodis majestatis vestrae. Majestas vestra valeat felicissime. XXIIII. Aprilis, Constantinopoli, 1554.

LXXXIX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. apr. 27. Mahmut interpres imperatoris Turcarum, de quo etiam in adjunctis litteris, XXIV. Aprilis datis scripsimus, secundo ad nos venit, et omnem operam dedimus, ut eum majestati vestrae compararemus, et praesentibus suis rebus accommodaremus, quandoquidem non obscure ipse etiam met eidem sese offerre videretur, dum excusans quasdam suspiciones de se majestati vestrae ab aliquibus persuasas, easdem in aliorum culpam retorqueret, prout bene scire ajebat Joannem Mariam. Unde sciremus eum sincere praestaturum majestati vestrae omnia quae nobis promisit, ubi in Poluniam pervenerit, cognoveritque animum majestatis vestrae circa concordiam, de qua in aliis nostris attigimus. Et quidem acceptis ab eo exemplis litterarum imperatoris Turcarum, quas mittit ad majestatem vestram et ad omnes suos regnicolas, nimis sane et duras et injurias, modum etiam explicatius aperuit, per quem majestas vestra commode posset concordare cum regina Isabella et filio ejus, pacificeque in possessione Transsylvaniae permanere. Sed haec omnia intra trinum perscribemus, Deo adjuvante, et memorata etiam exempla litterarum mittemus per hominem pecunia conductum. Interim autem majestas vestra diligenter dignabitur animadvertere, quonam pacto gerit se cum majestate vestra serenissimus rex Poloniae. Is enim supradictus amicus retulit nobis, eum omnino et ursisse Petrum Petrowyth ac reginam Isabellam ad haec pro Transsylvania apud

Turcam molienda, et instruxisse agereque etiam apud Turcam non segniter, ut ei filioque ejus favere velit, sed valde secrete et clandestine, ne majestas vestra intelligat. Quum autem de his eadem majestas vestra certior facta fuerit, sic omnia agere dignabitur, ut cavere praefato amico item Mahmuto meminerit, ne capite periclitentur.

Nos litteras majestatis vestrae post eas, quas in Januario dedit, nullas alias accepimus, cum nostras plures dederimus. Et postremo supplicamus, ut majestas vestra providere nos de expensis, nostrique etiam generose curam gerere non dedignetur, quia si quis motus hinc atque illinc, uti videmus initia, excitabuntur, non parum timemus de incommodis. Majetras vestra felicissime valeat. XXVII Aprilis, Constantinopoli, 1554.

XC.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Quae proximis litteris nostris, quas Ferhatto et 1558. május 3.
Mahmuto, imperatoris Turcarum interpretibus ad majestatem vestram dedimus, promiseramus: aliis fusius et distinctius scribere de rebus nunc in gratiam reginae Isabellae, filii ejus ac Petri Petrowith a Turca ratione Transsylvaniae constitutis, expediemus his praesentibus. Et licet ternis jam aliis nostris non ita pridem de his ipsis rebus tumultuarie aliquanto scripsimus, uti vario relatu eas noscere potuimus, nunc tamen consequuti a Mahmuto et exempla vera litterarum Turcae, quas ad majestatem vestram mittit, et

ipsius rei quadamtenus radicem ac fundamentum, maturavimus omni conatu et diligentia nostra, ut haec ipsa prius a nobis quam ab aliis in notitiam majestatis vestrae perveniant, si modo etiam nunc non tardaverimus, cum nulla majore difficultate laboremus quam ea, quae nobis est in mittendis ad majestatem vestram litteris. Sed haec fortasse aliquando fient faciliora.

Nunc cum jam discessurus hic memoratus Mahmut secunda vice ad nos concessisset, litteras ad majestatem vestram accepturus, non contenti his, quae jam ante ab eo cognoveramus, plura adhuc et ad punctum aliqua dicere, per omnem comitatem sermonis eundem sollicitavimus, cum jam munusculum praecessisset, et se constantissime commodis majestatis vestrae offerret, hortantibus insuper nobis, ut curare velit, ne res ad bellum deveniret, agereturque cum majestate vestra citra omnem contemptum atque injuriam; et in fine rogavimus: num revera ejusmodi controversia concordia aliqua bona posset complanari et finiri? Circa quae dato nobis responso copiosiore et specie bono, tandem: et modum, inquit, possem vobis demonstrare, per quem dicta concordia posset sequi et fieri, si modo secrete, quae loquar, tenere velletis, ne ipse periculum adirem, cum haec in arcano nobis commissa sint. Ubi facta homini fide, quod ea cum nemine mortalium, praeterquam cum majestate vestra communicaturi essemus, ait: posteritatem Joannis apud Turcam institisse, ut si velit commode se in Transsylvaniam reducere, efficereque etiam, ut omnes reliqui Hungari in fidem suam redeant, jubeat sibi non tantum ea reddi, quae Joannes rex possedit, sed etiam ipsum Temeswarum, Lippam, Zolnok et

omnia caetera, quae in ea ora ad Tibiscum usque existunt, restituat. Et in hoc magno conatu regem etiam Franciae laborare, nec deesse, inquit, dominis Hungaris et ex capitulis, nominatimque Waradinum attigit, qui occulte suo nomine agerent apud Turcam, amplexuros scilicet se praefatae posteritatis Joannis auspicia, si haec ei reddere voluisset. Verum quum eidem posteritati omnia petita concessit Turca, de Lippa autem et Temeswaro et Zolnok neque audire voluit, nedum restituere, dixit idem Mahmut: arbitrari se, nec reginam Isabellam venturam in Transsylvaniam, nec dimissurum filium metu Turcicae viciniae. Et hic modum consistere concordandi cum eisdem, hoc adjecto, ut quamprimum memorata concordia confecta esset, expediretur idem Mahmut ad Turcam cum oratoribus reginae Isabellae et filii ejus et Petri Petrowyth et regis Poloniae, qui dicerent, eos factos contentos a majestate vestra, nec imposterum cogitare de Transsylvania; interim tamen et domini vajvodae suo ac Transsylvanorum nomine tributum mitterent, orantes ut majestatem vestram sibi praeesse sineret. Et hoc ob eam causam, quod hoc, ajebat, ita deberet fieri, donec idem Turca pacem cum majestate vestra conclusisset.

Ubi etiam illud edoceri cupientes: num, diximus, Turca regem nostrum sine turbatione permittet in possessione Transsylvaniae, si cum posteritate Joannis vel pecunia vel bonis aliquibus concordabit, et ita se eadem posteritas abdicabit ea provincia? non exacte nobis, uti volebamus, affirmavit. Caeterum quomodo quidque etiam aliis de rebus et modis tam ipse quam Paulus Baky nuncius Petri Petrowyth scripto postea nobis responderint, eorundem scripta

ostendent, quae cum exemplis litterarum Turcae mittimus majestati vestrae. Nec est quod aliud de his in praesentia cognovimus; illud tantum supplices monitam velimus esse majestatem vestram, ne ob hoc subita aliqua perturbatione commoveatur, donec rem etiam aliunde perfectius intelligat, quia etiam amicus ille noster secretus nunciavit nobis, nullo pacto velle imperatorem Turcarum belli cujuspiam in Hungaria causam dari. Et tametsi litterae Turcae turbulentiores videntur esse, instructionem tamen Orucii et finitimorum praesidum in praesenti negotio gerendo mitiorem esse, et futurum finem meliorem, si modo nova aliqua concordia, quae crebro in mentionem adducitur, inter majestatem vestram et eam posteritatem consequeretur. Sed haec omnia melius majestas vestra cum dominis consiliariis et cognoscet et expendet. Nos quia hic nihil agimus, nec possumus agere, donec novae causae nobis porrigantur, quandoquidem et haec omnia acta sunt hic nulla nobiscum collatione pro sua barbarie facta, haeremus tantum incerti rerum, et solliciti non mediocriter, quorsum haec evadant, cum, ut videtur nobis, plura in hoc imperio passae quidam agunt, quam ipse imperator Turcarum, dum quilibet in suo magistratu contendens aliquid finibus addere, multa temere et ex fastu tentant, quod et jacturas acceptas in tanta authoritate et opibus facile tegere valent, et si felicius successerit, quod casui commiserunt, virtuti eorum adscribitur, et extolluntur. Nec ulla ratione per oratores praesertim hostium huic ipsorum insolentiae occurri potest, dum omnia caesaris, ut jactant ipsi, corruscanti ferro et brachio excelso attribuunt, agentes de regno Hungariae, ut jam de subjugato. Ideo nos aliud dicere majestati vestrae

nunc non possumus, quam ut multorum verbis non credat, sed per omnes opportunitates, levissima Turcae amicitia habita, curaret melioribus modis de Hungariae statu reparando et conservando. Quia haec duo instrumenta movent, alterum lacertos alterum virus regis Franciae. Nimirum et Joannis posteritas, nec majestas vestra nec serenissimi liberi ejus ex Hungaria partem conquiescent.*) Haec nos fides dicere cogit, supplicamusque, ut majestas vestra dignetur nobis ignoscere. Hic enim sumus, ubi coram multa videmus et audimus, et nunciorum adversariorum majestatis vestrae magis meris mendaciis creditur, quam nostrae ipso sole clariori veritati, qui amicitiam nudam, illi regna et gentes eis afferunt. — De rebus aliis.

Celerior Turcae reditus vel ex opinione secreti amici nostri incertus est. Triremes circiter 50 mittentur in Aegaeum Junio tantum mense ineunte, finium eorum tuendorum gratia. Mittuntur et in Pontum, si nos non fallunt relatores, X, ad transportandos Tartaros Praecopenses in Cappadociam versus Georgianos, qui vix erunt 50 millia, ut dicunt. Sed quia jam Turca movit Alepo regem Persarum versus, et triremes hae adhuc in portu haerent, nescimus quid ad veritatem dicere debeamus. Quando autem deinceps domini Transsylvani mittent nuncios vel nuncium ad Turcam, jubeat majestas vestra, ut mittant solidum virum et scientem verum, quia ut relatum est nobis, hunc Joannem Veg reprehenderunt, quod diversum sit locutus coram passis, quam litterae habuerunt, quas portaverat, quae etiam fuerunt causa, quod nos cum hoc Orucio non expediverunt, si Mahmut credi debeat.

*) „Quia — conquiescent" a másoló hibájából, ki valószinüleg it több sort kihagyott, zagyva.

Addimus huc etiam illud, ut ea, quae majestas vestra volet nos hic publice agere, scribat nobis per Turciam, quia quae per Venetias scribit, clam ad nos veniunt, nec de his palam agere audemus, nisi cum maximo amicorum nostrorum periculo: utcunque antea alia fuerit nostra sententia. Si demum aliquis rumor perveniet ad majestatem vestram ex Polonia vel ex Transsylvania, Achmat passam immo et ipsum imperatorem Turcarum commotum fuisse contra Verancium ob quasdam litteras, quas ad Hruztanum passam communi nomine dederamus, cum exemplo obstrictae fidelitatis Petri Petrowyth, in adventu nunciorum reginae Isabellae: majestas vestra non conturbetur. Nihil insulse aut indebite scripsimus. Sed ille nuncius in Verancium mira vehementia, quum eaedem litterae allatae sunt, excanduit. Scripseramus enim, ut dominus Achmat non ita facile crederet reginae Isabellae et filii ejus nunciis; praebitaque illis aure altera, nobis servaret alteram. Nam publice ubique hic declamarant: majestatem vestram non sincere pro pace agere, et clandestine exercitum conscribere. Quare me Verancium et Joannis regis et uxoris ejus fuisse secretarium, immo et filii praeceptorem; quodque idem Verancius esset, qui haec omnia contra veterem dominum ac dominam improbe machinaretur, exaggeravit. Unde dato loco calumniae, possibile est, fuisse de eodem Verancio in Porta aliquis sermo durior, *) eo tamen negotia majestatis vestrae non turbabuntur. Majore enim ego aequitate et probitate ab ea factione recessi, quam me ipsa dimisit. Sciunt autem duo domini et patres Verancii haec omnia, qui cum

*) Itt is, felebb is hagytuk a szókötést, a mint találtuk, noha lehetséges, hogy csak a másoló felelős érette.

ista legi audient, statim se majestati vestrae manifestabunt, Veranciusque simul cum collega suo, ubique et semper, Domino adjuvante, fungetur fide sua.

Sed nolumus etiam illa duo pro fide et officio nostro omittere. Primum: ut si majestas vestra accedet ad aliquos novos tractatus concordiae, omni via et modo (quod videtur nobis) dignabitur cavere, ne Puer vestigium habeat in Transsylvania et in Hungaria, quia timendum est, ne imposterum ex praesentia Pueri turbatiora in majestatem vestram per occasiones concitentur, consideratis multorum moribus: et dubitamus valde, ne ii hac via doli aliquid meditentur, dum quoquo modo redeat instrumentum piscationis suae in Transsylvaniam. Secundo: ut in conclusione concordiae sint principes aliqui, qui fide jubeant pro Puero in omne aevum, non elaturum cornua ad coronam, quum maturior ejus aetas inciperet sollicitari hinc paterna memoria, illinc seditiosorum intemperiis et vicinis Turcarum praesidiis. Quod vinculum si forte omittetur, semper posset exhibere negotium, causata aetate sua, et quicquid pro se vel mater vel Petrus Petrowyth spopondisset, non intellexisse. Verum nos ad haec tam alta consideranda et consultandum parvi sumus. Supplicamus igitur, ut majestas vestra nobis dignetur gratiose ignoscere. Quid rerum gerant Siculi (quod nos praeterierat) majestas vestra summa cura videat; cum regina Isabella, cum Petro Petrowyth, cum Polono, cum Moldavo et non cum paucis regni Hungariae proceribus habent intelligentiam de praebendo transitu in Transsylvaniam Puero, deque eo excipiendo ac tuendo, donec votis potiatur. Et jam Turcae quoque ac passis de hac sua fide et voluntate in Puerum fecerunt sponsionem, modo altera ex parte

provinciae praesto non desint illis auxilia. Haec retulit nobis Turca quidam Hungarus Kwyunchy Hamza nomine turcico, christiano vero Etues Peter, qui cum praefato Mahmuto it in Poloniam, quo quicquid ibi apud reginam Isabellam et Polonum de gerendis rebus constituetur, idem referat ad Siculos et reliquos conspiratos. Hujus itaque utriusque hominis, Mahmuti et Etwes Petri summo in silentio nomine habito, mature dignetur majestas vestra huic malo occurrere. Et quia difficile est in tanta hominum inconstantium ubertate plane perspicere, cui credas, majestas vestra non omni litterarum nostrarum contenta nominatim pronunciet, quia periclitaremur, si quid rerum earum huc homines seditiosi renunciarent, ut jam semel ex Transsylvania factum est, nobisque passa exprobravit non valde comiter. De quo si jam saepius scripsimus, dignabitur nobis majestas vestra ignoscere, quia dubitavimus eas litteras non restitutas. Non praetermittemus de impensis nostris et de vestitura familiae, egregie enim jam et nos pecuniis egemus et familia caret vestibus. Supplicamus igitur, ut majestas vestra dignetur generose de his providere. Mirandam autem CIII. aureis turcicis redemimus, et est nobiscum. III. Maji, Constantinopoli, 1554.

XCI.

Oláh Miklósnak Verancsics és Zay.

Verancius et Zay Nicolao Olaho.

Hic nuncii reginae Isabellae et filii ejus videntur 1554. majus 8. egisse et confecisse omnia negotia sua satis ex sententia, si modo expeditionem earum litterariam optati exitus consequentur. Hoc interim nobiscum nihil actum est, tametsi hortati fuerimus per litteras magnificum dominum Achmat passam: ne quid his de rebus velit in summa decernere, donec a majestate regia expectata nodi intricati resolutio adferretur, nosque etiam adessemus. Nec aliud aut agere aut movere nos ex hoc sequestro potuimus, uti apud alios principes nostrae religionis licite potuissemus. Sed silentio praetermissi, parteque altera minime audita, jam tulere sententiam, quam voluere, quemadmodum ex his adjunctis litteris patebit. Quod quia factum videtur esse non sine et indignitate regiae majestatis et contemptu quodam nostri, cum in ejusmodi constitutione nos quoque adhibere debuerant, nescimus quid sit majestas regia cogitatura. At nos remittendo omnia melioribus consiliis, rem non putaremus sine consideratione transeundam. Si enim commissarios suos pro iisdem rebus istic finiendis ad majestatem regiam legaverunt, hic haerere nos inaniter quid oporteat, eoque potissimum, quod uno veluti sinu prolato, iidem et indignam pacem offerent ejus majestati, si Puero reddet Transsylvaniam, et si non reddet, bellum denunciabunt. Haec pauca scripsimus ad reverendissinam vestram dominationem pro nostro in eam officio, nihil aliud cupientes, quam regiae majestati, domino

nostro clementissimo pro ejusdem voto, nomineque christiano ac patriae nostrae inservire, quam quidam ingrati ejus alumni pessumdare certe non verentur, ut quid minimum consequantur, magno idipsum aliquando eisdem constaturum, si Turcae veteres mores non emutaverunt. Verum Deus haec viderit et majestas regia, si quando irasci jam incipiet. Quia profecto, nisi istic pisces ultro sese objicerent, hinc rete et hami non subjicerentur. Reliquum est, ut sciat dominatio vestra reverendissima, multos esse, ut audimus, apud nos, qui dedita opera capi volunt, et credunt beatos se fore, quum eum defensorem habebunt qui non miseretur. Errant igitur toto caelo, et rationes in aliud tempus enumerandas differimus.

De statu nostro nihil adhuc quicquam est immutatum, variis tantummodo exercemur rumoribus, hisque potissimum, quos Turcae, Hungariae finitimi, de bellicis quibusdam regiae majestatis apparatibus huc transmittunt. Jam enim dudum et Strigonium et Temeswarum obsedit, et Budam terret, ac trino exercitu rem gerit. Haec tamen eadem cum varie, quotidieque aliter atque aliter, et quandoque etiam contrario modo referuntur, agnoscimus, pacem illi nostram non placere admodum, cupereque potius per occasionem finem Hungariae regno imponere; quod autem fortasse agit providentia, quae saepe numero per adversa feliciora pollicetur. Nos, nostresque et nostra omnia vestrae reverendissimae dominationi commendamus, omniaque eidem oramus a Deo prospera. III. Maji, Constantinopoli, 1554.

XCII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Considerata rei praesentis magnitudine et importantia visum est, peculiarem hominem conducere, per eumque omnia ad majestatem vestram transmittere. Igitur homo hic Ragusinus est, et vocatur Radosorgallo *), cui nos impensas Viennam usque eas dedimus, quas ipsemet sufficientes sibi fore judicavit. Verum quilibet hujusmodi cursorum majora a gratia majestatis vestrae expectat et sperat, quod omnes qui hactenus similia servitia eidem exhibuerunt, non parum gloriantur de sua erga se liberalitate. Quapropter quo hominum talium officia nobis non desint, supplicamus, ut hunc quoque sic dignetur ab se expedire, ut promptior studeat esse imposterum. Nec est parum majestati vestrae aut ejus oratoribus hic loci, ubi omnia Gallorum insolentia sibi vendicat, conniventibus Turcis suo commodo, de fide similium hominum nihil dubitare, et semper operam praesto habere. Majestatem vestram quam felicissime Deus conservet. Constantinopoli, III. Maji, 1554. 1554. május 3.

*) Kiről Verancsics titkára itt mint „Radosorgallóról" szól, azt a következő levélben „Radumsorgallum" hajlitással emliti, miből talán azt kellene következtetni, hogy Rado Sorgallo vagy Radus Sorgallus a helyesebb irás. Ferdinand futárai között is találkoztak, mint már láttuk, s mint még látni fogjuk, Radó nevet viselő, raguzai születésü egyének.

XCIII.

Lenkovicsnak*) Verancsics és Zay.

Verancius et Zay ad Lencowium.

1554. május 3. Mittimus hunc tabellarium nostrum peculiarem, Radumsorgallum nomine, cum litteris nostris magnae et arduae importantiae ad majestatem regiam, dominum nostrum clementissimum, eumque direximus Segniam ad vestram magnificam dominationem, quod opportuniorem ac securiorem viam hoc tempore non reperimus propter varias difficultates, quae alias omnes vias videntur nobis ademisse. Quare hortamur et rogamus dominationem vestram magnificam summo studio atque instantia, ut quantum ei gratia et incolumitas regnorum quorundam suae majestatis cara, cupitque suam etiam fidem eidem regiae majestati commendatam, velit statim et sine unius horae mora memoratum tabellarium nostrum per hominem suum fidelem et diligentem in obeundis itineribus, via quam brevissima et securissima ad ipsam regiam majestatem deduci facere, eidemque suppeditare, si quid ei necesse fuerit, humanitate sua et liberalitate, qua rebus et commodis sui principis nunquam deesse consuevit. Quod eadem majestas a dominatione vestra magnifica ita accipiet, ut gratia speciali eidem respondere non dedignabitur. Bene et feliciter valeat. III. Maji, Constantinopoli, 1554.

---

*) Ferdinándnak a horvát végekben főtiszte.

XCIV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Obsignatis litteris nostris, die tertia hujus mensis scriptis, et jam tabellario datis, supervenit ex curia imperatoris Turcarum, Zynan passae, fratri Hruztani passae abrogatam esse praeturam Constantinopolitensem, eamque Ibram passae eunucho attributam, qui in adventu nostro tertius a Hruztano passa erat inter quatuor passas primarios. Habemus etiam ab amicis, datam esse illi de publicis rebus statuendi omnem eam autoritatem, quae summis locumtenentibus dari solet apud principes. Nominatim autem nostrum etiam commissum est negotium, ut illud pro arbitratu suo et informatione jam accepta absolvat, ubi primum certi aliquid a majestate vestra allatum fuerit. De statu autem Zynan passae alio varius sermo circumfertur. Quidam dicunt, maris etiam praefectura esse exutum, eique Durgutreys surrogatum; quidam vero, non, sed eum cum classe profecturum. Sunt qui missum esse ajunt, quasi alterum Romaniae beglerbegum, ut quicquid reliquum militis est in Graecia, in Macedonia, in Thracia et Mysia, cogat in arma, et poscentibus Hungariae et Transsylvaniae rebus, easdem reliquias finitimis praesidiis auxilio deducat; nonnihil Budensem quoque passam, nonnulli Temesiensem futurum volunt. Sed haec incerta adhuc omnia; et Achmat passa, sicut reliquas omnes praefecturas ejusmodi clientibus Hruztani passae abrogavit et suis attribuit: ita et fratrem ejus non minus nova quam vetere in eum simultate vellet imbecilli- 1551. május 8.

orem reddere. Verum ubi primum verius de his omnibus compertum habuerimus, curabimus majestatem vestram quamprimum facere certiorem. Is autem Ibram passa, quum tam ampla authoritate hic fungetur, totaque summa legationis illi est demandata: moniti sumus ab amicis, ut curemus eum majestati vestrae, immo et nobis munere aliquo conciliandum. Quare mutuo hic accepimus ab agente domini Petri et Antonii Dellavecchia ducatos hungaricos 231., ut exemptis duabus vel tribus cuppis, quas dudum necessitate urgente oppignoraveramus, eidem Ibram passae, cum advenerit, nomine majestatis vestrae donemus, quum alioqui, etiam si non esset usui rebus majestatis vestrae futurus, tamen ex more hujus curiae quilibet horum summorum hominum donandus est ab oratoribus, qui nova ineunt officia, et a longinquo domum revertuntur. Scit hoc Joannes Maria, et nos vellemus nescisse, sed sic oportet.

De bello Persico aliud nunc non occurrit, quam quod jam Turca versus fines Persiae maturat, et hic coepit rumor vulgaris bifariam increbescere, et pacem scilicet futuram et bellum duraturum. Sed neutrum incertum est, et uter magis inst8titerit, advigilabimus, ut cognoscamus.

Dignabitur mandare majestas vestra domino capitaneo Segniae, ut si quando litterae nostrae ad eum venerint, curet quam celerrime per suos homines ad majestatem vestram deferendas; cum enim aliqua rei festinatio ingruerit, ea via conducto tabellario litteras nostras ob celeritatem dirigemus, quia Venetiarum videtur esse paulo longior et nonnihil etiam dubia. Majestas vestra bene valeat. VIII. Maji, Constantinopoli, 1554.

XCV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

A Januario mense nullas a majestate vestra nec litteras nec nova certa accepimus, vulgaribus tantum agitamur rumoribus, qui majestatem vestram nonnisi arma in fines hostium moliri, indies afferunt, et similia infinita. Quoniam autem Joannis etiam Mariae jam diu differatur reditus, fit, ut etiam iis rumoribus domini passae, tanquam veris rebus moveantur. Quapropter eandem moram Joannis Mariae impatienter ferentes, timentesque de aliquibus istic motibus, duram admodum de Transsylvaniensi negotio iniere deliberationem, missis in Hungariam suis commissariis. Nec plura nunc; quoniam quaternis jam et fuse et distincte aliis viis ad majestatem vestram scripsimus. Hic autem summoto passa Zynan a curia Constantinopolensi, missus est et brevi venturus in eum locum Ibram passa, qui in collegio IIII. vesiriorum consilii imperatoris Turcarum tertius erat in adventu nostro. Dicunt eum esse bonum et moderatum virum, et fungetur officio locumtenentis in summa et plena authoritate agendi et perficiendi omnia, quae intercesserint, tamquam ipsemet imperator; nominatimque etiam res nostrae legationis tota est illi demandata, ubi quid certi a majestate advenerit; — quae nobis omnia ab amicis sunt pro veris nunciata. Ideo quum ad nos quippiam majestas vestra de commissionibus nobis injunctis significare voluerit, habenda erit etiam passae hujus consideratio, quem nos ut majestati vestrae benevolum reddamus, studio interim enitemur.

1554. május 10.

Caeterum de Transsylvania nihil adhuc postea intelleximus, quam quod omnes viae ac modi tentabuntur, ut eam majestati vestrae adimant, miraeque undique machinae in eandem constitutae sunt, ut ea potiantur, quemadmodum ex aliis nostris planius intelliget, dignabiturque multum et multa circumspicere, quia etiam a subditis majestatis vestrae magna pars mali proficiscitur. Nos parati sumus omnia hic agere, quae jubebimur, sed non habemus cum quo et coram quo, cum ne litteris quidem uti possimus, quas si etiam mittimus, nullo responso compensantur, nisi fortasse jam cum hoc Ibram pàssa poterimus; tantummodo haberemus novam aliquam a majestate vestra informationem, ne si quid revera istic coacta esset majestas vestra immutare de sua initio constituta sententia, errorem aliquem committeremus.

Nos Dei gratia bene adhuc valemus, sed multum animo solliciti, quod nihil certi de majestate vestra intelligimus, quodque cum eadem ea aguntur, ex quibus boni sperare parum audemus, nisi Dominus Deus benigne sese interposuerit, et consilia conatusque malignantium disperdet ac disjiciet.

De progressu imperatoris Turcarum hoc est. Ajunt eum jam pervenisse in provinciam Syrvanum, moramque tracturum aliquamdiu in campo Mergiaettird appellato ad civitatem Nahchenad dictam, donec in ejusdem provinciae ulterioribus finibus, Persiae et Mediae contiguis, vetustum quoddam castellum, Korz nomine reparet atque instauret, quo securius in Persiam ipsam promovere contra hostem possit. Quae autem sit haec provincia Syrvanum, hominem adhuc reperire nequivimus, qui nos edocere potuisset; putamus tamen esse Assyriam, prout est videre in

Ptolomeo. Reliquum est ut Siculos majestas vestra diligenter curet observandos, quia, ut audimus, tota vis mali ab eis pendetur; quod ut avertat Deus, oramus. Majestasque valeat. X. Maji, Constantinopoli, 1554.

Postscripta. Amicus quidam noster intellexit ab homine quodam praecipuo illius Ibram passae huc venturi, cognitum fuisse in curia imperatoris Turcarum, quod reginae Isabellae filium nec mater nec Poloni essent in Transsylvaniam dimissuri propter peculiares quasdam causas; quare hic quoque imperator Turcarum dixisse dicitur, se functurum suo tutoris officio, et paratum fuisse ad ejus fortunam promovendam, verum si eam ipsam fortunam ipse reginae Isabellae filius neglecturus esset, non esse quod amplius ejus causa agere debeat ac possit. Hoc quicquid sit, nescimus certo. Ut relata scire tamen majestatem vestram ea voluimus, ut sese omnibus opportunitatibus in omnes eventus accommodet. Datae ut supra.

XCVI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Heri uno tempore et scribendi ad majestatem 1554. május 29.
vestram facultas nobis data est, et de statu Transsylvaniae quaedam relata sunt minime laeta, quae quum operae pretium esse judicamus, ut quamprimum majestas vestra intelligeret, quantacunque fides eis adhiberi debeat, procurare omni studio curavimus. Apud Ibram passam est quidam ex praecipuis ejus familiaribus homo nostrae nationis et amicus Francisco Zay, qui cum quendam e familia nostra inter-

rogaret de valetudine nostra et de animorum nostrorum habitu, jussit referri nobis confidenter, se nunciare ut amicis, alteri etiam ut veteri domino, nimirum ipsi Francisco Zay, cui aliquando inserviverit, ne ullam moestitiam admitteremus, nec omnium verbis crederemus, eorum praesertim, si qui essent, qui nos terrerent incommodiore aliquo nostrae expeditionis exitu, quandoquidem nos hinc brevi essemus dimissionem habituri, pace vel facta vel infecta. Caeterum sciremus Turcam omnino decrevisse, aut potiri Transsylvania aut mori, nec posset ulla offerri ei talis conditio, quae eum ab ejusmodi sententia dimovere posset. Praeterea quoniam adhuc in mense Februario coepit aedificare castellum quoddam in Persae finibus, illudque jam supra medietatem erectum est, quod ubi primum perfectum fuerit, ad videndum illud proficiscetur, postea imposito eidem praesidio, emunitoque rebus ae machinis necessariis, ante vindemiam redibit Constantinopolim. Interim vero si majestas vestra Transsylvaniam ei restituet, pacem cum ea de Hungariae tantum faciet regno et nos remittet. Si autem eandem reddere noluerit, subito et adhuc hoc anno Thraciae beglerbegum cum exercitu quanto majore potuerit, mittet in Transsylvaniam (quod alioqui tempus passurum non credimus,) nosque cum eodem exercitu expediet, jubebitque ad Danubium usque et inde ad confinia majestatis vestrae deduci; quae, quoniam a privato homine accepimus, non audemus affirmare, considerata tamen ejusdem hominis amicitia, et apud dominum suum conditione (est enim ex intimis ejus), non credimus eum fabulam nobis nunciasse, eoque potissimum fidem illi adhibendam putamus, quod litterae etiam ultimae imperatoris Turcarum

ad majestatem vestram et ad dominos regnicolas datae hoc ipsum videntur comminari; quarum litterarum exemplum, quia dudum jam per conductum hominem via Segniensi ad majestatem vestram misimus, non existimamus pluribus verbis in his immorari, illud solum addentes, ut in omnem eventum dignetur tempestive majestas vestra procellae tantae occurrere, quae quum erit sub hieme, si futura sit, speramus minus validam. Verum nos, quoniam in eo potissimum elaboramus, ut a patria bellum averteremus, qualicunque pace obtenta, nunc cum plane prope videamus nec pacem nos obtinuisse, nec bellum submovisse, majestas vestra, dignabitur credere, nos eo dolore cruciari, quo majorem nunquam experti sumus. Sed si sic Dei vult providentia aut nostra peccata, et adhuc puniri debeat infelix Hungaria fortuna rebellium et intemperiis, nescimus quid aut dicere aut agere debeamus, parati nihilominus ad omnia, etiam imposterum, quaecunque nobis majestas vestra imperaverit, modo frequentius ab eadem informemur. Nam a mense Januario nullas prorsus litteras ejus accepimus, nostras autem per Venetias et Turciam et per Transsylvaniam plures omnino quam sedenas dedimus, quo fit, ut hac etiam de causa non sollicitamur tantum sed fere conficimur, nihil certi de majestate vestra nec de regni statu intelligentes.

Quod ad alia attinet: Ibram passa, de quo plura proxime scripsimus, 23. instantis appulit Constantinopolim, cum plena potestate gubernandi hanc urbem, et agendi omnia vice imperatoris Turcarum, quaecunque hic interim, dum redierit ipse, acciderint, principiumque ejus gestorum hoc est. Prusiae Muztaphae filium de mandato domini sui suffocavit, tota reliqua

ejus familia incolumi reservata. Hoc vero occupato urbis regimine omnes primores et qui publica munia administrant, terrefecit, quod aggressus sit rerum omnium novam cognitionem, et dicatur mandata habere de multorum tum mutatione tum caede; nec de aliis palam et nominatim quicquam adhuc vulgatur, sed tantum de uxore imperatoris Turcarum, de Hruztano passa, et de ejus fratre Zynan, cui, ut fratris aequet fortunam, tam urbis hujus quam maris abrogatum est imperium. Caeterum etsi hic sermo de his tribus maximus sit etiam in publico, nondum tamen quicquam certi est. Quicquid tamen debebit fieri, fiet ad summum hoc quatriduo, quia jam a diebus tribus quotidianis consiliis modus tantae rei agitatur; nobis autem erat animus, finem hujus tragoediae expectandi et tunc demum ad majestatem vestram scribendi, verum quia res litterarum harum initio exarata exigebat summam celeritatem, festinavimus studio quanto maximo potuimus, quo majestas vestra mature edocta non offenderetur imparata. Nos praeterea ad passam nondum locuti sumus et non fuimus ultimi in petenda audientia. Sed hortatus est ut non aegre expectaremus paucos dies, nec plures quam quibus prima domini sui mandati obeat. Ad quem cum ibimus, munere illum excipiemus, hominem nobis conciliandi gratia, et quicquid secum egerimus, proximis litteris ad majestatem vestram perscribemus.

Proinde 22. die hujus mensis venit huc reginae Isabellae nuncius, qui V. diebus hic insumptis in Asiam post imperatorem Turcarum profectus est. De ejus legatione duo tantum ex bono loco audivimus, simodo vere sunt relata. Regina Isabella sollicitat gentium ejus auxilia et queritur, quod filium illius apud fratrem suum regem Poloniae quidam majestatis

vestrae instinctu venenare voluerint; quae si publice nobis objicientur, speramus reginae Isabellae a nobis non defuturum responsum.

De triremibus habemus affirmatum, proximo mense in mare nigrum exituras 80, nam antea 50 erant decretae. Hic passa addidit 30. Reliquum est: humillime majestati vestrae supplicamus, dignetur mature de impensis nobis providere, etiam pro reditu nostro, quia dudum egemus, nec est ubi sumamus, et si summitti nequeunt, majestas vestra dignetur per litteras committere mercatoribus Dellavecchia. Homo enim illorum qui est hic, libenter suppeditaret nobis, sed mandatum et ille dandi et nos accipiendi expectamus. Majestatem vestram Deus servet. 29 Maji, Constantinopoli, 1554.

Postscripta. Amicus ille noster secretus, qui in eadem navi erat cum Hruztano passa suo domino, nunciavit nobis, Ibram passam heri multa jam nocte cum V. tantum comitibus fuisse occulte apud imperatoris Turcarum uxorem, secumque diutius sermonem habuisse. Caeterum quid locuti fuerint, nondum se aliud scire, quam quod omnes ii tres in litteris nominati exempti sint vitae periculo, quodque et Zynam passa in pristinum restituetur, et Hruztanus passa fiet longe major quam antea. De inconstantia novarum rerum hujus loci alias etiam scripsimus ad majestatem vestram, ideoque si aliquando contraria scribimus, dignabitur nobis ignoscere; cupimus enim omnia majestatem vestram scire, quaecunque quaelibet non dies solum sed etiam hora afferant. Sunt tamen alia opinione quidam, et fucum ajunt Ibram passam offundere, ut facilius paulo post rem perficiat; quia non parva in publicum prodierat jam suspicio,

hos morti destinatos, promoto Turcae filio, qui est Adrianopoli, in paternam sedem Constantinopolensem, rem in tumultum deducere statuisse, ut se periculo eriperent; quod Ibram passa veritus, nudius etiam tertius omnes duces agziamoglanorum accersitos monuerat acri oratione, ut si capitibus suis bene vellent, a tumultu excitando caverent. Sed quid sequetur, postea cognoscetur. Illud si majestati vestrae videbitur bonum esse, ut per litteras cum imperatore Turcarum expostularet, quod nec mittere ad majestatem vestram litteras et nuncios permittunt, nec nobiscum quicquam hic agitur in expeditionibus nunciorum adversariorum majestatis vestrae, fiuntque omnia occulte, dum sic inclusi teneamur.

Postscripta. Hoc mane fuimus apud Ibram passam, cum quo collocuti de his, quae in re esse videbantur, aliud nihil respondit, quam fines istos quietos esse, et res omnes bonum exitum sortituras, nec habere se quicquam interim, quod nobiscum deberet agere, donec expectatus homo a majestate vestra redeat, caeterum pacato animo in sui principis salutem degeremus. Dum autem haec pauca scriberemus, duobus ex locis accepimus, res istic majestatem vestram pro suo voto cum suis adversariis confecisse. Quare respiravimus, et ut id verum fiat, Deum etiam atque etiam oramus. Datae die XXX ejusdem.

XCVII.

Verancsicsnak és Zaynak a király.

1554. jun. 21. Reverendo devoto, ac magnifico, fidelibus nobis dilectis Antonio Verantzio episcopo Quinqueecclesiensi ac praeposito Pornensi, Francisco Zay generali

nazadistarum nostrorum capitaneo, consiliariis et oratoribus nostris. ad principem Turcarum destinatis.

Verancsics kezével: Redditae 7. Augusti 1554.

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. rex.

Reverende devote, ac magnifice, fideles nobis dilecti. *) [Redditae sunt nobis litterae vestrae die] X. [proxime praeteriti mensis Maji datae, gratoque et clementi animo inde accepimus singularem illam vestram diligentiam et fidem, quam non solum, in tractandis, exequendisque, sed etiam in perscribendis ad nos omnibus, quae isthic in diem occurrunt, adhibetis. Quibus sane litteris ne nihil responderemus, visum est, vos per praesentes certiores reddere de omni rerum nostrarum statu, nempe: quod vani sunt rumores illi, qui isthic feruntur, nos arma in fines imperatoris Turcarum moliri, quia in eadem sententia adhuc perseveramus, qua eramus antea, cum vos hinc expediremus, de ineunda cum imperatore Turcarum firma et bona pace atque amicitia, modo honestae illae conditiones, quas Joannes Maria Malvezius a nobis accepit, isthic per vos proponendas, acceptatae fuerint. Significavimus autem vobis per litteras nostras de] XXV. [Maji duplici via, Veneta scilicet ac per Budam ad vos datas, postquam jam praefatus Malvezius cum resolutione nostra et tributo Transsylvaniae hinc discessisset, supervenisse Joannem Vegh cum litteris dicti imperatoris ad vajvodas et

*) A [] közötti helyek jelen levélben is chiffre-l irvák. A rekeszték [] ezentúl is, hol előfordul, chiffre-t, titkos irást jelent.

regnicolas nostros Transsylvaniae scriptis, unde cum manifeste intellexissemus consilia ac conatus Turcarum de eripienda nobis Transsylvania, durantibus etiam induciis et non expectata resolutione nostra, jamque Moldavus et Transalpinus infestis signis irrupturi esse visi fuissent: nos aliter facere non potuisse, quam ut ipsum Malvezium aliquanto Comaronii, ubi etiam nunc est, subsistere juberemus, donec motus istos subsidere videremus, et a Turcarum imperatore certi redderemur, ante finem horum tractatuum, in quibus cum magnitudine ejus de ineunda pace stamus, et vestrum ad nos reditum, nihil prorsus impedimenti vel molestiae nobis in possessione Transsylvaniae exhibitum iri, sed inducias in omnibus confiniis sancte observandas fore; prout tunc etiam pro hujusmodi assecuratione ad magnitudinem ejus diligenter scripsimus, facta etiam vobis litterarum illarum nostrarum copia; quae quamprimum venerit, et motus praedicti revera cessaverint, spopondimus Malvezium andare, ut ceptum iter sine omni mora prosequatur; quas sane litteras vel per utramque vel per alteram viam redditas fuisse nulli dubitamus.

Quoniam autem novissime a vobis intelleximus Hebray passam a Turcarum imperatore in locumtenentem Constantinopolitanum delectum esse cum summa et plena authoritate agendi et perficiendi omnia, quae intercesserint, tanquam ipsemet imperator Turcarum; nominatimque etiam ei demandatam esse rem totam legationis vestrae, ubi quid certi a nobis venerit: existimavimus non abs re fore, cum ipso de componendis motibus contra quietem Transsylvaniae et fidelium subditorum nostrorum, ut antea diximus, susceptis, et petita per nos a Turcarum

ingerere voluerit. Nam si ipse motus ejusmodi revera composuerit, atque nos nomine domini sui, vigore potestatis sibi a magnitudine ejus tradita assecuraverit, Transsylvaniam cum omni reliqua ditione nostra imposterum etiam usque ad finem tractatuum istorum et usque ad reditum vestrum ab omni invasione et hostilitate liberam fore: perinde nobis erit, ac si ipsemet imperator Turcarum id fecisset, quin et statim saepefatum Malvezium ad vos pergere jubebimus; casu vero, quo ipse per valetudinem labores itineris ferre non possit, alium ipsius loco citra omnem moram expediemus, eamque ob rem expeditae sunt in personas vestras, adjunctae credentiales ad passam istum Hebray, ut illis, si tamen consultum vobis videbitur, in tractandis his et aliis quibuslibet negotiis apud ipsum uti queatis. Quidquid autem effeceritis, de eo curate, ut primo quoque tempore notitiam percipiamus, quemadmodum etiam hactenus facere consuevistis, eoque nomine non vulgarem apud nos gratiam inivistis.

Praeterea molestum accidit nobis, quod scribitis, vos a mense Januario nullas a nobis nec litteras nec nova certa accepisse. Nam in mense Januario ad diem scilicet XIIII. expedivimus Lucam de Rado Ragusinum, qui certe dudum ad vos debuisset pervenisse; quas vero post ejus discessum ad vos dedimus litteras, facile credendum est, nondum eo perlatas esse: nam in Februario et Martio nihil plane scripsimus, in Aprili autem expedivimus alterum illum Ragusinum Joannem de Rado, idque ad diem XXIIII. ejusdem mensis, licet litterae Posonii XV. datae fuerint, et duplicata earum litterarum misimus ad vos eodem tempore per viam Venetam; praeterea in

proxime praeterito et instanti mensibus praeter illas, de quibus supra diximus, et hasce praesentes, nullas ad vos dedimus, quod et ipsum vobis significare voluimus, ut sciatis, an aliquae litterae in itinere perierint. Reliquum est, ut vos cohortemur, quod deinceps etiam eadem fide, cura ac sollicitudine rebus et negotiis nostris invigiletis, et nos de omnibus subinde certiores reddere pergatis.] In eo exequemeni benegratam ac expressam voluntatem nostram, gratia nostra regia erga vos recognoscendam. Datum in civitate nostra Vienna, die XXI. mensis Junii anno Domini MDLIIII., regnorum nostrorum Romani XXIIII, aliorum vero XXVIII. Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium. J. Jonas D. vicecancellarius m. p. M. Singkhmoser m. p.

XCVIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Conatus tandem Turcae et regis Persarum eo 1554. j[illegible] 24.
processerunt: congredientur et acie inter se decernent, quod creberrimis nunciis, qui illinc adveniunt, certo affirmatur. Duo autem postremi, quorum alter XI. mensis instantis, alter XVI. venit, edictum attulere ab imperatore Turcarum, ut per delubra omnia publice habeant orationes; affirmante priore, quod in discessu ejus e castris bidui tantum spatio ab invicem utriusque exercitus distabat, monte quodam intercedente, et hoc totum spatium occupante; posteriore vero: quod omnino hujus ipsius mensis die vel 17. vel 18. essent manus conserturi. Persa enim et sua sponte in hostem pronus, et subditorum etiam, ut

ajunt, incitatus ac prope impulsus stimulis, ut cum Turca cominus prope et justa acie dimicet, quo semel aut excutiat illum a suis cervicibus aut prorsus eidem succumbat, — nequire se perpetuas ejus vexationes perferre, eaque potissimum causa, quod eos Turca venui ac servituti devovisset, rem Persis insolitam et ex diametro legi mahumetanae contrariam, nulloque modo tolerandam, quae prohibet Mahumetanos, mutuo sese aut in servitutem redigere aut venundare — ita fertur animum induxisse, ut non solum in visceribus regni sui hostem opperiatur, sed etiam longius versus ultimos fines obviam illi procedat. Turcarum igitur testimonium est, habere illum supra 200 millia armatorum, equitum 150, peditum 50, quorum decem archibusos habent; nec bombardis caret. Addunt et mulierum extra hunc numerum aliquot millia accessisse, non alium animum professae, nec aliis armis indutae, quam earum viri, quod ad confirmandum gentis illius in hunc hostem non apparatum solum sed etiam promptitudinem vulgo narratur. Inita ante deliberatione de praelii facultate Turcae facienda, rebusque omnibus ad rem gerendam expeditis, ubi primum movit hosti obviam, dicunt eum uno die tantum cum exercitu processisse, quantum ille tribus, quod similiter Turcae referunt, adeo illi animus est ad confligendum. Caeterum transgressus urbem Taurum, Turcis Tebriz, et campos Cialderanovaszy nuncupatos, in quibus alterutriusque pater pugnaverat, propinquissime ad suos regni fines promovit, et adveniens in quandam planitiem latissimam, Bingiol Turcis, Latinis Mille Lacus appellatam, mari Caspio in dextra habito, ibidem locum ad expectandum hostem delegit, loco eodem et aggere et fossa communito, et aquae etiam

cujusdam propinquae facultate erepta et suis accomodata. Dicunt praeterea filium ejus cum XX circiter millibus equitum secessisse, nec scire quonam, aut ubi etiam num sit, moliturum tamen hosti insidias, quod Turcas non parum habet sollicitos. Haec de rege Persarum nunciant. Multi tamen opinantur non pugnaturum acie, verum mox ubi Turcae in conspectum descenderit, pedem relaturum, et daturum operam, ut solito veterum suorum instituto, mora, dilatione et similibus subterfugiis hostem circumducat et fatiget tam viae quam annonae difficultatibus, donec eum aut redire cogat spe frustratum, aut ad vincendum sibi accommodet. Nunc pugnaturum certa fama circumfertur. De Turca multi etiam sui dubitant, et videntur omnium divinationes regi Persarum victoriam polliceri, quod tamen expectandum est ab eventu. Habet, ut communis sermo est, 400 millia hominum, nec plura electorum militum quam 150 millia, turba caeteri. Ajunt eum nunquam credidisse, quod rex Persarum tantum apparatum esset habiturus, secumque congredi vellet. Ex quo non parva dicitur totus ejus exercitus teneri sollicitudine, cumprimum propter haec, tum deinde quod et annona homines et jumenta pabulo gravissime laborent, plurimique et janizeri et alii milites cum iis, qui Muztaphae erant, ad Persas transfugiant, quandoquidem et in adventu suo ad ea loca, ex quibus in hostem est profecturus, cum lustrasset exercitum, XVIII. millia ac noningentos milites reperit defuisse, cum nec occisos nec morbo consumptos esse constiterit. Tamen non hostes nec facultatem pugnandi detrectabit. Caeterum initurus rationem praelii faciendi, quaesivit ab iis, qui cum patre suo erant, quando cum rege Per-

sarum pugnavit: quanam ratione aciem ille instruxerat et rem omnem gesserat? eaque illi enarrata, jussit ut nunc quoque eadem pugnaretur. Sic primi nuncii, qui illinc venient, opinione omnium, erunt de commisso conflictu. Nos autem aliquot jam ex locis habemus, majestatem vestram concordasse cum suis adversariis eo modo, quo ipsamet voluerit. Quae res si vera sit, etiam quod vulgo nobis referatur, gaudemus tamen et pro tenui nostro judicio existimamus id plurimum expedire, temporum praesentium cursu considerato, tam rebus majestatis vestrae, quam Christianorum omnium. Subaudimus tamen Turcis non placere, immo nec ipsi imperatori Turcarum, nec passis ejus, si nos non fallunt relatores. Quia cum praecipua causa hujus expeditionis ejus filius tollendus extiterit, praetextu belli Persici fuit tegenda. Cognito tamen serio Persae apparatu et difficultate ejusdem belli gerendi visa, dicunt eum libenter voluisse gradum revocare victo filio, et dedita opera quaesisse motus Hungarorum, primum petitione Transsylvaniae, deinde legatione Oruch ciaus, ut honeste id sibi licuisset. Verum si falsus est suo desiderio, et Deo agendae sunt gratiae et concordia laudanda, cum omnino dicant, ad hiemem eum rediturum, quod jam castrenses difficultates et incommoda nequeat tolerare praesertim soliti morbi gravedine. Interim autem conquiescere et majestati vestrae et afflicto regno non oberit, cum facile appareat, brevi et ex morte ejus et ex successione filiorum non parvam imperii hujus perturbationem eventuram, quorum alterum Bajazitum impotentem ad generandum ajunt, alterum Selimum vino et desidiae deditissimum. Majestatis vestrae consilium est, nos fidelium servitorum officio fungimur.

De rebus aliis. Durgutreys VII. mensis hujus solvit hinc cum 50 triremibus, nobis e fenestris nostris numeratis, ex quibus V. mittet Algerum, una paulo ultra Hellespontum fracta est, reliquas apud se habebit. Janizaros secum nullos duxit, quia eis non potest imperare, cum anno superiore 500 dicatur habuisse. Reliquum quoque militem perexiguum duxit, nec remigem alium quam paganum et ad remos novum, pauci sunt captivi. Sed et ipse, ut pagani parum periti, mandata ad aliquid destinato gerendum (quantum consecuti sumus ab amicis) nulla habet magni momenti, nisi ut praedetur imbecilla, si aliqua sese ostenderit occasio, et Gallis, si commode et citra periculum licebit, adsit auxilio, ita tamen ut in casum et dubium ne ipsis quoque opituletur. Sic arbitrantur hanc anni hujus expeditionem existimationis Turcae gratia futuram, ut et terra et mari videatur belligerare tanquam omnipotens. Haec ab amicis secretioribus.

Res Hruztani passae et Zynan fratris ejus miro modo variant omnino. Tamen de utroque male speratur, et Ibram passam ajunt occasiones quasdam opperiri, quae minus afferant tumultuum praesertim hoc tempore, quo de conflictu imperatoris totum imperium sollicitudo habet. Proxime cum Ibram passa primis diebus ter divanum habuisset, et utrumque fratrem, ut interessent, advocasset, dicens, habere se, quod cum eis mandato imperatoris Turcarum ageret, ambo recusarunt, Hruztano passa palam negante, quod secum nihil haberet negotii, Zynan aegritudinis praetensa causa, qua etiamnum dicitur decumbere. Quoniam autem idem Ibram passa litteras habet ad eos imperatoris Turcarum, ut fertur, minime laetas

et plane funestas, quas ipsi valde refugiunt, non ignari suorum principum moris: quamprimum cognovit eos sibi non paruisse, nunciavit principi eorum contumaciam, et consilium postulavit, quid agere debeat. Publica vox ista loquitur, et interim omnia silent, mussante omni homine de hoc imminente conflictu, et quoniam superiore tempore, quo Zynan hic cum classe exiverat, quando Tripolis est intercepta, primum triremes quasdam stipendiis caesarae majestatis interceperat, quae ferebantur Neapolim, suppresseritque apud se una cum omni praeda Tripolitana, nec vel obulum in aerarium imperatoris Turcarum intulerit: nunc igitur furti accusatur, et ratio ab eo exigitur, cujus summa 200 millia excedet. Simile et de Hruztano passa futurum opinantur. Sed nondum palam est, ut hoc de fratre. Quicquid autem majestatis vestrae nomine hic agendum erit nobis cum commissariis imperatoris Turcarum, dignabitur scire in castris solum esse Achmat passam, hic autem hunc Ibram passam. Si tamen noluerit praeterire etiam Hruztanum passam ac fratrem ejus respectu futurorum, cum plane nesciamus rerum eventum, nihil oberit; alioqui majestatis vestrae est judicium.

Caeterum VIII. die mensis Maji misimus ad majestatem vestram litteras cum legatione Oruch ciaus via Segniensi per proprium hominem, Radumsor Gallum nomine, quae si sunt redditae et praesertim tempestive, in quo summa diligentia usi sumus, scire cupimus. Cum interim nos quoque eas litteras, quas majestas vestra dedit ad nos per alios homines nostros, qui fuerunt duo, incolumes recepimus. Haec jam scripseramus opperientes cum paratis litteris opportunitatem tabellarii, quum XI. mensis allatae

sunt nobis litterae a majestate vestra XV. Aprilis datae, quae quidem magnopere nos delectarunt pluribus nominibus, potissimum vero cognita incolumitate majestatis vestrae; gratum etiam fuit deliberationem expeditionis Joannis Mariae percepisse, cum quo sine dubio omne hic majestatis vestrae negotium et facilius et commodius geremus. Tantas enim apud hos benevolentias sibi conciliavit, etiamsi nonnihil eum asstrinxerant, ut omnes illum desiderent, nos certe etiam opportunissimum fore judicamus, quandoquidem bene jam rerum et praxium Turcicarum peritum. Sed jam ea, quae majestas vestra nobis mandavit.

Famuli Matthiae Aly nomen est Joannes Tewnycz, fratrem habet Petrum Tewnycz, qui et Haramia Peter vocatur. Sed hic Joannes nondum huc rediit, quod diligentissime vestigavimus. Cum ne illi quidem post ea quicquam ea de praxi audiverunt a quibus nos accepimus, putamus id accidisse Hruztani passae et fratris casu, qui nunc rebus aliis omissis, sui cura occupantur. Non tamen hic sistendum est, quia apud hos praxes ejusmodi non unius tantum ingenio texuntur, praesertim quod etiam ex litterarum Agriensium exemplo cognoverimus, nuper Achmat passam primum fuisse instigatorem Petri Petrowyth ad molienda quae orsus fuerat. Igitur majestas vestra non existimet, se omni jam ex parte tutam esse quia hic non est reversus famulus, quandoquidem sex illa vexilla, quae zanzak Turcae vocant, vel potius retia per Oruch ciaus missa, non omnia soli reginae Isabellae filio, (ut nos sentimus.) missa sunt, et ob id circumspiciendum tum istic tum hic, et nos, quantum in nobis fuerit, non deerimus nostro officio.

Franciscus Pica presbyter haeret adhuc in car-

cere. Quidam eum proximis diebus erat redemturus sua pecunia, et auditus est in nos non pauca garrisse; obticuit tamen garrula pica audito baculi nomine, et quod ille ejus redemptor eum fefellerit. Sic itaque etiam de ipso jam hoc tempore nihil fertur. Advigilabimus tamen. Galli nuncius, nomine Codognatus, revertitur ab imperatore Turcarum. De reginae Isabellae homine, de quo proxime, nihildum quicquam cognovimus; et quicquid de utriusque expeditione cognoscemus, significandum curabimus. Litteras vero a Januario nullas fuisse a majestate vestra missas, ex his intelleximus, agimusque humillime gratias majestati vestrae, quod est dignata nobis dubium de interceptionibus eximere, viam autem Venetorum nos quoque laudamus, modo mercatorie jubeant litteras suas occludi; et si fieri posset, ut annullari sigillarentur signo, gratum esset amicis nostris, quod et fasciculos majores pavescunt, et sigilla grandiora propter difficultatem perferendi.

Post haec allatum est certa fama, quemadmodum loquitur tota Constantinopolis, filium regis Persarum Tartaris obviam fuisse profectum, eosque tanta clade affecisse, ut majore parte caesa, desistere ab ulteriore progressu coegerit; ad patrem deinde rediisse, ut conflictui interesse posset cum Turca ajunt, summo studio contendisse, ut si fieri potuisset, ante ejus reditum cum patre confluxisset; qui autem regi Persarum tulere suppetias praeter Lusitanum, duo principes referuntur religionis Rascianae (de quo supra) qui misit XVIII millia armatorum; mahumetanus quidam Huma nomine 80 ferme millia, cui etiam affinitas intercedit cum rege Persarum. Janizari vero Turcae qui ad hostem transierunt, praetermissis

alterius generis militibus, III. feruntur esse millia, unde et sollicitari dicunt plurimum Turcas, et ad conflictum omni utrinque vi contendi, quem omnino circa hoc festum divi Joannis Baptistae futurum nunciant. Quod ideo ex castris scribitur, ut templa omnia precibus pro victoria fatigentur, idque his ipsis diebus.

Aliud quod his litteris addamus, non occurrit, nisi ut supplicemus, quo dignetur majestas vestra crebro gratiosissimas litteras suas ad nos dare, ut sciamus indies, quid istic rerum agatur; et quia hic omnis mora Joannis Mariae adhuc in sinistrum accipitur, bonum esset etiam huic Ibram passae morae hujus causas scribere, quo et Turcae et nos quietiore essemus animo. Majestatem vestram valere cupimus. XXIIII. Junii 1554.

XCIX.

Verancsicsnak és Zaynak a király.

1554. julius 2. Reverendo devoto, ac magnifico, fidelibus nostris dilectis, Anthonio Verantio episcopo Quinqueecclesiensi, Praeposito Pornensi, ac Francisco Zay de Chemor, generali capitaneo nostro nazadistarum, nostris consiliariis et oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum destinatis. Constantinopoli. Cito, Cito.

Verancsics kezével: 25. Augusti receptae Constantinopoli 1554.

Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. rex.

Reverende devote, ac magnifice, fideles nobis dilecti. [Ad diem XXVIII. proxime praeteriti mensis Junii appulit ad nos Ragusinus quidam Radosor Gallo

cum litteris vestris de III. et VIII. superioris mensis Maji datis. Inde clementi animo intelleximus ea omnia, de quibus nos humiliter informandos, admonendosque censuistis, non obscure perspicientes, quanta diligentia et prudentia ad consequendum bonum et optatum legationis vestrae finem in omnes occasiones intenti sitis. Quare vos eo nomine benigne laudamus et omni clementia nostra regia prosequi propensi sumus; et licet de his rebus antea quoque nobis nonnullis litteris satis copiose scripseritis, nosque desuper vobis abunde etiam responderimus, visum tamen est ad praesens pauca quaedam scribere, cum quibus hic nuncius ad vos revertatur, ne plane vacuus litteris nostris hinc discedat. Primum autem est, quod in litteris vestris scripsistis de Mahmutho interprete imperatoris Turcarum, quae vobiscum communicaverit, et quam magnamimam promptitudinem et diligentiam ad praestandam nobis operam suam in negotio Transsylvaniae jactitet. Nos eam grato equidem animo acceptaremus, nisi malam hominis voluntatem et insignem nequitiam probe experti, penitus perspectam haberemus. Anno 50, cum a Turcarum imperatore orator ad nos ablegatus fuisset, exceptus est a nobis benigne et honorifice, donatus muneribus haud exiguis, utpote quae ad aliquot millia florenorum ascendebant; ibi mira nobis de negotio Transsylvaniae est pollicitus, adeo, quod nobis etiam aliquam rei recte conficiendae et a Turcarum imperatore obtinendae spem injecerit. Sed homo malignus, simul atque a nobis recessit, nihil eorum, quae hic a consiliariis nostris intellexerat, conticere poterat, sed secretario nostro, cum quo Constantinopolim usque profecturum hic promiserat, in itinere relicto, Sende-

roviae Danubium trajecit, ac in Transsylvaniam recte contendit, ibique reginae Isabellae et Fratri quondam Georgio rem omnem, ut a nobis acceperat, aperuit, quin etiam postea in porta imperatoris Turcarum res nostras nonmodo nihil promovit, sed omni studio ac conatu impedivit. Quapropter nolite illi posthac quidquam vel credere vel confidere, sed eadem illum arte eludere, qua ille fortassis vos spe lucri deludere intendit.

Porro de litteris, propter quas Achmat passa et ipse quoque imperator Turcarum contra Te, Quinqueecclesiensem, commotus fuisse dicitur, hactenus nec ex Polonia nec aliunde quidquam audivimus. Sed si quid postea de ea re ad nos perferetur, humillimae vestrae informationis ac excusationis clementer memores erimus. Nam scimus te, Quinqueecclesiensem, honeste et cum laude tua e servitiis reginae Isabellae suique filii discessisse, teque propterea benignitate nostra lubenter complectimur. Ad haec ex iis, quae hucusque per vos isthic acta sunt, facile judicamus, quidquid id est, quod scripsistis, etiamsi imperatori Turcarum et suis passis non omnino placuerit, tamen vos in rem nostram bona intentione secundum fidem vestram scripsisse, ideoque illa vestra scripta nonnisi benigne probamus.

Caeterum rerum nostrarum hic est status: nos adhuc in ea deliberatione sumus, quam jam antea vobis per viam Turcicam et Venetam scripsimus, nempe quod nolimus mittere Malvezium vel alium oratorem cum nostra resolutione et tributo Transsylvaniae, priusquam optatum responsum a Turcarum imperatore accipiamus, et a magnitudine ejus certi et securi reddamur: ante finem horum tractatuum

vestrumque ad nos reditum tam Transsylvaniam quam reliquam omnem ditionem nostram ab omni invasione hostili liberam ac tutam fore. Quodsi tamen Ibran passa pro summa sua auctoritate, qua modo Constantinopoli fungi dicitur loco principis sui, id quod a suo principe postulamus, revera fecerit, nos bene contenti erimus, et Malvezium, aliumve aliquem confestim expediemus, ideoque vobis nuper commisimus per litteras nostras die XXI. proxime praeteriti mensiis Junii per Venetias datas, ut cum eo de his tractaretis, simodo talibus tractatibus se ingerere voluerit, quem sane quod aliquo munere honorare, nobisque conciliare constitueritis, valde nobis placet, quin etiam nos eum in expeditione oratoris nostri munere aliquo prosequi non negligemus.

Quod nos humiliter, fideliterque admonetis, quod jubeamus, quando Transsylvani deinceps nuncium vel nuncios ad imperatorem Turcarum missuri sunt, ut virum solidum et rerum scientem mittant, memoria tenebimus, et cum opus fuerit, ita fieri jubebimus.

Praeterea et illud non obliviscemur, ut vobis posthac per Turciam scribamus, si quae vos isthic publice agere voluerimus, ac idem etiam deinceps faciendum existimamus; quando non occulte ad nos scribere volueritis, maxime cum frequenter inde chiausii Budam transmitti soleant. Quodsi clam ad nos litteras mittendas putaveritis, commodiorem viam, quam Venetam, non habetis. Isthac enim litterae vestrae et citissime et tuto ad nos perferentur, nec opus erit tabellariis conductis, quia nimis itineri immorari videntur, prout litterae vestrae de X. Maji datae XI. dies ante hujus Tabellarii adventum nobis redditae fuerunt.

Negotia secretiora, de quibus nobis subinde pro fide et diligentia vestra scribitis, quod nos sciamus, nemini hactenus patefacta sunt, quam paucis illis, quorum consilio et opera ad deliberationem et expeditionem eorundem utimur, nec credimus unquam hinc aliquid eo relatum esse, unde periculum vobis intentari posset. Nam id in Transsylvania antea accidit, imposterum fortassis non fiet, quia illico tum vajvodam nostrum Stephanum Dobo caute, vobis non nominatis, admonuimus, ut de homine inquirat, qui res omnes, quae a nobis vel ab aliis ad ipsum perscri buntur, Petro Petrowyth, suisque complicibus prodidit.

Quod ad expensas attinet, non dubitamus, quin illa duo millia ducatorum ab hominibus Petri Dellavecchia acceperitis, quae Malvezius vobis per cambium isthuc jussu nostro jam dudum ordinavit.

Postremo clementer nobis probatur, quod Mirandam redemeritis, curabimusque vobis pretium hic restitui, cum redieritis, ipsum vero vel vobiscum retinete, simodo tuto fieri poterit, vel nata occasinone remittite, si modo tuto fieri poterit, vel alias consultum forte videbitur.] Et haec sunt, quae ad praesens vobis rescribenda duximus. Caeterum vos exequemini in praemissis benegratam et expressam voluntatem nostram, benigne erga vos recognoscendam. Datum in civitate nostra Vienna, die secunda mensis Julii anno Domini MDLIIII°, regnorum nostrorum Romani XXIIII°, aliorum vero XXVIII°. Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium J. Jonas D. vicecancellarius m. p. M. Singkhmoers m. p.

C.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Jam ab aliquot diebus nova de congressu Tur- 1554. Jul. 5.
cae ac regis Persarum nonnihil conticuerunt, et tamen dudum ambo exercitus eorum advenere in mutuum conspectum, parvisque praeliis mutuo dimicarunt, Persis semper vincentibus; nec aliae causae adhuc nostro scitu constiterunt de dilatione congressus, quam quod utrique opportunitatibus sibi ad rem bene gerendam faciendis toto conatu insistunt, idque ex parte Turcarum majore sollicitudine, quod regem Persarum invenerunt bene et validum et constantem. Quicquid igitur consequetur, per proximum tabellarium scribemus.

Die autem XXV. Junii venit huc passae Budensis nuncius in Asiam properans, nunciaturus imperatori Turcarum, res Hungariae et Transsylvaniae esse pacatas, sed Joannem Mariam Vienna jam solvisse et venisse Comaromium. Hoc ipso die appulit et novus bailus Venetus, quem speramus rebus majestatis vestrae commodiorem fore quam fuit alius. Quum ad eum misimus gratulatum de adventu incolumi, egit nobis humanissimas gratias, de seque omnia obtulit commodo rerum majestatis vestrae, quae in alio desiderabamus, adjiciens, sic sibi a senatu esse mandatum, cum alioqui sua etiam sponte iis favere principibus soleret, qui nomen christianum tutarentur. Summe hoc etiam ab initio erat necessarium. Quia hoc statu temporum similis ejus reipublicae amicitia non potest esse majestati vestrae nisi maxime am-

plectenda et retinenda, quandoquidem hic alios nullos videmus esse, quibus tuto litteras nostras committere possimus.

Rediit a Turca et regis Franciae nuncius, Codognatus, XXI. Junii. de cujus actionibus nihil fertur notabile, nisi quod obtinuit liberationem captivorum quorundam, quorum permutatione Galli quidam apud reverendissimum cardinalem Tridentinum existentes debebunt redimi. Ipse vero interim hic commorabitur in officio oratoriae.

De Hruztano passa incertum adhuc, quid futurum, et procul dubio res ejus monstrum quoddam est, adeo illum vulgi rumores modo ad ima deprimunt modo ad summa erigunt. Et certe (quantum licet conjicere) parum movetur passa Ibramo, quotidie fere cum splendore prodit, nec sicut cassi et exautorati solent, sed ut qui dignitatem mordicus servant; denuoque videtur apud multos bona spes de eo esse concepta. Zynan frater ejus gravissime infirmatur, proximeque triduo condidit testamentum, et ultimus exitus ejus observatus est. Dicunt eum laborare ethica *) et hydroposi; caeterum ab asthma morbum cepisse originem. Totus enormiter tumet, et sunt qui venenum eum prudenter sumpsisse dicunt, ut indignam mortem effugeret. Verum id nondum est affirmatum. Et nos, favente Dei gratia et fortuna majestatis vestrae, omnes adhuc recte valemus, ac jam laetius etiam agimus, audito Joannis Mariae reditu, et rebus istic majestatis vestrae ex sententia compositis, qui quidem Joannes Maria, quod ante exitum praelii hujus imminentis dimissus sit, valde opportune factum est, quia jam audiveramus Turcas murmurare,

*) Értsd: hectica.

non esse aliam causam morae domini Joannis Mariae, quam quod rex ex eventu praelii memorati pacis consensum metiretur; et nisi ante animus ejus constiterit, rem se plane ita habituram. Sed laudetur Deus, quod nihil hostibus relictum est ad calumniandum. Nec aliud est, quod in praesentia scribere possimus, quam ut Deus majestatem vestram una cum serenissimis liberis, clementissimis dominis nostris, filiis suis carissimis conservet. III. Julii, Constantinopoli, 1554.

Postscripta. Franciscum Picam presbyterum, de quo aliis, Zynan passa condito testamento, una cum aliis quibusdam captivis, animae suae refrigerio manumisit. Nos igitur hominem hic observandum curabimus, quia mox a liberatione auditus est jactare se, futurum scilicet brevi, ut ipse etiam aliquid sit in Hungaria, et quid similia. Et quicquid percipiemus, majestati vestrae non segniter significabimus.

Jam miseramus praesentes litteras Galatam ad amicos, cum nobis allatae sunt majestatis vestrae unius et ejusdem exempli cum superioribus ab illustrissimo domino Dominico Gaztelu missae, et XV. Aprilis Posonii datae; nec est, quod habeamus aliud ad eas rescribendum, quam quod jam rescripsimus, illud habentes magno solatio, quod idem dominus Gaztelu rediit Venetias.

De Turca et Persa nihil est postea subsecutum, nisi quod vulgetur, magnam quandam inter eos velitationem fuisse commissam, et Turcis superatis ac maximo numero caesis, tres etiam passas, duces belli praecipuos in manus hostium incidisse. Dictum etiam est, eo loci Turcam toto cum exercitu consedisse, ut jam pro circumvento eum habeant. Nec posse inde se extricare, Persa prohibente, et coactum iri ut aut

praelium minus aequis opportunitatibus ineat, aut ad necessitatem aliquam illi valde periculosam adigatur. Sed pluribus loqui de his non audemus, quia duae sunt res magni momenti, nec ab insigni loco acceptae, quamquam hic omnes vastissimum habet silentium, quod ipsi Turcae, qui mores ipsorum novere, in malum interpretantur. Cum veriora consequentur, diligentiae non deerimus. Adjecta die V. mensis praefati.

CI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. Jul. 21. Stephanus Nagy Comaroniensis stipendiarius venit ad nos XII. die mensis instantis cum ternis majestatis vestrae litteris, quarum primae erant imperatoris Turcarum, secundae Zynan passae, nostrae tertiae. Accepimus etiam his adjuncta exempla litterarum majestatis vestrae tum ad Magnum Turcam et Zynan passam, quam mandatorum Turcac ad Transsylvanos, eaque omnia intelleximus, quae praesens negotium attulit nobis.

Rebus igitur omnibus diligenter expensis, die XIII. Ibram passam, qui nunc hic locumtenens est, ut jam majestati vestrae scripsimus, XIIII. vero Hruztanum passam adiimus, nam Zynan adhuc cum morbo suo conflictatur, dicitur tamen vitasse periculum et convaliturum. Caeterum cum Ibram passa egimus diligenter pro celeri dimissione hominis majestatis vestrae ad imperatorem Turcarum, sedulo eidem declarando et inculcando, rem celeritatem omnium maximam postulare, et ex tarditate in periculum pendere,

ne in ordines coacti istic eorum milites et jam pro ducti causam aliquam inexpectati tumultus bellici tam magnitudini imperatoris Turcarum quam majejestati vestrae injiciant. A quo ut ab homiue sedato, parum maligno et contentioso minus, facile exauditi. Respondit: se eundem hominem sine mora et pro voluntate nostra dimissurum. Sic quanto lenius gessit se nobiscum Ibramus, nihilque apud eum laboravimus, tanto Hruztanum passam habuimus difficiliorem, quippe apud quem et laboravimus et sudavimus. Semper enim sibi est similis, semper iisdem fervet mentis et morum intemperiis, nec tanto casu ac jactura, quam fortuna sua fecit, vel minutissimo pilo factus est melior, et assiduo ea ingerit, quae ab initio toties: nimirum Transsylvaniam principem suum majestati vestrae nunquam permissurum; imperatoris Turcarum eam provinciam esse, non majestatis vestrae. Caeterum, (humillime verbis nostris venia postulata) dolo et fraude et mendaciis eandem cum suo imperatore agere, et similia, cum annuam Joannis Mariae detentionem et resolutionem dilatam de remittenda vel non remittenda Transsylvania incusaret, res siquidema nullo bono et fideli servo majestatis vestrae, quovis periculo imminente, honeste toleranda. Ad quae, nisi timeremus totam rem imprudenter perturbare, ea certe responsa illi aliquando faceremus, quae a nullis unquam audivit oratoribus, faceremusque procul dubio, quandocunque a majestate vestra juberemur. Est enim homo plenus furiarum ac nullius moderationis, ac sicut Itali dicunt: Non ha redretto (?) ne neroverso, e nondimeno è cargo di orgogli e di serpenti, adeo ut eum non honorare solum et secum tractare magnis ac rationabilibus de rebus

non convenit, sed etiam adire illum et humano ore alloqui, scelus et nefas est. Verum dum ad ejus insolentias respondemus, non audemus aculeatius agere, sed quanto modestius possumus, rem commissam nobis gerimus, et ei declaramus majestatem vestram non esse eum, qualem ipse perstringit; proinde illum non decere, dicimus, sic proscindere conviciis, qui ipsum et donis et officiis in amicitiam conciliare studet, omnia illi sua negotia commendando. Nec ad hoc respondit aliud, quam quod amicus est et erit majestati vestrae, si exemerit manus suas e Transsylvania, et nisi hactenus toties se pro majestate vestra voluntati sui imperatoris opposuisset, dudum mira contra eandem tentavisset.

Intervenere in hoc sermone multa alia, potissimum vero, quod minime vult in Budensibus induciis complecti Transsylvaniam. Nos autem a praesentium litterarum majestatis vestrae tenore (ut ab obice ejus malitiae praecipuo) non recedentes, iterum atque iterum et non sine contentione repetivimus, ex memoratis induciis Transsylvaniam non fuisse exclusam. Caeterum proferetur libellus super easdem inducias confectus, quem ego ipse Verancius Budae Aly passae consignavi, quando memoratas inducias inter imperatoris ejus magnitudinem et majestatem vestram conclusi, ex quo libello facile cognosceret, verum esse quod nos loqueremur, et procul dubio violatum iri eas inducias a subditis imperatoris Turcarum, nisi immissae nunc in Transsylvaniam copiae novis mandatis revocarentur, et mitteretur majestati vestrae assecuratio de observatione ipsarum induciarum, donec ingrederetur Joannes Maria, secumque una hoc incepto pacis tractatu confecto, rediremus nos ad

principem nostrum incolumes, Joannes vero Maria apud vos remaneret. Hic de libelli productione nulla mentione facta, respondit: majestatem vestram assecurationis et mandatorum petitione dilationem quaerere et pendere ab exitu belli Persici, ex quo facile doli ejusdem apparerent. Jam, inquiens, annum nos reditu Joannis Mariae detinuit. Nunc dum hoc figmentum de insurrectione militum nostrorum deferatur in Persiam, inde referatur in Austriam, et mox etiam Joannes Maria redeat Constantinopolim, quis non videt et aestatem et autumnum exiturum? ac sic nos rex eludit. Diximus tunc, regem eos non eludere, nec fraude petere, sed quia difficilis est deliberatio, ut quispiam princeps ultro seipsum suis bonis privet, et ea alienis tradat; et haec fuit sola causa, quod Joannes Maria serius est expeditus. Caeterum nisi sub his induciis et hoc pacis tractatu pendente non emisissetis in Transsylvaniam et in regem nostrum exercitum, Joannes Maria dudum advenisset, nosque vel eo tempore, quo Oruch ciaus cum duobus dragomanis et sex vexillis ac mandatis bellicis in Hungariam recedebat, diximus et dragomanis ipsis et nostro ciauso, qui ibidem apud passas aderat, praesentes eorum commissiones malo consilio fuisse datas et turbaturas in Hungaria omnia. Quod cum ciaus noster affirmasset, dixit passa: de hoc exercitu nostro nihil esse, et si etiam jam prodiisset, scriberemus, nihil interim tentaturum contra regem vestrum vel suos fines, donec ipsis juberetur; potuisse igitur nunc secure Joannem Mariam remisisse. Respondimus, eum exercitum non aliter cum suo apparatu prodiisse, quam ut arrepto manu altera regis nostri gutture, altera ferro armata eidem minitari possit, ut reddat quod ab eo exigitur,

aut moriendum ei esset. Sci es autem dominę passa, regem nostrum non esse vajvodam aliquem Valachicum, sed regem et caesarem, et qui adhuc nunquam quempiam timuerit praeter Deum. Ideo et induciarum habenda fuit nobis ratio et expectandus tam Joannis Mariae reditus, quam tractatus nostri finis, qui si in pacem desivisset, utrisque nobis pro voto successisset, sin minus, semper princeps vester movere bellum potuisset, et tam Transsylvaniam quam Hungariam suo loco invenisset. Et si adhuc ab initio firmiter decretum fuit apud vestrum principem, quod nullo unquam pacto Transsylvaniam regi nostro esset permissurus, cur sciscitari voluerit, an rex noster velit eam retinere? Certe expeditius erat, si tunc, cum Joannes Maria hinc dimittebatur, nobis quoque simul remissis, regi nostro nunciasset: remitte mihi Transsylvaniam, et mecum ea pace fruere, qua velis; sin minus, bellum expectes. Caeterum his molestiis, in quas utrique incidimus, et vos et nos careremus; verum postquam res in hos fines devenit et tota pendet ex Joannis Mariae reditu, conquiescite et petita regis nostri admittite, et Joannes Maria redeat tandem, et cognita resolutione de Transsylvaniae remissione, quod expetitur, fiat legationis nostrae finis. Si autem interim rex noster arma nulla movet et perstat in petitione renovandae pacis et amicitiae, quid oportet tam sedulo urgere Transsylvaniam? vel quantum principi vestro decedet, hocne, an insequente, an tertio anno Transsylvania potietur, si pax interim non constiterit? Hic dixit: rex vester est, qui caesarem nostrum arripuit per guttur, quia Transsylvaniam, ejus provinciam sibi usurpat; caeterum scivisse Joannem Mariam animum sui principis, et commissum etiam illi fuisse,

ut si Transsylvaniam rex vester esset remissurus: ipse rediret, sin minus: non rediret; et hoc esse magnum apud se argumentum, regem nostrum non remissurum Transsylvaniam, quod Joannes Maria non revertatur; et agit litteris tantum, longe alia volutans animo.*) Interrogavit tandem, posteaquam multa et ab eo et a nobis dicta sunt, quodnam tributum per Joannem Mariam portaretur? Respondimus:

*) Mes ambassadeurs estimeraient — irá Ferdinand 1553. december 29-én Károly császárnak — si me pouvais accorder du tout avec la reine et son fils, et la mener si avant, qu'elle voulût jointement avec mes dits ambassadeurs aussi envoyer les siens devers le Turc, et par iceux le certifier, qu'elle est ensemble son fils contente de moi; et que les Transsylvains fassent le semblable; .... que en ce faisant ils auraient bien bon espoir, qu'en payant les pensions accoutumées l'on pourrait obtenir par cetui chemin la dite trève générale, principalement en cette saison, que le Turc est tant empeché contre le Sophi... Et pour cette cause j'ai envoyé ambassadeurs solennels devers le roi de Pologne, afin qu'il veuille tenir la main et solliciter ambedeux les reines, sa mère et soeur, qu'elles se veuillent condescendre à ce que dessus; et ont mes dits ambassadeurs charge... se trouver aussi vers les dites reines pour le même effet... Et à leur retour je remettrai le tout en consultation avec les principaux des états et conseil de Hongrie. — 1554 junius 24-én pedig ugyanaz ekkép irt a császárnak: J'avais fait pourvoir à toutes choses necessaires pour depecher Jean Maria Malvezo avec prèsents et l'argent du tribut pour la Transsylvanie a fin qu'il le me laissât à la charge du tribut accoutumé, et autres affaires concernantes la Hongrie; mais le jour devant qu'il voulait partir, j'ai reçu lettres, que sur la praticque de la reine Isabelle et de son fils, Petrovits avec les Moldaves, Transalpins et autres Turcs ses adhérents se mettaient sus pour invahir la dite Transsylvanie et pays adjacens de mon obéissance. Il a pour ce été considéré, ne devoir mettre en hazard le dit Malvezo, aussi une telle notable somme, qu'il porte avec lui, comme aussi icelui Malvezo n'a aucunement voulu partir sans avoir plus d'assurance. Car comme il dit, si partait, trouvant les affaires en tels termes, je perdrai ce que j'envoye de tribut pour la Transsylvanie pour être en paix cellepart, et néanmoins me ferait-on la guerre; et lui se mettrait en danger de se faire mettre à torture, pensant le Turc, tirer beaucoup de secrets de lui. Et pour cette cause n'est il passé Comarre, ou il est encore, attendant réponse du Turc et bassas, auxquels a eté écrit, qu'il est là, attendant avec charge de traiter particulièrement des choses pourparlées, et que s'ils désirent qu'il y vienne, qu'ils fassent cesser les emprinses susdittes de Petrovits et des siens. Et ayant la dite réponse et qu'elle se trouve telle, qu'il puit passer surement, je ne fauldrai lui encharger ce que votre majesté touche en ses lettres, quant à sa comprehension au traité. Lanz az id. h. 604 és 634 ll.

Transsylvaniae. Dixit: cur et non Hungariae? quid enim attinebat regem vestrum in hoc tributum sese ingerere, quod per se Transsylvani pensuri erant, unti antea pendebat Eremita? Respondimus: nonne ejus dominatio meminit locutos nos fuisse secum de Transsylvaniae tributo anno adhuc superiore Scutari in horto ipsius, quando descendebat in expeditionem Persicam? quod tributum non prius iterum pendi incipiet, quam pacem pristinam renovabimus et de ejus limitatione transigemus; proinde nihil esse nec habere nos quod loquamur aliud de his negotiis, quam quod initio et postea locuti sumus et nunc loquimur; quare et liceret Joanni Mariae redire, postea gererentur quae geri debeant. Ad quae alio verbo nullo facto, demonstrato manu abitu, dixit: Vergith, hoc est: abite. Illicoque ab eo recessimus, nunquam certe ad eum profecturi, si majestas vestra nobis commiserit. Quod autem nunc etiam adierimus, partim hortatu aliorum fecimus, partim etiam nostro judicio, considerantes incertum rerum eventum, cum videatur multis resurrecturus, et judicetur omnino aliquid secreti habere cum imperatore Turcarum. Gerit enim se amplissime, aditur etiam crebro ab aliis oratoribus, et ab omnibus hujus loci summis viris palam colitur. Ibram passa vero fertur nihil sine ejus consilio facere, sed hoc clandestine, nam alias nunquam insimul convenerunt.

Sed in summa, quae dicamus, hoc est: scire majestas vestra dignabitur, quod Turcae pedibus, manibus et nervis omnibus conabuntur, ut per omnes occasiones quam citissime fieri poterit, eripiant ei Transsylvaniam, nec ullas inducias, ullum Deum, ullam fidem aut amicitiam curaturos, cum in induciis

Budensibus nequaquam intelligere volunt Transsylvaniam, et pro sola Hungaria pacem pollicentur, quantum et a Hruztano passa et ab Ibram passa et ab aliis fere omnibus intelligimus; neque ad hunc usque diem vel latum unguem dimotos esse ab hac pertinacia, cognovimus, difficillimeque dimoventur, si qua fortuna eis hoc bello laetum arriserit. Adeo autem mora Joannis Mariae tam longa offenduntur, ut Hruztanus passa id quoque dixerit coram nobis: male Budensem passam agere quod hujusmodi majestatis vestrae tabellarios cum litteris ad portam deduci faciat, et recte facturum imposterum, si quotquot mittentur deinceps, gladio percusserit, alioqui ipsum quoque facile periclitaturum, si secus facerit, quia omnes essent exploratores expeditionis Persicae, quicunque huc a majestate vestra mitterentur. Ex quo simili modo majestas vestra poterit conjicere, quid hic boni effici possit. De Joannis autem Mariae diuturniore retentione non est apud nos quod dicamus, quia bono consilio omnia arbitramur fuisse acta. Verum ii gravissime ferunt, nec excusationem dilationis ejus memoratae ullam accipiunt, sinistre interpretantes omnia; verendumque est, ne hujus Hruztani passae furor tantum efficiat apud amicos in Porta, ut rem magis ac magis in aliquod praecipitium inducat. Nunciavit enim nobis amicus ille noster secretus, qum his diebus secum loqueretur de his praesentibus rebus, dixerit: videbis quid hic princeps brevi contra hos Hungaros canes rerum molietur, si sanus a rege Persarum redierit; et illud: ne ullo pacto majestas vestra reginae Isabellae filium inmittat in Transsylvaniam, qui annum in ea non exiget, sed deducetur Constantinopolim, Transsylvani vero Turcae

submittentur. Hoc ipsum ab alio quoque homine accepimus, qui est ex intima ejusdem Hruztani passae familia. Neque ullus est, qui magis hujus provinciae casum urget, quam Hruztanus passa, qui autor etiam ejus excidii esse contendit. Advigilandum itaque est Transsylvaniae et cavendum Transsylvanis, ac iis simul, qui in horum fidem spem aliquam ponunt, ne decipiantur, alii vexillis, alii fortuna Pueri nimis certe vana. Caeterum quale responsum ad praesentem petitionem ab imperatore Turcarum majestati vestrae reportabitur, nescimus, postquam tamen in hoc est deducta res, videretur nobis opportunum fore ad persuadendum iis majestatem vestram sincere agere, ut interim Joannes Maria vel vestigium moveatur a Comarom: quia cum non desint ibi exploratores passae Budensis, cognito ejus illinc discessu, longe minus eum rediturum crederent quam nunc credunt, et temeritatem aliquam possent committere.

De bello Persico multa in dies afferuntur, sed ea quanto magis sunt varia, tanto difficilius est veritatem invenire. Supplicamus majestati vestrae et dignetur nobis ignoscere, quod nuper scripseramus diem nimis certum et propinquum, quo debebant illi duo exercitus congredi. Tunc enim hic nihil erat vulgatius magisque persuasum, quandoquidem et publicae supplicationes sollicite pro victoria agebantur. At conflictus idem nondum est factus, ajuntque Turcam aliquot dierum spatio pedem retulisse, passa suo Osmano cum multis millibus profligato eoque ex vulnere mortuo. Dictum postea est, quod expeditis rebus ad congressum, denuo in hostem missum promovisset, et jam brevi manum conserturum. Nec de hoc modo aliud fertur, et jam cursores etiam, qui

illinc veniunt, silentio supprimuntur, quae res malae conjecturae indicium praebet. Sunt ex Christianis quidam qui eum diem Joannis Baptistae decollati existimant opperiri, quem hic Turca tam favorabilem semper habuerit. Sed incertum est, an propterea differat. Et Turcarum sermo est, cecidisse jam in ejus exercitu partim ferro Persico, partim morbo et annonae penuria plus quam 140 millia hominum. De rege Persarum nonnisi omnia prospera, satis valida et plena constantiae; qua ex re illud etiam vulgatur, non conflicturum Turcam hoc anno, sed finibus illis bene communitis, hiematurum Allepi. Tartaros autem, qui ad eum veniebant, certum est a regis Persarum filio fuisse profligatos atque aversos. Allatum etiam, quod Durgutreis fuisset in classe mortuus; quod cum confirmatius habebitur, certiorem facere majestatem vestram non praetermittemus.

Quod ad alia attinet: cum deinceps majestas vestra dabit litteras ad imperatorem Turcarum, dignabitur semper, si ita visum fuerit, et ad Achmat passam, et hunc Ibram passam locumtenentem, et ad Hruztanum passam ac fratrem suum Zynan scribere, qui praefectura classis non est privatus, scribetque ad eos, qui sunt in officio, fusius, ad alios brevius, et amicitias atque officia *) quia nunc etiam rogavit nos Hruztanus passa: an sciverit majestas vestra, eum esse Constantinopoli? in quo visus est litteras ejus desiderasse. Nos respondimus: scivisse, sed propter respectus quosdam praesentis ejus temporis nihil ad eum scripsisse, jussisse tamen nobis, ut illum nos coleremus, et in amicitia ejusdem conservare curare-

*) Kimaradt: oblatura est, vagy más hasonló értelmű szó.

mus. Nec de hoc aliam ob causam scribimus quam nostri officii, consilium autem majestatis vestrae est.

Venit huc a Polono simplex nuncius, qui cum litteris ad imperatorem Turcarum proficiscitur; quem non existimamus aliis de rebus missum, quam ob insultus et praedas quasdam Tartarorum, si vera sunt quae nobis indies nostri retulerunt. Est enim homo Armenus, et regis Turcicae linguae interpres ac semimercator. Adjicimus et illud, quam non omnino sine aliquo firmi consilii jussi sunt Valachi et limitanei Turcae congregari, prodire et parati esse ad parandam rem sedulo, ubi eis fuerit mandatum. Majestati etiam vestrae nostro judicio bonum esset providere de aliquibus copiis, sed clandestine, ne Turcae intelligerent, quandoquidem mox in majestatem vestram intenderent calumniam, quae jam illis impingitur. Alioqui si quo pacto in porta imperatoris Turcarum assecuratio et mandata, quae nunc petit, majestati vestrae negarentur: sine dubio credendum est, istos tentaturos Transsylvaniam. De ope itaque tempestive est providendum, ne imparata offendatur, dum hinc sperat, quod in dubio situm est. Ad nos quod attinet, nec officio, nec fidei, nec vigilantiae nostrae, Deo adjuvante, deerimus. Et nunc certe tempus est, ut Christiani in cinere et cilicio ad poenitentiam agendam conversi, diebus ac noctibus, et publice et privatim, misericordiam a Deo precibus et jejuniis implorent, vel horum ethnicorum exemplo, apud quos adeo universi incumbunt orationibus, ut primae etiam aetatis impuberes coguntur orare.

His exaratis, sperabamus hominem majestatis vestrae ad imperatorem Turcarum sine multa mora iri expeditum, uti nobis Ibram passa promiserat, ve-

rum mutata sententia, vel die postera nostrae audientiae adhuc hic et homo et litterae haerent. Ursimus autem eum ter jam, misso ad eum nostro interprete immo et causo Budensi, qui deduxit huc majestatis vestrae hominem, sed nihildum quicquam effecimus. Dicit principem nimis longe in ditionem regis Persarum penetrasse, nec aditum ad eum tabellariis facilem esse, dimissurum tamen se omnino et brevi, nos tamen conquiesceremus et ex eo expectaremus. Nam Polonum etiam nuncium perhibet proficisci priusquam passae ipsius mandato jubebitur. Causam dilationis hujus putamus nos a Hruztani passae malitia procedere, quandoquidem passae etiam Budensi improbrabat nobis audientibus, quod memoratum majestatis vestrae hominem aut non remiserit aut non occiderit. Quid, inquit, tot litterae plenae dolo etc. Statim enim Ibram passa differre coepit postquam apud Hruztanum passam fuimus. Alii dicunt, certa eos nova de statu imperatoris Turcarum expectare et ea quidem bona, postea hominem dimissuros. Sed omnino rem ignoramus. Dictum etiam nobis est, quod solum ciausum Budensem dimitterent cum litteris et sine homine memorato, cui alterum ex nostris fuimus adjuncturi. Verum de hoc etiam incertum quid fiet. Nos tamen quotidie jam Ibram passam urgere non cessamus, facta eidem etiam protestatione, ut si quis error ex hac mora inciderit, ab eis progressurum, non a majestate vestra, neque a nobis. Majestatem vestram Deus servet. XXI. Julii 1554.

Hodie cum jam praesentes daremus tabellario, venerunt cursores ab imperatore Turcarum, qui retulerunt X. adhuc dierum itinere distinctos esse eos

exercitus. Caeterum futurum omnino conflictum, sed non prius, quam munitionem quandam Turca perfecerit, quae in eum finem condi dicitur, ut si quo casu cedere hosti cogeretur, haberet ubi sisteret gradum. Munitioni autem Karz est nomen, fuitque alias locus regis Persarum. Hoc ipso quoque tempore ciaus quoque Budensis cum litteris majestatis vestrae ad imperatorem Turcarum expeditus est nostris impensis et equo et munere, quia libera posta, quae jam illi erat concessa, retracta est, putamus malitia in litteris expressa. Sed nec homines nostros ire voluerunt, et laboravimus pro altero tantum, verum ne is quoque permissus est. Suspicantur eos explorandi causa dimissos. Haec omnia nova sunt, et sunt omnia mali animi indicia, nam hactenus his nos non molestarunt. Addita ut supra.

CII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. augustus elején. Nuncius reginae Isabellae, qui superioribus mensibus profectus fuerat ad imperatorem Turcarum, Constantinopolim XXII. Julii reversus est, et hinc discessit ultima. Secum missus est Aly ciaus, homo Transsylvaniae et Varadinae ditionis bene peritus, et diuturnum ac peculiare olim heremitanae insaniae instrumentum. Hic ciaus non excedet Transsylvania, et quantum ab amico secreto nostro intelleximus, mittitur eo consilio, ut mandata, quae ciauso Oruch data sunt, confirmet, et requirat Transsylvanos, num reginae Isabellae filium velint in principem recipere, necne; simulque ut omni diligentia tam imperatoris

Turcarum quam passarum nomine illos cohortetur, ut in studiis ejusdem reginae Isabellae filii perseverent, nec ullo pacto ab illius expetitione desistant, facta eisdem spe omnium auxiliorum militis limitanei et suae etiam personae, quamprimum ab expeditione Persica redierit. Idem amicus nunciavit, se etiam postea locutum fuisse cum Hruztano passa de rebus nostris, sed obiter; et illum dixisse, magni Dei juramento adhibito (sic enim Turcae jurant): nunquam principem suum majestati vestrae Transsylvaniam remissurum, etiamsi omnia extrema adire cogeretur. Caeterum frustra esse dona, frustra amicitiae, frustra officiorum oblationem, sed ne preces quidem in hoc locum habituras, quantumvis maximis uteremur, pacemque interim minime futuram, nisi restituta Transsylvania; — nec alium Hruztani passae unquam esse sermonem. Verum iterum atque iterum vobis commendo, subjunxit, ut majestatem vestram certiorem faceremus, dignaretur multum circumspicere, et bonis, solidisque uti consiliis, ne in aliquam fraudem perfidia Turcarum de amittenda Transsylvania inducatur. Turcis, inquiens, non esse credendum, et suaderi oportere tam reginae Isabellae quam fratri suo, regi Poloniae, ne Puerum abduci in Transsylvaniam permittat; et Transsylvanis, ne eundem inducant, qui utrique si secus fecerint, et Puer mox deducetur Constantinopolim, et Turcae insessa praesidiis Transsylvania, de primoribus ejus idem perpetrabunt, quod olim de Bosnensibus, Rascianis et Graecis; parumque aberit, quin tandem tunc Valachis etiam Turcas praeficiant, quod eorum tot caedes mutuas et intestinas seditiones ferre jam nequirent. Adjecit praeterea hoc: Transsylvaniae negotium Achmat passam et

Hruztanum passam duntaxat urgere, atque omni conatu laborare, ut sive jure sive injuria eadem provincia primum, deinde Waradinum et mox Agria majestati vestrae adimatur; quod postea nihil eis difficultatis relinquatur ad reliquum Hungariae obtinendum; seque vereri plurimum, quod neque litteras majestatis vestrae integro sensu ac tenore Turcae exponi curent, referentes interim ei omnia, quae majestatem vestram arguant et apud illum deferant, quo sic facilius orsam suis consiliis Transsylvaniae telam ad propositum finem perducant. Proinde quoniam nuncius regis Poloniae, quem huc venisse nuper scripsimus, vix 6. diebus in libertate a suo adventu habitus, reclusus est in suo hospitio, et in hodiernum etiam diem tenetur sub custodia, uti et nos, nec interim dimittetur post imperatorem Turcarum, donec admonebitur passa, an dimitti debebit, quod ajunt esse exploratorem: idem amicus nobis nunciavit, non esse hoc citra contumeliam. Caeterum quid, inquit, agit ille rex Poloniae, cur oculos non aperiat, cur non juvet commoda regis vestri, ut sic suis prospiciat? an ipse meliore conditione tractabitur a Turcis, ubi eos vicinos in Transsylvania et Hungaria habuerit, quam alii principes christiani tractati sunt, qui in eorum viciniam inciderunt? Plura hic bonus amicus noster saepius ejusmodi nobis nunciat, quae nostro etiam judicio abesse a veritate non videntur, eademque ideo majestati vestrae nota esse semper studemus, quia pauca ex meliore loco consequimur, et consideranda esse agnoscimus. Jam quid nos de his omnibus sentimus, est: quod, quia ex ore Turcarum vel ab ipso adventu nostro nunquam excidat Transsylvania, et indies non solum magis ac magis eam exigunt, verum

etiam arma et exercitum in eam parant et plane producent, summa cura et vigilantia et vafritie erunt intenti in occasiones, ut quod de ipsa Transsylvania occulte secum conceperunt, obtinere contendant. Si itaque reginae Isabellae filius Polonia educetur, studiaque Transsylvanorum et Hungarorum quorundam in illum prona viderint, opinio est omnino fortunam Transsylvaniae tentaturos. Operae pretium itaque erit, ut majestas vestra quoque non sit sine milite in omnem eventum; et quia toti jam mundo constat, (nobis etiam hic parum tacentibus) a Turcis causam horum motuum processisse, cum sub induciis arma ceperint et in fines majestatis vestrae irruperint: recte sane et vere regaliter egerit, si se et sua defenderit, ac lacessita hostium injurias propulsaverit, uti et anno proximo fecit. Nam tunc etiam poterat dici, quod inducias ipsi violaverant; verum quia ipsi quoque passae, quorum consilio res gerebatur, bene hoc noverant, omne damnum, quod acceperant, silentio suppresserunt, quemadmodum nunc etiam facturos speramus, si profligati fuerint; quia et conscientia sceleris pudefacti, et repressi metu, ne eorum temeritas puniretur, imperatori Turcarum etiam celabunt, sine cujus scitu, uti etiam ante majestati vestrae scripsimus, multa passae agunt, eaque causa est, quod hostium apud eos juris rationes non facile admittuntur, sed furore et potentia omnia geri volunt, ut extorqueant quod expetunt, ne interim injurias et alia quae perpetimur, enumeremus.

De progressu belli Persici haec feruntur. Uterque exercitus vicinus est amni cuidam Kasylmanz, quem in medio inter mare Caspium et montem Zagrum esse et Amardum appellari, nostra conjectura putamus,

qui juxta Ptolemaeum e Marziano lacu profluit. Cursores, qui inde veniunt, jam rariores sunt quam hucusque, veniuntque muti prope, quód nihil laeti afferant. Ex aliis vulgo auditur, alium quoque passam post Ozmanum a Persis profligatum, Turcamque tridui spatio pedem retulisse, regem Persarum vero trinis castris propius hostem promovisse, et esse eo animo, ut confligat cum eo, si modo rejectis ignibus, ferro secum certare voluerit, sin minus, usurum suis opportunitatibus, nec propterea recessurum a Kazyldag, hoc est a rubeo monte, quem in tergo habet, nosque eum superius Zagrum esse diximus. De tempore conflictus nemo scit, et de voluntate etiam utriusque multi dubitant, ajuntque Turcam potentissimum non audere, quod regem Persarum validum esse videt, tempusque tantummodo terere, et partim opportunitates captare, partim vario praetextu operam dare, ut rem in alium annum differat. Sed rei hujus veritas non ita facile ad notitiam multorum potest pervenire, vulgo tantum sic dicitur.

De classe emissa nihil auditur. Tantum triremes, quae in Pontum expeditae fuerunt propter transitum Tartarorum, allatum est in flumine quodam esse obsessas a Mangrelis populis, qui sunt supra Colchos et olim Manruli vocabantur, nec posse aut progredi aut regredi. His nunc tres aliae subsidio apparantur, et erat de celeritate magnus sermo. Verum segnius jam eas dimitti apparet.

De Hruztano passa eadem scribere possumus, quae proxime scripsimus, illud tantum addentes, quod omnes cursores, qui ex castris huc adveniunt, nec praecipue ad uxorem mittuntur imperatoris Turcarum, semper Hruztanum passam antea adeunt, postea Ibram

passam; quae res omnium animos facit aliquid quod latet, cogitare. Frater ejus Zynan dicitur evasisse periculum.

Aliis de rebus quod scribendum nobis est, dignabitur majestas vestra scire, quod ea mandata imperatoris Turcarum in Hungariam et Transsylvaniam miro modo dantur, et exempla illorum ex Transsylvania putantur venire a nostratibus utique perditis, quae res utinam in eorum caput non redundet. Verum cum imperator Turcarum a majestate vestra non Hungariam repetit sed Transsylvaniam; in illis ipsis autem mandatis supranominatis scriptum est, quod idem Stephanum, Joannis filium, Hungariae et Transsylvaniae regem fecerit, quod expresse est et contra verba imperatoris Turcarum et ejus passarum, qui a majestate vestra nonnisi Transsylvaniam petunt, et pro Hungaria tributum pendi volunt: sine dubio quibusdam cancellariis eorum magnum negotium faciemus, ne dicamus etiam aliis, si quo pacto verba nostra ad aures Turcae poterunt pervenire, qui tales litteras nomine illius edunt, quae cum suo verbo non conveniunt. Ideo supplicamus majestati vestrae, ut quamprimum ea mandata, quorum ad nos exempla misit, primo quoque tempore a Transsylvanis accipiat, et in propriis manibus habeat, quo si rem probari oportebit, non sit aliqua difficultas. Cum Joannes Maria remittetur, dignabitur majestas vestra aliquod horologium mittere, quod huic secreto amico nostro donari possit, qui illud petiit. Meretur autem etiam majora et ea omnia, quae judicio majestatis vestrae videbuntur. Nos jam impensae defecerunt et prope ad pudorem usque egemus, de quo si saepius supplicamus majestati vestrae, dignetur nobis gratiose

ignoscere. Joannes Maria scripsit nobis, commissum esse Veneto mercatori, ut nos provideat. Ipse autem jussit suo hic vicegerenti, ut obulum non det, antequam ipse illi mandaverit. Sic consumptis pene usura et usibus, quaecunque oppignaveramus, nihil quod oppignoremus reliquum habemus, et amicus nullus est, qui sine pignore mutuet, nisi is mercator Petrus Dellavecchia providerit. Nunc autem venit barianum Turcarum, quo multa erunt omnibus oratoribus eroganda, ne de aliis loquamur inpensarum causis, quas effugere minime possemus. Reliquum est, si quo pacto res praesentes secus ire inciperent quam speramus, nosque strictius detineremur, quam hactenus, aut etiam, quod Deus avertat, sicut Joannes Maria, essetque quorumpiam consilium, ut *

CIII.

A királynak Verancsics és Zay. **)

1554. aug. 9. . . . . . portavit, nec tamen adhuc cognovimus, an eas pertulerit, uno enim tempore expedivimus illum via Segnia, quo hinc cum Oruch expeditus fuit Joannes Vegh. Litterae ad Ibram passam datae sero sunt missae, ideo alias majestas vestra dare dignabitur per alias occasiones, quia nunc nulla jam occurrit secum agendi, donec ab imperatore Turcarum litteris majestatis vestrae rospondebitur, de quo aliis nostris latius scripsimus. Ea autem autoritas apud ipsum Ibram passam non est, de qua nos ad majestatem vestram scripseramus, nobisque falso amici persuaserunt. Nihil agit, quod prius principi non consti-

*) A többi hiányzik.
**) Kezdete hiányzik.

terit, et cum Hruztano passa clam omnia communicat, videturque ab ejus consiliis parum recedere, bonus tantummodo et sedatus homo est, nec putamus eum aliter quam pro forma quadam huc missum.

Verum quod magis operae pretium est, ut majestas vestra intelligat: nuper cum hinc expedirentur Silesiae nuncius et Ally ciaus, de quibus proxime, Hruztanus passa advocatis ad se ambobus, jussit primum ciauso, ut dicat praesidibus limitis Hungariae, quod si hoc tempore poterunt commode in Transsylvaniam penetrare, in omnem eventum penetrent, et utantur fortuna; sin minus: desistant, ne dum princeps eorum tam longe abest, detrimentum quodpiam accipiant et ipsos fines in periculum adducant, sed omnia differant ad reditum principis ex Persia, quandoquidem majestatem vestram quoque exercitum non temnendum conscripsisse intellexissent. Nuncio deinde: ut reginae Isabellae dicat, velit ipsa etiam supersedere pro nunc ab ingressu Transsylvaniae, si majestatem vestram sufficienter viribus provisam constaret, ne quo casu inciderent in aliquod periculum, sed aequo animo reditum principis opperirentur, qui eos nullo pacto est deserturus. Caeterum sciret, se denuo primarium passam futurum, ubi primum imperator Turcarum redierit, jamque triennium esse, ex quo in hoc laborat omni conatu, ut adempta Petro Petrowyth Transsylvania reginae Isabellae ac ejus filio restituatur.

Qui haec nobis retulit heri Turca, est apud Hruztanum passam, natione Hungarus, et nobis familiaris, quem reginae Isabellae nuncio idem Hruztanus passa adhibuit interpretem: nec ambigimus, vera eum nobis retulisse, quia ejusmodi parum etiam

videntur ab his distare quae nobiscum loquitur: alioqui judicio et consilio majestatis vestrae omnia remittimus. Cum Hruztano passa autem et cum caeteris, qui sunt hic ejus pertinaciae, simulandum interim est, et institutae rei insistendum, postquam adhuc stat majestatis vestrae voluntas de pace cum imperatore Turcarum renovanda: quia dum priores etiam quinquennales induciae tractabantur, quod memoria facile retinemus, sex arces: Symontornyam, Ozoram, Debregezdum, Tamasy, Dombo et Zondam Mehmet passa, qui tunc Budae praeerat, hujus ipsius utique Hruztani passae praxibus intercepit. Quod nunc quoque idem molitur de Transsylvania facere, quantum ex his ejus furiis conjici potest, et quae in adventu nostro ad Varadinum tentari contra omne jus commiserat. His namque consideratis omnibus, quae et reginae Isabellae et finitimis praesidibus nunciavit, judicio nostro curandum est, et ut diximus, copiae etiam reparandae, in promptu habendae, ac propius Budam et Varadinum tenendae, ut ipsi quoque hostes absterreantur et aequiores fiant majestati vestrae; isque demum annus sic otiosus praetereat. Danda tamen opera est, ne quid duces majestatis vestrae non lacessiti agant, postquam adhuc, ut iterum dicamus, de pace animus est, quia et Dei gratia, bono hactenus ordine omnia ex parte majestatis vestrae processerunt, totaque culpa in hostes transferetur, si quo casu ad arma res devenerit. Nam in Martio adhuc mandata belli emiserunt, majestas vestra vero pacem et amicitiam objectat. Nec est quod hic aliud dicamus, quam, permissis rebus his omnibus ut sunt, responsum a Turca expectemus.

Nova autem de bello Persico haec feruntur.

Partim quod utrinque ventum sit ad voluntatem pacis ineundae, partim quod Persarum rex nunciarit Turcae, nolle se hoc anno secum confligere sed insequenti, ut sicut ipse duas hiemes coactus est exigere in castris, ita et Turca; quo commento intendit, ut multi judicant, illum circumducere et distinere, ut difficultatibus et incommodis prius nonnihil frangat, et interim non cesset etiam per hiemem clancularii excursionibus vires ejus diminuere. Vulgus loquitur hujusmodi. At alii quidam adhuc hoc Augusto futurum conflictum ajunt, neutris tamen secure credimus, quia multi multa. Nos arbitramur rem ad Joannis Baptistae festum extrahere. Verum postea cognoscemus omnia clarius.

De classe Turcica perlatum est nunc primum Galli rumoribus, eam in mare Adriaticum usque penetrasse et Apuliae civitates maritimas tentaturam; caeterum jam et damna ibidem non parva intulisse, quod hic nondum firmiter creditur, ut his, quae Galli soleant disseminare, ad quorum instantiam eandem emissam esse, nunc demum maximus sermo est.

Quicquid aliud scitu necessarium evenerit, officio nostro non deerimus. Si majestas vestra pecunias dari nobis dignabitur jubere Petro Dellavecchia, bonum esset merces quaspiam illi assignare ex provinciis suis, Venetiis vicinis. Sic enim et ille libentius commodaret et majestati vestrae foret utilius, quia et merces lucrum adferrent et foenus nullum mutuantibus penderetur, quae hic sortem prope aequare solent, adeo pecuniae studia vigent. Moniti sumus ad haec ab ipsis hominibus Petri; sed majestas vestra scit, quid est factura, nec eget nostro consilio; tantum mature nobis provideretur.

De filio nostri ciaus, etsi nos jam ter scripsimus Joanni Mariae, urgente nos patre, nonnisi propter filium nobis bono, majestas vestra tamen dignabitur facere, quod ipsi videbitur. Nam si pro Hamzabego et pro tot aliis malae redduntur gratiae, nescimus, quomodo iis gratificare debeamus, nisi si majestas vestra ad futura respiciet. Eandem valere desideramus. 9. Augusti 155 quarto, Constantinopoli.

CIV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. aug. 12 Hic fama est, eaque, ut intelleximus ab hominibus fide dignis, non falsa: missum fuisse oratorem a rege Franciae ad regem Poloniae et reginam Isabellam; inde in Turciam venturus est per Valachos. Ferunt esse hominem juvenem, utroque pede claudum, dominum de Cambray nominatum, et annis superioribus apud dominum Ratrion,*) qui hic egit oratorem, fuisse a secretis. Quare postquam nec regina adhuc redit ad se, nec rebellium sedatur insania, non alienum fuerit, si homo in itineribus suis observabitur. Forsan etiam regis Galli quodpiam aliud cognoscetur consilium, cujus virus ne etiam in Hungariam inmittatur, valde est pertimescendum. Majestas vestra felicissime valeat. Constantinopoli, XII. Augusti, 1554.

*) Aramon helyett, úgy látszik, a leiró hibájából.

CV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Proximis diebus vulgatum est hic novum et ad- 1551. aug. 25.
huc viget, sed inter secretiora murmura, conventum fuisse inter duos exercitus, ut sine interventu bombardarum pugnaretur. Misso itaque Achmat passa, beglerbego Romaniae, cum copiis Graeciae et Thraciae, et aliorum quorumpiam supra centum fere millium hominum, Turca cum rege Persarum jussit eum confligere, reliquo suo exercitu in statione permanente. Verum ubi conseruere manus, Turcae rejecti sunt, pulsi prope ad castra usque non sine gravissima caede et morte ducis, facileque in ipsa castra impetus Persas ipsos provehebat, nisi subito vi bombardarum in eos ejaculata, signa revocassent. Hinc ortum est, quod sub eodem tempore venerit quidam Turca ad hos passas, qui justum congressum fuisse factum ausus sit affirmare, nescire tamen, utra pars vicisset; quod cum homini non crederetur, asservari se in carcere et demum vita privari postulavit, si fuisset mendacii convictus; et sic sub his res adhuc silet, quod rarius jam cursores ab exercitu veniunt, uti antea etiam scripsimus, ob itinerum pericula. Opinio autem ea videtur ab omnibus recipi nolle, omnino regem Persarum cum Turca justis viribus congredi, sed tantummodo velitari secum, quod multitudine par non sit. Dicunt eum magna id facere ratione et arte, per momenta conficiendo meliores et duces et milites hostium, quod tamen majestas vestra melius judicabit, et

nos ad alia pergimus, quae consideratione putamus esse non indigna.

Mira praxi oratores majestatis vestrae Turcae huc deduxerunt sub spe pacis tractandae, ut postea injecto eidem nodo de Transsylvaniae restitutione, nos hic detineant, et ipsi interim rem apud regem Persarum securius agant, et majestatem vestram istic territent, ne partim hac causa, partim vero nostrae incolumitatis respectu aliquid contra se moliretur, tentantes sub haec etiam fortunam non infirmis rationibus (quantum pro illorum consilio), praetextu reginae Isabellae filii de Transsylvania occupanda. Doli sunt certe hi hostis non exigui et nobis initio minime perspecti; quo magis etiam miramur, cur nec ipsi Turcae ante adventum nostrum Transsylvaniam a majestate vestra petierint, pacem tantummodo objectantes, si ad se oratores misisset, nec ab ullo mortalium fuerit hujus tempestatis praemonita, quae et hic et Budae fuerit fere notissima; nobisque et passa, et Welibegus, et quidam alii inculcarunt prope, ne pro Transsylvania instaremus, si pacis compotes esse vellemus. At licet de hoc nos quoque fecissemus aliquam majestati vestrae mentionem per litteras, non tamen eo modo rem citavimus, ut oportebat, quia latens ejus virus non perceperamus; sed, utcunque res acta sit, revocari jam nequit et error maximus commissus est. Verum ex hoc etiam, Deo dante, non imbecille argumentum nobis constituimus, quo cum jam usi fuerimus, placiturum majestati vestrae non dubitamus. Quid enim? nonne prius a majestate vestra debuerunt petere Transsylvaniam, quam receperint ejus oratores. Sed dolus subest, sperantes sub nostra hic apud se existentia non aliter omnia a majestate

vestra extorsuros, quam si essemus summi aliqui regni Hungariae haeredes aut dynastae. Et diximus semel apud Hruztanum passam: eos non nos, sed majestatis vestrae filium aut fratrem aliquem debuisse oratores accersisse, quorum fortasse causa parum de Transsylvania laborassent. Similes nobis simile intra manus habebunt, nostri respectu ne palmum quidem vel Hungariae vel Transsylvaniae habituros. Sed sic in his hactenus itum est, et Turcae quoniam paulum distinere voluerunt majestatem vestram a movendo bello, partim omnino tentaverunt fortunam, si Transsylvaniam sub hoc velut interregno quodam intercipere potuissent. Nunc videntes et isthic majestatem vestram non segniter curam occupasse, ut eis resistat, ac sua fortiter tueatur; et imperatori Turcarum quum et apud regem Persarum necdum quicquam succedit prospere, ac ea sit multorum sententia, quod hoc bellum ad insequentem annum transferetur: coeperunt jam quidam, ut aulici susurrones, et qui aliis nos temporibus terrefaciebant, jubere esse bono animo, in Hungaria omnia esse sedata, reginam Isabellam ac ejus filium in intima Christianorum regna penetrasse, nec exituros causa Transsylvaniae, Petrum Petrowith vero hominem esse mendacem, vanum vulpem, et similia; et nos omnino exoratores redituros. Quae quia sunt vulgaria, et facile adhuc majestati vestrae conabuntur denuo obtrudere, ut qui nihil non dolis et perfidia per omne tempus agitant, quo in secundum quoque annum strophis nos ejusmodi detineant, et majestatem vestram aliis atque aliis causis circumducant, ut hoc elapso Joannis Mariae expectatione, quae fortasse minus eis displicuerit, quam ostenderunt, quod bene sciverunt majestatem vestram

non cessuram sibi Transsylvania; videretur nobis primum, ut etiam si Turcae arma deposuerint et ad stativa sua redierint, majestas vestra in omnem eventum vel propter rebelles intestinos custodiam Transsylvaniae non adimat, Gyulae, Waradino, Agriae et Cassoviae aeque de securitate consulat. Secundum: quia nos etiam opinamur bellum Persicum dilatum iri, ne Hungariae res interim pendeat sub dubio belli et pacis, nisi si forte et majestati vestrae placeat tempora simili dilatione extrahere. Ubi primum habuerit responsum ab imperatore Turcarum (quod expectamus), arbitraremur operae pretium fore factu, ut Joannes Maria statim remittatur eo cum responso quodcunque majestati vestrae visum fuerit, etiam si iis displicuerit; detur nobis commissio in utramque partem, ut rem ad finem perducamus, pace facta vel non facta; et id solide fiat, quia si iterum in aliquem nodum incidemus, cujus expeditio denuo ab expectatione aliqua peteretur, nihil de pace conficiamus, sed consumpto hic anno altero, Turca se a rege Persarum extricet, et in nos convertatur, et damna illic accepta reparet nostris spoliis, quod assidua Hruztani passae etiam verba haud dubie videntur nobis interminari. Occurrendum itaque periculo est et pudori. Nec de hoc judicium nostrum alium in finem afferimus, quam ut fidei et diligentiae nostrae solito more pro viribus non desimus. Alioqui consilium et imperium majestatis vestrae est.

De classe rumor illatus nunc primum est, sed nondum confirmato autore: urbes quasdam in Apulia fuisse depopulatas, et adhuc iisdem in locis vagari, plura damna illatura, si quis non obstiterit. Mirum quod se nemo opponat, hoc praesertim anno, quo

nullo unquam alio imbecillior exierit. Erat rumor quod in sinum usque Segniae esset promotura. Verum trajecto ad Constantinopolim mari Adriatico in Apuliam transmisit. Propterea si saepius ea littora Turca visere consuescet, verendum est, ne paulo post majora audere incipiat. Sed haec viderint foederatores Turcarum, quorum culpa perit christiana respublica. Videretur tamen nobis, quod non esset alienum, si majestates vestrae imperium maris constituerent ibi aliquando, quia Turcae illud maximis sibi jam consiliis proposuerunt. Alienas enim classes vestrarum majestatum Symuae construunt, cur vestras non possent, ut non deberent?*) Et certe quot civitates maritimae sunt vestris majestatibus, tot triremes alere et armare possent, nec eaedem gravarentur ab ulla impensa, sed et lucrum afferrent et existimationem, quando eorum potentiam vereri quoque et venerari tam hostes aperti quam amici simulati inciperent. Sed haec fortasse ultra crepidam. At videntes hic quaedam multo minora quam apud eos appareant, quod opinio omnia majus evehat, non possumus non aliquando de his suggerere, optantes rei christianae prosperitatem. Ideo supplicamus, ut majestas vestra nobis generose ignoscat. Reliquum est, quod si hoc anno nihil de bello Persico confierit, ajunt Turcam Babylone hiematurum non Alepi. Majestatem vestram Deus servet. XXV. Augusti Constantinopoli, 1554.

*) Jelen levél, mint az olvasó már észre fogta venni, a leiró hibájából több helytt majdnem érthetlenné vált.

CVI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. aug. 25. Post multa (ut aliis complexi sumus) aliunde intelleximus, revera verba hic nobis dari, quia nonsolum nulla est quies et armorum cessatio, sed jam et in Transsylvaniam copias Turcarum profectas esse, percepimus et eis vires majestatis vestrae non contemnendas fuisse oppositas. Voluissemus sane hac molestia omnino majestatem vestram caruisse, verum postquam perfidia hostilis nulla utitur ratione, nullo freno, nullo Deo: ex necessitate etiam ei est obsistendum, maxime vero tempore, quo et inducias ipsi hostes violarunt; et nisi hac vice Transsylvaniam majestas vestra retinuerit, non dubitamus imposterum ita nos contemptui apud eos futuros, ut non pace, sed ne amicitia quoque, aut saltem humaniore alloquio dignos putabunt, nobisque usque ad honoris nostri portas insultabunt. Si quae igitur victoria isthic majestati vestrae obtinebitur, ad quam velis remisque enitendum et contendendum est, non est dubitandum, quin diutius consistemus, et si forte fortuna Deus jam apud se decreverit, ut imperio Turcae succumbat Transsylvania, honestius certe erit, duce principe quam duce gregario propulsentur. Itaque forti animo; quicunque illi Transsylvaniam vexabunt, certum est, quod nec passa Budensis, nec praeses Bosnensis aut Temeswariensis tanti erunt, ut ea praestent, quae aliunde audere cogantur. Quicquid enim melioris militis fuit in istis finibus in Asiam translatum est, viliora praeter duces domi manserunt. Ad nos vero quod interim attinebit, agamus omnia

Deo consultore et a majestate vestra instructore, quaecunque commodiora et opportuniora esse cognoverimus. Nec est aliud quod his addamus, quam quod adhuc nobis nulla est facta provisio, et cuicunque ejus curam majestas vestra commiserit, nobiscum male agit. Deus majestatem vestram conservet. XXV. Augusti, Constantinopoli, 1554.

CVII.

Verancsicsnak és Zaynak a király.

Reverendo devoto, ac magnifico, fidelibus nobis dilectis, Anthonio Verantio episcopo Quinque-ecclesiensi, ac praeposito Pornensi, et Francisco Zay de Chemor, generali nostro nazadistarum capitaneo, nostris consiliariis, et oratoribus ad serenissimum imperatorem Turcarum destinatis, Constantinopoli. Cito, cito, cito, cito.

Verancsics kezével: Redditae 28. Octob. 1554.

Ferdinandus divina favente clementia, Romanorum, Hungariae, Bohemiae, etc. rex. Reverende devote, ac magnifice, fideles nobis dilecti! [Postquam novissime ad vos scripsimus id, quod ad XXI. mensis Junii factum est, redditae fuerunt nobis praeter duplicatam de decima Maji, senae a vobis litterae, una cum aliis etiam exemplis ac scripturis adiectis datae ad primam, III. VIII. XXIX. et penultimam Maji de III. et V. item XXI. Julii, ex quibus statum expeditionis Persicae, et omnia, de quibus nos humiliter admonendos censuistis, abunde cognovimus. Ex novissimis autem intelleximus etiam, quae vobis disputatio fuerit cum Hruztano passa, quamve prudenter, quam 1554. aug. 25

apposite et intrepide importunitati illius responderitis Itaque responsum illud vestrum non solum ratum gratumque habemus, verum plurimum etiam laudamus, et facile inde singularem vestram erga nos fidem, ac in rebus gerendis industriam, et dexteritatem perspicimus, quin eo quoque nomine propensi sumus, vos benignitate nostra regia jugiter complecti, hortantes vos et requirentes, ut deinceps etiam nos crebro tam de progressu utriusque exercitus, quam de aliis, quae nos scire debere putaveritis, certiores reddatis.

Porro, licet gratius nobis esset, tabellarium nostrum, quam chiaussium Budensem cum litteris nostris ad imperatorem Turcarum expeditum fuisse: tamen, cum id obtineri nequiverit, expectandum est, quid ille nobis boni sit reportaturus? — Interim vero dubitare non debetis, quin Joannes Malvezius ad tollendam, vel saltem minuendam Turcarum suspicionem Comaronii mansurus sit: nam hoc ipsum jam dudum ei commisimus.

Caeterum quando imposterum ad imperatorem Turcarum litterae dandae erunt, non obliviscemur vestri consilii, ad Achmet passam scilicet, et Hruztanum passam, et alios passas scribere.

Duo illa millia ducatorum, de quibus nuper etiam vobis scripsimus, non dubitamus, quin a fratre Petri Dellavecchia vobis numerata sint.] Et haec sunt, quae vobis in praesentiarum respondenda duximus. Datum in arce nostra regia Pragae XXVIIII. mensis Augusti, anno Domini MDLIIII°, regnorum nostrorum Romani XXIIII°, aliorum vero XXVIII°. Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium J. Jonas D. vicecancellarius m. p. M. Singkhmoser. m. p.

Hozzáirva Singkmoser következő levele:

Reverendissime, ac magnifice, domini observandissimi! Non video, quid praesentibus majestatis suae litteris adjungam, quam quod majestati caesareae pro voto omnia et reipublicae Christianae commodo succedunt: quam ob rem Deo Optimo Maximo flexis genibus merito noctesque diesque ingentes gratias agimus, nec dubito, quin dominationes vestrae reverendissima, ac magnifica, sigillatim intellecturae sint [a domino Gaztelu, quam prospere imperator noster tam in Italia, quam Flandria seu Belgio *) gesserit.] Ego dominationibus vestris reverendissimae, et magnificae felicem et maturum reditum, eundemque, rationibus majestatis regiae ac Christianitatis commodum exopto, memor, quid sit tamdiu in caravasalibus Constantinopolitanis haerere. Dominus Joannes Maria, ne omnino expers curarum ac laborum Comaronii desideret, conflictatus est aliquamdiu cum febre Sed jam videtur convalescere. Regia majéstas hic agit conventum cum statibus regni sui Bohemiae, filio rege Maximiliano Viennae in gubernio partium illarum relicto. Singkmoser m. p.

CVIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Ultimis diebus Julii plures a Turca venerunt 1554. sept. 10. tabellarii, ex quibus cognitum est, eum reversum esse a rege Persarum, re citra omne dubium male gesta, hominum facta jactura; caeterum jam ad Erzrom urbem, quam in Persiae finibus ultimam ejus imperii esse ajunt, pervenisse cum exercitu maxime fatigato;

in eaque vel tantisper inmoratus, dum eum reliquae copiae consequantur, cum praesidio, quod in tergo postremorum agminum tuendorum gratia relictum fuerat, Alepum veniet, unde an etiam promovebit Constantinopolim, nondum scitur, nec promoturum creditur. Sed hac via satis; cum solita rem omnem, ut eam ab amicis habuimus, uberius intra triduum prosequemur. Deus majestatem vestram conservet. X Septembris 1554. Constantinopoli.

CIX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. sept. 4. Turcam reversum esse a rege Persarum, re prorsus male gesta, ex ejus tabellariis cognitum est, qui huc de XXIX. et XXX. Augusti, Septembris vero II. III. advenerunt, nec de hoc quicquam est dubitandum. Verum summo studio cavetur ab iis passis, ne strages ejusmodi partim divulgetur, partim sic referatur, uti inflicta fuerit. Omnem industriam adhibuimus, examinatis etiam iis qui cum vulneribus ab exercitu redierunt, ut, uti res omnis gesta sit, cognosceremus, quo plenius de ea ad majestatem vestram scribere possemus. Nobis igitur sic relata est ab amicis:

Ubi primum, inquiunt, iniit Turca fines regni Persiae, ibi mox apparuere Persae aeque, modo a fronte modo a lateribus et a tergo improvisi occursantes, quotidie fere carpebant e Turcis non parvo numero, unisque tantum castris Turcas praecedendo, ita illis omnibus tam diurnis quam nocturnis horis per momenta molesti erant, ut quo tempore potissi-

mum expectari debuissent, ignoraretur. Et tamen ubicunque Persae pridie castra metati fuissent, ibidem postridie Turcae metabantur; hisque in locis castrorum non 50, non 100, aut paulo plura suorum capita, sed semper 500, 600 et 700 offendebant, quae quotidie allata a Persis pro tabernaculo principis abjiciebantur. Quod spectaculum non sine (ajunt) et dolore et conviciis tam Turca ipse quam miles ejus praeteribat. Ac hunc in modum tanquam per manum penitius Turcis in Persiam, ad flumen quoddam usque perductis, quod Ciobanchyu priszy, hoc est: Past - rum Pons conjungit, dies aliquot inter utrosque in stativis consumpti sunt, dum et Turca poscit praelium justi congressus, et rex Persarum non detrectat, modo sine bombardis fieret. Sed demum ubi animadvertit Turca, nihil minus regem Persarum cogitare, quam de dimicando justa acie, et tergiversari, ac solita vafricie tempus extrahere: cupidus etiam ipse in omnem jam fortunam praelium committere, quod hinc jactura militum, quos multiplices morbi et quotidiana velitarium certaminum contentio consumebant, illinc pabuli et commeatuum inopia cogebatur belli finem quaerere, subito consilio flumen transgreditur, delectoque duplici agmine ex Asiatico et Thracico milite cum duobus suis ducibus vulgo beglerbegis appellatis, utrumque jubet procedere et in hostem ire; ipse cum machinis et reliquo exercitu, structis in aciem ordinibus, lentius est insecutus, donec ad urbem quandam, nomine Nahsivanum appelleret, quae monti cuidam Cabdindag dicto adjacet, intra quem et ipsam urbem; Persa castra sua muniverat, et ab initio sese continuerat. Prius itaque quam Turca ad memoratam urbem appropinquare incepisset, strenue rex Persa-

rum antesignanis occurrit, eosque in fugam versos ad exercitum usque cecidit, nec inde ante retulit pedem, quam bombardis esset aversus. Tunc Turca addito gradu progressui, celerius ad urbem infestis signis maturavit. Persa vero destituta civitate, cui nequibat fidere, et cui fortasse totam fortunam suam noluit committere, seque met ipsum conjicere in caveam: omnem peditatum in vicinum montem jubet conscendere, quem dudum stratagemati suo accommodaverat, quo hostem circumveniendum sibi proposuerat. Ipse cum toto suo equitatu post eundem montem abit, perinde ac fugitans, quoniam alioqui neque montis asperitas equitatum admittebat. Turca igitur sine negotio urbe capta, quod vacuam pene invenerat, et subito incendio solo aequata, ratus divisionem Persae opportunitatem suam esse rei gerendae feliciter, confestim montem oppugnare aggreditur, et simul partem copiarum late per eam regionem ad populandum et incutiendum terrorem emittit. Necquicquam tamen utrumque fecit. Quia et populatores fusi sunt, et ad montem aliquot dierum insumptis conatibus, omnes ei impetus vani cessere; quippe eam ajunt esse montis conditionem, tamque opportunum eorum praesidio, qui illum primi insederunt, ut 50 milites Persiani e superiore nixi mille Otomanos ab imo ad ardua emicantes, citra vel unius suorum jacturam fugarint et fuderint, quotiescunque ad manus ventum est. Sed sic ratus et rex Persarum, hoc ipsum facturum Turcam, simul ac Nahsivanum attigisset, et suum exercitum tanquam vera fuga divisum esse cognovisset, circuito monte, cursu haud praecipitato, ut majores animos ea mora hosti attolleret, et oppugnatione montis fatigaretur a tergo, unde minime

etiam suspectus esse poterat, erumpit ac Turcas invadit, dumque in montem omnes intenti pertinacius urgent peditem regis Persarum, premebant ultimo.*) Sed ad stationem principis nitebatur, ferro iter faciendo. Consternatus Turca hoc impetu, perturbatique etiam militum ejus ordines extemplo a monte in hostem tumultuarie conversi, eum et machinarum et scloporum ignibus simul rejiciunt, et ad desistendum a conatibus conclamant, infestum sibi id temporis et reum esse vociferantes. Nec obauditi militum fremitus ut in re trepida, et quasi omnium subiisset animos vincendi desperatio, subito manu signa concrepuerunt receptus et fugae minime simulatae; arreptoque itinere versus eundem fluvium, per quem venerant, sic Persae eorum postrema afflixere, ut non desistere, priusquam ipsum flumen attigerint et trajecerint. Trajecto vero flumine civitatem quandam, cujus nomen non didicimus, offendunt, in qua dum in Persiam transiret, **) aliquot cohortes reliquerat, quae tutarentur Georgianos, qui in exercitu ejus commeatus importabant. In eadem urbe nunc quoque, quoniam ab omni impedimento graviore vacuus esse voluerat, quo levior ad eripiendum sese hosti foret, relictis machinis omnibus et duobus beglerbegis cum valido equitatu et aliquot janizarorum cohortibus, qui et machinis intra urbem essent praesidio, donec secure efferri possent, et foris regem Persarum a se insequendo retardarent, quousque cum fatigato exercitu sine periculo ad Erzrom urbem perveniret. His cum Turca in hunc modum actis, rex Persarum nec eum eo tempore insequi, nec

*) A roncsolt szöveget önkénykedés nélkül nem sükerült volna visz szaállithatnom.

**) Kimaradt „Turca".

praesidium apud machinas relictum oppugnare voluit, sed in Georgianos, qui Turcas commeatu pluribus locis sustentaverant, plenus irarum et memor etiam prioris injuriae, qui secum initio fidem conjunxerant, postea a se defecerant, maximis itineribus profectus, omnes maxima caede, et quidem, ut ajunt, ad anniculos usque infantes, multat, igneque simul ac multiplici alia vastitate illa provincia castigata, opinione celerius et praeter spem omnium revertitur ad Turcam, iter adhuc agentem, strictisque gladiis ad Erzrom usque eum prosecutus, non minorem in exercitum ejus fertur tum quoque edidisse caedem, quam antea ediderat, cura nec praedae nec captivorum habita, sed vulnerum ac caedis. Sic Turca, quem iidem tabellarii graviter aegrotum esse retulerunt, coactus est ab hoste sese recipere, eidem impedimentorum etiam et tabernaculorum parte relicta, quae colligi prae discessu subito nequiverunt. Quanquam alioqui postremo regis Persarum impetu neque potuisset aciem struere et pugnare, testantibus eisdem tabellariis, quod neque janizaros neque bombardas apud se habuerat; huc accedente et meliorum militum absentia, et eorum, qui aderant, consternatione, quos jam soli fugae inclinatos haud facile erat armare et in ordinem redigere. Verum ille quietus regem Persarum ob majoris adhuc victoriae oblatam occasionem hic Turcam deserit, raptimque in eos regreditur, quos a tergo relictos esse diximus. De quibus quid actum fuerit, quicquid deinceps rex Persarum gesserit, quia varie nunciantur, affirmare non satis audemus. Eos tamen duos beglerbegos putant esse Schenderum et Ally passas, de quorum reditu plurimum Turca sollicitabatur, quia jam nunc nihil aliud desiderare dicitur, quam ut ades-

sent, quo haberet quibuscum ab Erzrom urbe recedere, et angustias quorundam montium tuto pertransire posset, quandoquidem in his copiis, quas reduxit secum, parum inesset roboris, quo fit, ut omnes arbitrentur sat secum bene actum iri, si Alepum salvus evaserit. Nec diu jam, quod amici nobis nunciant, majora detrimenta Turcae in bello acceperunt, nec magis suis de rebus dubium habuere, quam hoc; ita ut supra numerum et ferro et inedia et morbis consumpti fuerint, nusquam vel unica dimicatione prospere gesta; quo magis animis dejecti sunt, mutuo colloquentes, Persae se causa pessumdituros. Sed et de Tartaris novum est, qui ad devastandam Syrvanum provinciam ire jussi fuerant. Persae eos sine resistentia et studiose simulata incuria admiserant; verum ubi populabundi latius vagari incepissent, eodem fere tempore, quo et Turca, circumventi sunt, et magna pars caesi, eos vero quos fuga ei cladi eripuerat, Circassorum arma excepere, nec ex 30. ferme hominum millibus valde multi in patriam rediere.

Miseramus ante ad quendam amicum nostrum, hominem Turcam et officio publico fungentem, sciscitatum, quidnam revera tot attulissent tabellarii, fuere enim XIII. Renunciavit paucis: principem suum a rege Persarum rediisse, sed coactum, cum honore nullo, et cum jactura exercitus non mediocri. Caeterum nihil se habere, quo laetarentur, idque nobis ex eo satis esse. Idem et amicus ille significavit, Turcam nimirum male rem gessisse, et reversum esse cum dedecore, ac pudore prohiberi, ne Constantinopolim veniat, cogique, velit nolit, finibus per hiemem imminentem non excedere, si salvos velit; cum rex Persarum sic ei hieme etiam molestus esse poterit,

ut alio quovis anni tempore. Nec esse his de causis dubitandum, quin denuo ad annum insequentem sit reparaturus exercitum, adeo ex hoc etiam praesenti pudore cumulatioribus odiis in regem Persarum exarserit. Jam quod ad summam rei imposterum videtur attinere, postquam sic Turcae primus annus expeditionis Persicae parum ex sententia successit, existimamus duo haec restare nobis cognoscenda. Primum: rediturusne sit Turca ad hanc hiemen Constantinopolim, an non? quem rediturum nemo sane judicat, hoste nec debellato, nec pace secum facta. Deinde: num in annum insequentem sit instauraturus expeditionem, necne? quae ubi cognoverimus, quam celerrime fieri poterit, majestatem vestram certiorem facere curabimus. Reliqua his adjunctis litteris expediemus. Deus majestatem vestram conservet. XIIII. Septembris, Constantinopoli, 1554.

CX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. sept. 14. Ad litteras majestatis vestrae Radosor Gallo datas, nobisque XXV. Augusti et hora fere eadem redditas, qua ipsi quoque ad majestatem vestram nostras dederamus, quod serius respondimus, ignosci nobis humillime supplicamus. Usi enim omni diligentia, ut eotum vel hoc solum rescribere possemus, quod eas receperamus, frustrati sumus, quia jam abierat tabellarius. His igitur defectum supplentes, de Mahumeto interprete et de tabellariis privatim in posterum mittendis meminerimus pro voluntate maje-

statis vestrae. Ibraim passa locumtenens nullum tractandi nobiscum habet peculiare mandatum, de quo aliis litteris plurimum scripsimus. De dimissione Mirandae nihil nunc fieri potest, ut nec de duobus nunciis majestatis vestrae, qui sunt apud nos, Petro et Stephano, quoniam quotquot hic haesimus, numerato custodimur. Nobiscum itaque expectabit. De pecunia designata existimamus Petrum Dellavecchia nihil adhuc cognovisse, et nuda verba Joannis Mariae hic ab amicis non accipiuntur, licet jam binas litteras tum ad eos tum ad nos dederit; nec scimus quonam hoc pacto actum sit, quia hactenus nummum non recepimus, extremam interim necessitatem patientes. Haec ad litteras.

Caeterum passae qui sunt hic, mandata nuper dedere isthuc ad finitimos suos praesides, ut in unum conveniant, et si majestas vestra nihil hostile molietur, ipsi quoque prorsus ab armis abstineant; si vero aggredietur majestas vestra aliquid agere, ut erumpant subito, et eas copias, quae principio concurrissent, curarent opprimendas antequam omnes coirent, uti ad Pallast pagum factum fuerat. Ideo si quid tale forte fortuna incideret, quod non putamus: advertendum erit, ut gentes majestatis vestrae non valde separentur, nec rem quaelibet per se gerat. Idque eo maxime, quod XI. etiam hujus mensis nunciaverunt huc Turcae finitimi, se jam omnes pro mandato principis Turcarum esse congregatos, ideo juberent demum, quid se gerere velint, quandoquidem et majestatis vestrae copiae essent expeditae atque ad vim repellendam appositae, et tempus jam appeteret, quo bellum geri nequit, frustraque interim in otio multa consumerent. Tum rogato nuncio: num maje-

statis vestrae copiae aliqua in parte finium suorum grassarentur, aut occasionem dissidiorum quaererent? respondit: non. Tum passa: ergo nec vos quicquam contra regem attentate, sed ita in armis persistite, donec aliud in mandatis habebitis. Hisque memorato nuncio hunc in modum injunctis, quantum nobis est relatum, sine mora remissus est. De durando itaque in Transsylvania retinenda, quod saepe jam scripsimus, nunc, durandum et persistendum in instituta existimatione maxime censemus, nec collectae gentes tam cito dimitti debent; quia ii cum jam isthinc timere coeperunt, rebus hic improspere gestis, facile speramus fore, ut remittant spirituum magnam partem et aequitati concedant, quod et amici nobis pollicentur, Turcae rebus sic euntibus, ut coepere. Et Budensis ille ciaus, qui cum postremis litteris majestatis vestrae profectus est ad Turcam, nunciavit: vellemus esse bono animo, quia omnia pro voto expediturum se speraret, brevique esset rediturus. Sed necdum id credimus, donec videbimus, quamquam non diffidamus ita futurum, propter praesentem hostium fortunam, quia ita majestati vestrae descripsimus, uti nunc de ea sermo est. Deus faxit ut brevi gratiora etiam scribere possimus. Majestas vestra felicissime valeat. XIIII. Septembris, Constantinopoli, 1554.

CXI.

Gaztelunak Verancsics és Zay.

Verancius et Zay al signor Gaztelu.

1554. sept. 14. E pur fù il vero, che il Persiano non ha . . . animo di far la giornata giusta col Signor Turcho:

truovo perho la stiva di riutar da se il suo inimicho con riputazione. Se ha per le poste suoe, che dal XXIX de Agosto al dì de hoggi in più volte sono giunte à Constantinopoli, che nel vero esse Signor Turcho è ritornato da Persia nelle sue rive, cioe alla città di Erzrom con gente molto dannegiata e straccha, come da altri potrà saper le particolarità del ditto fatto, benchè ancora per esser cosa frescha e vietata dal publico, non se ha à pieno la certezza. . . . . . . gli è mancata molta gente non per spade suol, ma ancora per li mancamenti de vittoaglie e per li morbi de quì causati. Il Persiano dicono che lo sequita ancora e con le soe scaramuzze fa veramente cose di memoria e di essempio, ma perho molte simil relazioni dipoi se haranno à confermare, quando di tutto si verrà el fine. El Signor Turco da Erzrom vene in Amasia, ne ci è nuova certa se vio (?) in Constantinopolim far al inverno . . . . sono openioni varie per due ragioni in tutte due parti; nondimeno staremo à vedere per dar . . . poi lo aviso di nostri clementissimi principi.

. . . .

. . . .

. . . . Cerca la provisione nostra il signor Pietro Dellavecchia ancora tace, perho vostra . . . . i farci dar qualche aviso per soe lettere, quello havemo à sperare, perchè assai patimo di queste. Di soa maestà non dicimo altro se non che li desideramo il prestissimo recapito, ... Da Constantinopoli nel XIIII di Septembre 1554.

CXII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. sept. 17. Turcam adhuc audimus esse in Erzrom, magisque illud affirmatur indies, quod non veniet Constantinopolim, quam quod veniet. Caeterum quoniam anno superiore totam annonam territorii Alepini etiam in insequentem exercitus ejus consumpserat, afferunt nunc in Amasia zanziachato, olim Muztaphae filii, hibernaturum cum parte una exercitus, reliquis vero alio distributis per illorum finium loca uberiora et tenendis praesidiis aptiora. Vulgatur jam paulo latius, quod hac strage amiserit multos supra etiam ducenta hominum millia partim ferro hostium, partim morbis et potissimum dyssenteria. In equis vero et camelis et reliquis jumentis onerariis tanta jactura facta est, ut ea dolentius pene feratur quam hominum. Sed de omnibus paulo post etiam perspectius omnium gestorum veritas cognoscetur, quam nunc, uti initio rerum omnium varie cuncta referuntur.

Caeterum pro pecunia nobis proxime a majestate vestra gratiose dari jussa institimus diligenter et apud Petrum Dellavecchia et apud JoannemMariam, quid tamen hic hactenus effecerit, pluribus jam majestati vestrae significavimus. A Petro quid similiter consecuti simus, ex litteris ejus dignabitur cognoscere quas hic inclusimus. Quum itaque via haec fefellerit nos, immo et majestatem vestram, eidem humillime supplicamus, ut dignetur alio nobis jubere provideri, quia certe diu jam necessitate premimur, aereque alieno ita sumus onerati, ut duorum millium vix tertia

pars nobis supererit, persolutis debitis. Majestati vestrae serenissimae, quod Deus scit, nullo pacto vellemus hac in parte esse oneri, cum bene sciamus, quanta quotidie pecunia exhauritur, quamque ad multa cogitur impendere. Verum magis astringere nos non possumus, quam astrinximus, ne nimio etiam intra modum pro tantae legationis vel potius majestatis vestrae dignitate astrinxerimus, cum velimus nolimus, impendendum sit, etiam si nostra nobis adessent, quae quoniam et hic nulla habemus ejusmodi et domi valde sint tenuia, iterum atque iterum supplicamus, ut majestatis vestrae gratia et liberalitate pro ejusdem et honore et commodo non destituamur. — De ciauso Budensi e porta imperatoris Turcarum nihil postea audivimus. Deus majestatem vestram conservet. XVII. Septembris, Constantinopoli, 1554.

CXIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Duo Budenses ciausi quorum prior Joannis Maria reditum, posterior Comaronii subsistentiam apud imperatorem Turcarum detulerant, ad XXII. rediere Constantinopolim, obtento utroque negotio, in quo secundus profectus fuerat, quemadmodum et ipsi nobis oretenus affirmarunt, et litterae etiam imperatoris Turcarum ad majestatem vestram datae testantur, quarum exemplum Ibrainus interpres nobis transmisit, de quo plurimum gaudemus et Deo agimus gratias immortales; faxit idem Altissimus, ut reliqua etiam omnia succedant majestati vestrae ex sententia. Sed ad cardinem. 1554. sept. 25.

Turca, quod jam hic pervulgatissimum et firmiter verum est, rediit a rege Persarum, rebus hoc anno improspere gestis; adactus est ad hujuscemodi reditum minime decorum, vi morborum qui exercitum corripuerant, inopia commeatuum et potissimum hostis versutiis, quô cum cederetur et affligeretur quotidie, nihil accidit illi difficilius, quam quod pro arbitratu suo copiam ejus habere non potuit; et quia tam intime in Persiam penetraverat, quod imprimis ei dicitur nocuisse, haud dubie extremam cladem accipiebat, nisi mature de regressu consilium occupabat. Turcae his omnibus suppressis, de re bene gesta apud hos gloriantur, satis principem suum fecisse, quod ad ejus partes attinebat, hostem in domo sua quaesivisse, eumque prodire noluisse, sed fugisse turpiter, jamque pro pace ineunda sollicitare, et id genus multa, quae et amici nostri negant esse verum, et quidam plane contraria referunt, ac fidem etiam faciunt, quod alioqui multi spahiae et alii milites Turcici, qui ab exercitu quotidie redeunt saucii, simplicissime de veritate narrant, nihil, dicentes, se praeclare gessisse et jacturam diu majorem non accepisse. Quocirca illi quoque nuncii, qui a Budensi passa cum Turcae litteris ad majestatem vestram expedientur, procul dubio omnia sibi fauste successisse recensebunt, sed eis quomodo et quantum credere oportebit, in majestate vestra est. Nos vero ex his omnibus arbitramur jam iis pacem nostram gratiorem fore, et facturum etiam imperatorem Turcarum aequius majestati vestrae responsum de Transsylvania, si et amicis nostris credendum sit et Turcae litteris, praesertim circa finem, ubi dicit, quod omnia, quantum fieri poterit, bonum majestati vestrae responsum dabit; sed Achmat

passa quoque nunciavit nobis, velimus sedulo operam dare apud majestatem vestram, ut quam celerrime Joannes Maria redire permittatur, uti jam remissurus erat: quo ejus principi in facienda relatione, quam ipse expectat, satisfieret. Rem autem omnem in sua esse potestate, et posse vel tribus verbis aut una inversione manus efficere apud suum principem, ut tota res memorata pro voto majestatis vestrae obtineatur. Ibrainus quoque interpres in exemplo litterarum principis sui quatuor locis nonnulla verba sparsim et transposite interseruerat, monitis nobis, ut ex signatoriis notulis eadem animadverteremus et sensum eorum perciperemus: ‚Scriberem magnificentiis vestris libenter de multis rebus, sed me non possum fidare, quod vobis litteras meas darent. At sitis de bono animo, quia hic habuistis bonum amicum et procuratorem, et sperate quod omnia bene facta erunt; jam etiam regis filio amplius non creditur, quia multoties litteras scripserunt, sed aliter esse invenitur.‘ — Ex quibus verbis tam imperatoris Turcarum et Achmat passae quam Ibraini sic sub nube dictis quantum nobis polliceri debemus, difficile est affirmare in utramque partem. Punica et Turcica fides eadem profecto est, si modo gentem bene cognoverimus; at speciose loquuntur, facileque conjici potest, insignem operam fuisse, qua excussum est de mentibus adversariorum, uti nos saepe alias scripsimus, ne Puer in Transsylvaniam deduceretur. Ubi autem interpres amici et procuratoris meminit, ambiguum est, num de se, an de Achmat passa velit intelligere; arbitramur autem quod de se, a quo hactenus neque salutationem habuimus; propterea de amicitia et opera ejus tam favorabili postea cognoscemus, nihil imterim habentes

quod certo vel sciamus de hostium arcanis vel de totius rei exitu. Unum illud majestatem vestram nequit fallere, quod Turca magno et gravi negotio implicitus est, quo se non ita facile explicabit; hostis enim nondum conquievit, et miles ejus non tantum subsidium exigit reficiendi damna multiplicia, sed etiam quietem exposcit. — De illius itaque adventu Constantinopolim nondum omnino constat, utcunque et ipse princeps ad majestatem vestram scribat, et hic potiores conantur propter externos homines fieri persuasum. Quamquam heri passae edictum per totam urbem circumlatum est: ut vici et plateae mundentur et aedium partes in vicos prominentes ubique repararentur. propter adventurum imperatorem Turcarum: quod in omni principum horum ab expeditionibus in hac urbem reditu juxta veterem consuetudinem fieri solet, nunc hoc fietne an secus, nemo scit. Sed quia ne amicus quidem ille noster venturum adhuc credit, nos etiam haesitamus, brevi expectantes rei hujus veritatem. Imperator Turcarum autem ab Erzrom sine dubio it in Amasiam praeturam, olim Muztaphae filii, quam Turcae Namasiam vocant, jussitque hinc eo sibi summitti per mare Ponticum comeatus hortorum suorum fructus, et equos suos circiter 140, qui Alepi tenebantur, deduci, quod eorum, quos secum habuerat, partem militibus distribuit in exercitu, partem cum stabulo ignis consumpsit. Paulo enim ultra Pontem Pastorum cum regrederetur, in campo quodam herbis et frutetis obsito castra metatus fuerat, quibus correptis igne fortuito, hausit et hominum et tentoriorum et equorum tantum numerum, ut Selymo quoque filio ejus nihil ex omnibus vasis et impedi-

mentis castrensibus reliqui fecit. Quae res loco etiam adversi ominis fertur fuisse accepta.

Sed est et de imperatore Turcarum quod scribamus. Secretarius amici nostri secreti, quem assidue per hoc tempus apud imperatorem Turcarum in exercitu tenuit et adhuc tenet, scripsit ad eum: regem Gallum institisse diebus proximis apud Turcam, ne velit ullo pacto Transsylvaniam majestati vestrae remittere, sed ea concessa reginae Isabellae filio et ejus matri, daturum se filio uxorem et matri ex affinibus suis maritum pollicetur, seque et eorum et provinciae illius tutorem ac procuratorem simul fieri postulat: dicens, se cum imperatore Carolo non facturum pacem, si id ab eo obtinuerit; sin minus, facturum; quod jam unde eum lacessere et oppugnare possit, non facile haberet, et alioqui potentia etiam illius cogeretur. *) Ad haec nuncio nihil aliud responsum esse ajunt, quam quod princeps ejus tanto bello occupatus, et tot aliis privatis negotiis distractus non posset hoc tempore alienis vacare; sicque jejune fuisse expeditum. Cui praxi, si vera est, mature est occurrendum: quam nobis idem amicus bona fide affirmavit, cum de ea neque Verantius admodum videtur ambigere. Annis enim superioribus hoc ipsum negotium magno conatu Petrus Petrowyth ursit cum apud serenissimum quondam regem Poloniae seniorem et reginam Bonam opera ipsius Verancii, tum prae aliis quoque apud Antonium Pullinum, olim apud Turcam oratorem. Resque a Turca prorsus concessa fuerat, verum ab

*) Verancsicsnak a Portához érkezése óta Aramon és Codignac voltak II. Henrik követei Szolimánnál. Működésökről v. ö. Chesneau: Voyages de mr. Aramon en Turquie; Ribier: Lettres et mémoires d' état; Charriére: Négociations de la France dans le Levant.

Heremita impedita est, quod auctoritate sibi jam constituta excludi timuerat. Volebat autem Petrus Petrowyth, ut ille Gallus, quicunque fuisset, reginae Isabellae maritus, regis titulo potiretur, ejusque successio in reginae Isabellae filium, ut primogenitum recidisset; reliquum ut cuique sorte obtigisset. Sic adhuc fortasse eandem insaniam senex ille somniat, et imperator noster in angustiam conclusus, naufragantium more captat omnia, ut mala mens, malus animus non conquiescat a perturbanda republica christiana.

Finem demum in Hruztano passa faciendo, magnopere timemus, ne si homo nemini facilis et majestati vestrae (uti hucusque gessit se) etiam ex professo adversus, pristinae dignitati et loco restituetur, quod et ii ciausi futurum et mussant multi alii, occasionem hanc perturbet, et non Achmat passae solum sed etiam imperatoris Turcarum animum immutet, si quem revera bonum erga majestatem vestram concepisset. Deo tamen committenda sunt omnia, qui aequitatem nunquam confundit, nec perpetuo irascitur. Judicamusque maturandum esse, ut quam celerrime fieri possit, Joannes Maria adveniat, quo, si quid hinc regina Isabella cum Petro Petrowyth, cum Acheronte Gallus cogitarent impedimenti nostrae paci injicere, primi nos imperatori Turcarum advenienti occurreremus, et omnium conatus praeoccuparemus Alioqui ita fiat, ut majestati vestrae videbitur. Majestatem vestram Deus conservet. XXV. Septembris 1554, Constantinopoli.

CXIV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Aestate superiore jussu imperatoris Turcarum missae sunt in Pontum triremes, primum V. deinde III, longe aliis de causis quam dicebatur quum mitterentur, adeo nihil Turcae sine coloribus; nam nec illae transitum Tartarorum in Asiam tutaturae, nec hae III. eas V. in amne Chaside obsessas periculo levaturae, quod nullo loco totum hoc tempus adierunt, submissae fuerant; verum ut a Mangrellis et Georgianis populis supra Colphodem sitis tributa exigerent, et custodirent illud mare, ne quid bombardicarum machinarum ab Europaeis importaretur ad Persas, quod a Caphensium mercatoribus fieri delatum fuit, V. triremes emissae sunt, III vero postea in Maeotin paludem contra Moscos et Russos, principi Tartarorum auxilio, qui Precopenses appellantur, jussae sunt navigare. Nam hae nationes mutuo in eum conspiraverunt, contractaque numerosa hominum in arma multitudine, Tanaique etiam classe imposita, cujus lembi singuli XXV. duntaxat hominum capaces et saichis ac nazadis nostris persimiles esse perhibentur, in ejusdem Tartari fines irruperant, ea maxime temporis occasione habita, qua gentes ejus in Persiam Turcae in suppetias amandatae fuerant. Verum iisdem in finibus retenta caetera multitudine, 30. tantum millia armatorum cum classe miserunt populatum; ante tamen quam triremes ejus modo illuc pervenissent, Mosci et Russi tota ea regione, quam percurrit Tanais, ad Maeotim usque paludem, late populata 1554. sept. 27.

ac Turcae illata etiam jactura, in sua se receperant. Cum enim ea loca teneantur sylvis pene continentibus, multa ex his materia ejusdem Turcae nomine, tum ad triremes et alias naves fabricandum, tum ad omnem reliquum usum lignariorum operum idonea exciditur et congeritur. Ad ea littora forte nunc magna ejusmodi materia reperta, quae inibi opperiens naves vectorias, collecta et coacervata per maritimam oram jacebat, omnem incenderunt. Triremes autem cum ad urbem Capham, quae Theodosia olim dicebatur, in Tauricam Chersonesum appulissent, nunciatum est a Tartaro, non esse jam opus earum auxilio, dudum hostes suos facta praeda recessisse; caeterum ipsae quoque reverterentur Constantinopolim, quia nec Maeotis palus multis locis propius ostia fluminis ejus, quo hostes essent insequendi, ab ea mole triremium posset navigari, quod adhuc aquae humiles forent ob anni tempus. Nunc hae triremes rediere Constantinopolim, quae quoniam hic fama increbuit Durguttum apud Aulonem in Jonio mari ab Andrea Dorio obsideri, dicuntur mitti in Graecciam versus nostra maria, visum quid agatur de Durgutto: quamquam id quoque non sine colore; nimirum quod quorundam pyratarum causa qui Peloponnesi littora et Rhodi percursarent. Quarum profectio, de qua alioqui nondum est deliberatum, quia facile rumores excitabit et longius etiam perferet, suppetias mitti Durgutto, quo nostra classis terreatur, obsessoque grassatori abitu suo faciat effugium: visum est nos rem necessariam facturos, si hoc propere majestati vestrae significaremus, quo si quid tale pro conjectura nostra accideret, mature Andreas Dorius edoceretur, ut obsidionem secure urgeret, et praedonem premeret, quandoquidem nulla illi sum-

mitterentur hinc auxilia, nisi forte si ex Mediterraneis colonis ejus regionis, ad quam tenetur circumsessus, aliquot homines *) illi praemissi essent supplemento earum virium, cum quibus solverat Constantinopoli, tametsi neque hoc auditum fuisse, ab amicis edocemur. Fuere autem in his triremibus Hungari quidam captivi inter remiges, nobis bene cogniti, qui cum haec, tum etiam de Tartaris retulerunt, quos aliis litteris scripsimus apud Syrvanos fuisse a Persis profligatos; eo enim tempore ipsi quoque redierant et in memoratam Chersonesum per Cimmerium Bosporum trajiciebant, cum hae triremes Capham pervenerant. Ajunt enim quod 40,000 profecti fuerant, quorum cum dimidium fere Persae confecissent, tum Circassi, Tauricae Chersoneso contrapositi populi et veteribus juxta Strabonem Zigo nominati, reliquum quoque vix dimidiatim salvos abire permiserunt, faventibus ipsis Tartaris, qui nisi unum ex ducibus sagittae ictu occidissent, qui insignis ejus gentis erat regulus, paucissimis servari licuisset, morte enim ducis sui occupati Circassi pertinaciam remiserant ab urgendis Tartaris, qui hoc interim elapsi sunt impune; tamen hoc fortunae beneficium non cessit eorum ducibus: ab hostium enim servati gladio principi suo poenas dedere, ob rem minus et apud Circassos et apud Persas fortiter gestam. Nam omnes nasis et auribus mutilati sunt. Reliquum est de Turcae reditu in hanc urbem, hibernatum, qui etiamnum ambiguis circumfertur rumoribus. Majestatem vestram Deus servet. XXVII. Septembris, Constantinopoli, 1554.

*) Megfejthetlen szó. Figyelmeztetésem nélkül is észre fogta venni az olvasó, hogy e levél szövege több helytt roncsolt.

CXV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. oct. 1. Duo VIII. et IX. die Septembris supra XX. venerunt ab exercitu tabellarii, plura tamen de Persa quam de Turca attulerunt, sed nondum ad nos alia delata sunt, quam quae litteris ad majestatem vestram perscribere voluimus, data copia tabellarii. Cum jam, inquiunt, decrevisset Turca in Persiam promovere, rite omni ratione de re gerenda secum constituta, versus Pontem Pastorum ducebat exercitum, cis quem in oppido quodam, in quo ante diximus praesidium fuisse Georgianorum collocatum, qui in exercitum ejus commeatus subducebant, majores bombardas omnes, et praecipue XII. omnium maximas, vulgo muristragas apellatas, cum militari praesidio, tamquam in conserendo cum hoste praelio non necessarias, et campestribus tantum avectis, reliquerat. De quarum bombardarum conservatione sollicitus propter hostium propinquitatem, miserat et 10,000 equites et janizarorum partem, qui eas periculo eximerent, et cum praesidio simul ad Erzrom deducerent oppido destituto, cum reliquas ab hoste rediens, licet magna jactura militum, incolumes retulerat. Non latuit hoc regis Persarum filium, qui per ea loca Turcis imminet, et ubique multus vagabatur; unde factus obviam memoratis Turcarum copiis, impetum in eos fecit, consertoque in imo ardenti dimicatione, pugnantibus et Turcis minime segniter, tanta caede ad finem prostravit, damno suorum perexiguo, ut affir-

ment plures, non evasisse, quam quos aut latebrae, aut quispiam casus omnimo insperatus servavit. Versus deinde in oppidum, oppido quoque potitur, totoque ejus praesidio trucidato et oppidanorum plurimis, bombardas abduxit. Quae res simul ac ad Turcam est perlata, subita perturbatione et ira motus, evestigio Achmat passam cum omnibus fere melioribus copiis, spe ductus injuriae vendicandae et jacturae bombardarum recuperandae, si mature hostis assequi potuisset, jussit eum properare. Verum rex Persarum ablatis expedite machinis, et in tuto collocatis, rursus ad hostes rediit, ubi quum Turcis contra se venientibus occurrisset, pedem firmavit, eoque viso firmare se et Turcae. Sed dubium est utra pars metu, utra dolo, quibusve ambo causis; at quoniam Turcae majore numero erant, quam Persae, multi sunt arbitrati, quod Persa a patre majores copias expectaverit, quem ajunt sedere tantum, et huc atque illuc pro rei opportunitate castra non sine magna existimatione sui commutare, et subinde filio novis copiis fatigatarum loco submittendis operam dare. Caeterum cum adhuc et Persae sic starent fixo vestigio, seque mutuo inspectarent, expediti sunt hi tabellarii, quo factum est, ut finem hujusce rei nequaquam potuerunt affirmare, addito tantum hoc, quod imperator Turcarum quoque Achmat passam sequi statuerat, quod non creditur. Reliqua quum assecuti fuerimus, perscribemus. Majestatem vestram servet. *)Prima Octobris, Constantinopoli, 1554.

*) Kimaradt: „Deus."

CXVI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Penultima die Septembris circiter vesperam ad- 1554. oct.
venit huc Petri Petrowyth nuncius; ultima vero fere ante meridiem celeri cura expeditus, in Asiam profectus est ad imperatorem Turcarum. Ejus et adventus et discessus nobis est de industria occultatus diligenter. Occuli tamen vel in tantum minime potuit, quin postridie quam hinc recessisset, eum nos venisse et recessisse, et quibus cum mandatis, si modo amici vera retulerunt, cognoverimus

Nunciat Turcae: nunc demum reginae Isabellae filium firmiter statuisse in Transsylvaniam sese velle transferre, eumque jam esse in itinere, a Transsylvanis tamen, majestatis vestrae praesidiis occupatis non admitti; quare quid in hoc agendum sit, videret.

Novam hanc majestati vestrae sollicitudinem arbitramur partim regis Franciae nuncium suscitasse, quem superiores litterae nostrae in Poloniam fuisse missum declaraverunt, partim Hruztani passae ad reginam Isabellam postremo factus stimulus de filio, Turcae fidei tuto committendo, nisi prorsus velit ejus ope deseri: cujus rei simili modo feceramus majestatem vestram eisdem litteris certiorum. Verum si ad Turcae difficultates respicimus, quibus nunc maximis est implicitus, maximeque distinetur: parum in praesentia omnes nostros adversarios speraremus apud illum profecturos Dei Optimi Maximi accedente auxilio; quod id ipsum amici quoque nostri, qui etiam ex Turcis sunt, pergunt nobis affirmare. At nos nihil

ausi solide polliceri, diffidentes moribus turcicis, judicamus rem tantum mature aggredi oportere, ne, praeoccupantibus ejusmodi impedimentis mentem imperatoris Turcarum, in quo primas consiliorum et voluntatum impressiones plurimum dicunt dominari, morae nostrae imputaretur, quicquid adversum nobis decrevisset. De ejus vero reditu Constantinopolim adhuc rumores variant et latius in dies languescunt quam invalescunt, esto quod maxime primorum studio et subinde novis commentis sarciantur; publica tamen fides eos non recepit, nec eorum qui nos amant: quum et proximi tabellarii 28. et 29. Septembris diei maxime nisi sunt ejus spem debilitasse. Attulerunt enim, Turcam sedere ad Erzrom urbem, nec aliqua infesti regis Persarum causa quippe qui nulla adhuc, nec virium nec animorum parte remissa constantissime ejus vestigiis inhaeret, et majorem aliquam illius inclinationem opperiretur, sicut palam apparet lupum ab eo auribus teneri, quo fit ut illum maxime dubitatur in hiberna Constantinopolis venire posse, seriusque etiam ab Erzrom esse recessurum, quod illico hostis in terga ejus ingrueret, premerenturque non solum ultima exercitus agmina, verum etiam limites illarum regionum, quas destitutas reliquisset.

Quoniam itaque ejus reditum omnes majores persuasum ubique in hunc modum esse volunt, eo primum studio, ut existimationi ejus consulant; deinde hostes Europaeos teneant sollicitos, praesertim vero mejestatem vestram: dedita opera hinc quoque missi sunt, qui istos fines compleant hujusmodi rumoribus; eis tamen majestas vestra nullo pacto interea temporis moveri debebit, donec et hic perspectius consta-

bit, et nos eandem faciemus certiorem. Advenere sub hoc tempus et alii a Turca tabellarii, qui nunciaverunt, Achmat passam brevi cum rege Persarum pugnaturum, et opinari jam pugnavisse, quod eum in locum propius ejus conspectui descendisset, ex quo gradum revocare minime potuisset, nisi commisso praelio. Hoc autem ita evenisse narrant.

Persae quidam regulus summae inter alios authoritatis et homo opulentus ad Turcam defecerat, cui cum et viae dux et locorum demonstrator extitisset, tum commeatibus etiam illum juvit, et quicquid consiliorum Persae conscius fuerat, eidem patefecerat. Regresso itaque Turca ex Persia, et ad urbem Erzrom firmato, primum omnium reguli hujus rebellionem duxit sibi esse ulciscendam, quo postea excedentem hostem prorsus e suis finibus, eum facilius, domique nihil interea veritum urgere et vexare posset. Quare in ditionem ejus ducto exercitu, arcem praecipuam Erdewil appellatam, quam illi antea ob antiqua merita dono contulerat, obsedit. Ipse autem regulus quoniam domo sua profugerat, Persa in omnes partes ejus regionis miserat, qui illum ad poenas vestigarent. Quoniam vero a quo profugus sperare opem potuisset, neminem habebat praeter Turcam, nuncios ad eum jussit contendere, qui declaratis officiis quae in illum ea expeditione contulerat, auxilium implorarent; par esse, inquiens, ut si ipse a Turca ad eum accessione adjutus fuerat, ab eo vicissim juvaretur. Non iniqua visa est Turcae postulatio, ratusque subito esse succurendum oppresso foederato, haud moratus diu, Achmat passam cum exercitu ferme LXXX millium, quidam decem adhuc addunt, summisit ei auxilio. Sed hoc interim bombardas quoque de quibus proximis

litteris explicatius scripsimus, placuit prius recuperare, de quibus et bombardis et iis qui recuperatum eas profecti fuerant, quid successerit, eaedem litterae ostenderunt. At Persa Achmat passae adventu cognito, regulum, qui jam veniam implorabat, mature in gratiam recipit, tota ei rebellione condonata, junctoque suo exercitui filium quoque accersivit. Achmat passa vero filii vestigia subsecutus eo demum perductus est, ubi pater castra habebat. Hoc itaque loco quoniam visum est regi Persarum non eo cum robore Achmat passam venisse quod adoriri pavesceret, pugnare secum constituit Verum Achmat passa quoque referre illinc pedem pudore prohibitus et praelium inire non ausus temere, dictus est imperatori Turcarum nunciasse eum se in locum esse redactum, ut ex eo sine dimicatione nequeat regredi. Caeterum quia ipse par regi Persarum non sit viribus, majores ei copias et janizaros summitteret. Sic iidem tabellarii principem ipsum cum reliquo toto exercitu eodem contendisse retulerunt, quod non omnes credunt. At jam tantae aleae casus intentissimis animis expectatur.

De Hruztano passa iterum adversa increbuit opinio. Cujus nunc fortuna refluxus cujuspiam marini instar vices reciprocat. Gravissime ajunt principem fuisse indignatum, quod maneret Constantinopoli, lege gentili prohibente, quae exauctoratos passas officio vesiriatus vetat hic vel diem unum morari. Jam itaque III mensis agitur quod sedet Scutari, ubi peculiares habet aedes et templum et hortos; feruntque quod illi praetura cujusdam zanzaccatus ingeritur, ut tandem ab hac urbe facesseret. Sed ipse ejusmodi praeturas omnes adversatur, et solam diu jam Budam ambit, quam tamen judicio multorum nunquam assequetur, quoad Achmat passa praeerit rerum im-

peratoris Turcarum gubernaculis. Faxit Deus, ut et hic et istinc quam diutissime absit, licet ubique felix. Majestatem vestram Deus servet. IV. Octobris, Constantinopoli, 1554.

CXVII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. oct. 9. A V. die mensis instantis bini jam supervenerunt ab exercitu tabellarii, qui non alia de regis Persarum constantia et de difficultatibus ac jactura imperatoris Turcarum attulerunt, quam superiores. Persam siquidem integrum adhuc et validissimum esse, infestumque hosti, modo hic modo illic imminere, nec illi ullo loco facere sui facultatem, cum negotium interim ubique injiciat, et semper aliquid militum ejus conficiat; exercitum Turcae imminutum et fessum, et multis difficultatibus esse afflictum, pressumque, nec diutius apud Erzrom quoque posse subsistere et cogi illinc in uberiora loca, quibuscunque modis fieri poterit, quamprimum se recipere. Qui vero postremum advenerunt, eundem in Cappadocia apud Amasiam hiematurum, quae est et provincia et urbs, ad Irim flumen sita, jamque ab Erzrom movisse, seque triduum initio secum processisse, retulerunt, quo hinc quoque haud ita multo pridem aucupes suos et venatores, pannumque janizaris vestiendis, et commeatus fructusque omnis generis hortorum suorum cum aedilibus, qui ejus loci habitationes, in quibus Muztapha filius habitaverat, curarent ac reficerent, prouti praeceperat,*)eaque dudum ab hoc passa Ibraim passa omnia sunt summa diligentia executa. In Persae finibus relinquit locis opportunioribus praesidia, quibus

---

*) Kimaradt: submitti jussit, vagy hasonló valami.

passae III. potissimum praeerunt: Schender et duo alii, quorum alter Aegypti provinciam obtinet, alter est Eunuchus, qui Budam paulo ante tenuerat. Sed in his praesidiis tanta spes est) vel ipsis Turcis, ut qui verius sinceriusque his de rebus loquuntur et citra omnem gratiam sentiunt, jam de eis actum putant, idque etiam prius quam munus designatum iniverint; Persam, dicentes, solius Solimani praesentiam vereri ob illius fortunam, cum qua cominus suam committere etiam paterno testamento memorant esse prohibitum. Milites ejus quantovis numero fuerint et quicunque duces illi opponentur, nulla aestimatione metiri. Si quo autem casu haec omnia secus evenirent et contra omnium opinionem Turca huc promoveret, quod sine dubio graviores curas nobis injiceret, sentit amicus ille noster secretus, quod aeque tali tempore nihil nobis durius esset metuendum, ac si in Asia intricatus teneretur incepto bello, et rationes subjicit. Primum: quod biennio vires suas reficere et accepta apud regem Persarum detrimenta reparare minime possit. Deinde: cum ei et aetas satis jam gravis reddita et consuetus morbus otium suadebit, tum uxoris, foeminae sagacissinae suadela, quae apud illum plurimum gratiae et authoritatis habet, omnes artes et conatus intendit, ut sublato filio, imperii aemulo, eum a belli studio avocet, et ad pacem tam cum rege Persarum quam cum majestate vestra facienda perducat, praesertim cum ea jam et a majestate vestra offeratur, et habet dudum firmata cum aliis quibusdam foedera. Cujus sententiae dicebat et Hruztanum passam esse, qui cum hac muliere conjunctissima tractat consilia, quandoquidem vel ejus solius ope etiamnum tam in vita quam in honore, si quis illi est reliquus, susten-

tatur et retinetur, ne prorsus concidat. At contra secus etiam de hoc idem amicus noster sentit et disserit, inquiens: quod nequaquam Achmat passa, simul cum aliis sui collegii passis permittit, quantum suadendo et consulendo valuerit, ut hoc tempore idem imperator Turcarum repetat urbis hujus otium et quietem, rebus in Persia tam improspere gestis, hosteque adhuc finibus imminente, longe in exitu rei graviora,*) quam quae ad id tempus intulerit, veritus potissimum ne Hruztanus passa studio socrus et uxoris et cognati Bajaziti in pristinae dignitatis statum reponatur, pro quo multum diu jam laboratur. Deinde ne si rex Persarum fines ejus invaderet, eosque simul cum praesidiis damno afficeret, in se et in collegas suos iratus animadverteret, quod illi salubria non consuluissent. Haec et similia loquuntur hic de hoc Turcae reditu, quae quoniam utique habent in se aliquid considerationis, existimamus nos non facturos superflue, si ea majestati vestrae perscriberemus, illud dicendo in summa, quod cum Turca pessime hoc anno actum sit, quodque omnino de ejus huc adventu dubitatur.

Quod ad remissionem Joannis Mariae attinet, nos jam aliud nescimus, quod dicamus, quam quod videretur nobis, ut tandem omnimo remitteretur, qualicunque cum responso, quia veremur Turcas imposterum nullas de ipsius mora excusationes accepturos, cum ad hoc et de hac pace quid demum fieri possit, operae pretium foret, si adhuc per hanc hiemem majestas vestra haberet compertum; aliunde timemus non parum infidae gentis ingenium. Consilium tamen et imperium majestatis vestrae est, nostrum jussa capessere et exequi.

*) A szöveg e helytt is össze van kuszálva.

Cum haec jam exarassemus et vellemus literas claudere, accepimus tristissimum nuncium de Fylek arce a Turcis Zecieniensibus furto intercepta. Quod etsi adhuc non omnino ad credendum induci potuimus, quoniam tamen assueti sumus malae ejusmodi fortunae miseri regni nostri intemperiis, timemus, ne sit verum, quia jam et Turcae hinc nunciatum est in Asiam, et ad nos plures homines detulerunt. Meminisse autem vestram majestatem non dubitamus, quod superiorum mensium litteris scripsimus ad eandem de hujusmodi dolis Turcarum, quibus sub compositione priorum induciarum quinquennalium alias quoque quasdam arces interceperant; monueramusque humiliter, ut nunc idipsum caveretur, et dignaretur majestas vestra gentes jam conscriptas non dimittere, donec de pacis hujus fine constitueretur; alioqui nunc etiam vel propter existimationem tuendam maximopere necessarium est, ut majestas vestra gentes in promptu habeat, et diligentius arces et fortalitia ejusmodi custodiri jubeat. Quia si plura loca similia hoc pacto per furta hostium et incuriam custodum adimi incipient, multum certe majestati vestrae etiam apud hostem, nedum apud alias nationes (de quo veniam postulamus) existimationi derogabitur, idque non solum in rebus aliis, sed etiam in conficienda pace, quandoquidem pluris Turcae majestatem vestram facient, si armatam et potentem et semper paratam viderint ad propulsandas et retorquendas injurias, quam si mille foederibus et amicitiis conjunctam sibi habuerint. Quantum autem expeditio Joannis Mariae tam sera nocuerit, non est nostri judicii, cum quae isthic fuerit causa, non omnino intelligimus. At hic Hruztani passae quidam familiaris quaesivit

a nobis: si Fylek arx ad Budensem regem an ad Viennensem antea pertinuerit? intelligendo per Viennensem majestatem vestram et Joannem per Budensem. Respondimus: male Turcas ejusmodi distinguere; caeterum majestatem vestram totius regni Hungariae esse regem, dominumque arcis Fylek ad eandem pertinere, immo et eidem arcem memoratam dono a majestate vestra fuisse collatam. Tum ipse: hoc et nostri domini sic intelligunt, vos tamen scitote, quod si dudum rex vester Joannem Mariam cum tributo remisisset, non haec accidissent. Verum plura adhuc similia committentur, nisi cum tributo maturabitur. Nam ubi primum constiterit, quod tributum rex vester non miserit, imperator quoque noster solutum se esse ab exercitu (?) fide intelliget. De his nos cum homine privato latius loqui destitimus Quae qualia sint, majestas vestra dignabitur expendere et nos gratiose edocere, quid agendum erit, quanquam per Joannem Mariam omnia simul expectamus. Deus majestatem vsstram conservet. IX. Octobris, Constantinopoli, 1554.

CXVIII.

Gaztelunak Verancsics és Zay.

Verancio e Zay al signor Gaztelu.

1554. oct 9. Per el passato spazzo havemo scritto à vostra illustre signoria et etiam per un gentilhuomo . . . S. Bartolomeo Fazzini che vene costì col clarissimo bailo Veneto el passato anno, assai copiosamente delle cose di quà . . . . in resposta delle soe de 16. e del 17. de Agosto, e ditte letere sarano consignate al S. Pietro Dellavecchia hora se

ha . . . questo Signore non ha potuto far niente al Persiano, e che astretto di grandissimi bisogni castrensi e difficultà e trachezze se ne torna in Asia ne si tien ancor firmezza . . . .

. . . .

. , , ... benchè . . .

. . . . sono fatte per suo acommodamento tutte le debite provisioni, si de vittoaglie como de altre cose necessarie per invernarvi; li ultimi corrieri dissero che hormai se havea incaminato da Erzrom. Si dice e conferma molto più, che se havesse fatto la giornata da vero col suo inimico . . . tuttavia quì si copre con mille veli, però tanto non si puol coprire, che nel coprire più e con maggior diligenza la verità per se istessa no si scopra. Il Persiano sta ancora in campagna intiero e forte a sufficienza per questo e . . . . per darli al fine nel suo ritorno qualche botta, affermando ciò e publico e privato. De Durgutto quello si favellava . . . . . prima si per le lettere de vostra signoria, come per populare fama, esser la cosa sua multo astretta di periculo, hora si divulga tutto il contrario, di maniera che dicono lui ritornare caricco di spoglie e di prigionie chè in luogo nessuno haveva veduto la armata nostra. Degli maneggi nostri altro no havemo chè, oggi sono . . . . giorni alla partita del corriere, che portò al serenissimo re nostro signore quello che da voi ricercava. Per la spedizione del signor Malvezzo ne dubitamo che di curto se incaminarà verso di noi, attento che hormai è tempo che faciamo qualche fine à questa nostra impresa, ...

. . . .

. . . .

. . . Ieri arrivò quà il corriere dei Veneti, per lo qual esparavamo qualche lettere si di vostra signoria come di soa maestà, ma nullo ricevemmo, per tanto se quella ne havia scritto per suddetto corriere sarà contenta di darne aviso per el prossimo che verrà. E con questo offriamo li nostri servizii et pregamoli ogni felicità e bene. Da Constantinopoli nel IX. di Ottobre 1554.

CXIX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. oct. 30. Nos cura intentissima sumus, ut certo intelligamus reliquum expeditionis Persicae, et quid demum de Turcae reditu Constantinopolim, quid de pace cum rege Persarum ineunda sit futurum, de qua, cum adhuc Turca apud Erzrom moram traheret, coeptum est agi, movente ejus initia (ut amici nostri dicunt) non Persa sed Turca, quorum movendorum provinciam injunxerat Ajaz passae, praesidi Babiloniae, quod is in utriusque finibus praeturam regens, visus sit ad id prae caeteris magis opportunus et idoneus. Quibus de rebus in utramque partem multa quotidie afferuntur, adhuc tamen de ejus reditu, ut hucusque, ambigitur, nec rediturum quisque plane credit, nisi si pax consequetur.

Tabellarii qui XIV. et XX. Octobris et jam diebus inde singulis adveniunt, Turcam et pacem cum hoste fecisse, et haud dubie rediturum praedicant. Af-

firmavit haec ipsa nobis et Ibrainus Polonus interpres Turcae, jam in Junusbegi locum asscitus, qui XXII. ejusdem appulit huc orator missus ad Venetos. De hoc nuncio perferendo delegati sunt et per provincias ac loca potiora plures alii nuncii, qui hanc laetitiam subditis quoque annuncient, iique mustulus — chyamus — tuluk, hoc est, a strenis, quas illis ex more viritim omnes porrigere solent, appellantur, quando principes Turcarum salvi et victores a bello revertuntur. Venit et summus aga janizarorum cum parte cohortium suarum, qui simili modo principem antecedere consuevit, quocunque illum proficisci contigerit. Egerunt etiam hae duae civitates proximum triduum, adjunctis noctibus, publicam laetitiam in triumphi cujusdam morem de mandato imperatoris Turcarum ob ejusdem victoriam et salvum reditum, quae caeteris quoque provinciis edicta est, cum adjunctione gravissimae poenae, quicunque pompatice et propalam non laetarentur. Adhuc tamen nihil omnino creditur, et omnia dicuntur ad speciem esse imperata, quo suppressa rei veritate, commentitiis ejusmodi involucris suspensos teneant Christianos, et quae minus feliciter et speciose gesserunt, obducant. Quae cum alii quidam familiares nobis homines nobis coram retulerunt, tum amicus ille secretus nunciavit; nec pacem adhuc factam esse et futuram perdifficile, si fiet; nec rediturum Turcam interim Constantinopolim, nisi jam confecta ipsa pace. Consuevisse autem crebro populum fallere et ducum janizarum adventus et omnia alia hujusmodi argumenta reditum Turcae significantia. Se vero homini suo, qui est in exercitu, praecepisse, ut cum de his plane compertum habuerit, statim ad se perscribat. Nec illum quicquam

. . . . . negotium et redit
. . . Ieri ar r. Rem cum
qual esparavar iestati ve
ria come di at, n
tanto se que
sarà con
verrà. m est;
gamo' summum virum,
IX. iam tamen et Turca supe
iones ingerit, et rex Persarum de se
e sentiat, cum ultra alia et ille filium hu-
sidem (pacis pignus firmiter duraturae) exigat,
et hic nihil minus velit, quam se privari filio, et hosti vel ulla lege graviore, indignioreque obstringere: maxima eos omnes, qui extra vulgus sunt, habet dubitatio, pacem inter illos memoratam posse componi. Turca tamen dimisso regis Persarum oratore cum his conditionibus, quas ex se ipse offert et ab hoste postulat, Amasiam versus movit, in quo donec ab eodem vel consensus vel voluntas tantum referetur, qua declarabit, quid praeterea velit, immorabitur. Sub his diebus venerunt huc et a medico Turcae ad suos litterae, quibus scripsit, brevi se cum imperatore Amasiae futurum; caeterum scirent pacem sedulo a rege Persarum agitari, quae si confierit, citra omnem moram et recta venturos Constantinopolim; sin minus, in eadem urbe hiematuros. Nos his magis ad credenda ista inducimur, quam multorum aliorum sermonibus. Privatum enim agens cum familia negotium idem medicus, nullus affectus rerum publicarum videtur in eo esse suspectus. Verum de his quantum nos affirmare majestati vestrae debeamus, non habemus, cum firmiora nondum consecuti sumus. Et ne illud etiam omit-

...tur, quod argum ... amicum habere. Haec
negotia in s ... isset, adjecit se longe
nem fecit ... tis, nec potuisse non
r, ii s ... magnitudo omnia
re ... e crederet, quod
... tura fortunam,
... ejus magis ac
, am ... ium patrem
que alia susp ... haec su-
...m supra duo circiter ... manter,
quia nondum aliud planius ... vestra
res divinationes non attendimus, ... num
videntur versari circa Hruztani pa...
Turca ipse, ut vulgatur, cuncta cum ho...
fecisset, quid attineret tam diu exercitum in
detinere? Unde quia nec per se est adhuc dimis...
exercitus, fit ex utraque, ut serius et Turcae reditus
persuaderi, et minus etiam pax sperari possit.

De legatione Ibraini ad Venetos longe alia est multorum ac etiam amici nostri opinio quam ea, quam ipse haberi studet. Non enim, ajunt, nuncii tantum hujus perferendi gratia missum esse, sed majores huic praetextui subesse causas, quas celari volunt. Nos adhibita omni diligentia, ut de commissionibus ejus aliquid cognoscere possemus, relatum est primum: communicaturum quoddam Turcae cum eis arduae cujusdam rei consilium, et inde cum redierit, mox ad regem Poloniae quoque profecturum, jussumque, ut hoc iter quam expeditissime et quam celerrime conficiat. Deinde Seryphum regem maximos apparatus bellicos contra Turcam facere, quibus et Gallus et Turca ipse magnopere solliciti, novos quosdam conatus non in Seryphum, sed etiam in sacratissimum imperatorem nostrum aggressi sunt intendere, quum de ejus maje-

statis tum auxilio tum consilio omnem rem gesturum Seryphum habent persuasum Quicquid itaque simul ii duo parturiunt, a rege Franciae putatur esse inventum, quod quia non ita facile proditurum sit in lucem, operae pretium fore putaremus, si aures aliquae majestatibus vestris Venetorum haberentur. Caeterum si haec Seryphi futura est haud falso expeditio, idque in hunc modum, quo refertur, rex Persarum etiam quapiam via continendus procul esset a Turcae amicitia, qui nunc certe demum serio premendus esset, hoc durante bello Persico, cujus initia tam improspera et damnosa habuerit. Nec nos plura dicimus, cum videlicet quomodo fieri debeat quod gesturae sunt vestrae majestates, satis bene ipsae novere.

De rebus aliis.

Nuncius reginae Isabellae, qui vere proximo cum II. collegis venerat ad imperatorem Turcarum, a quo reversi et hic ab invicem digressi, collega in Poloniam, ipse vero ad regem Franciae abierat, uti tunc ad majestatem vestram scripseramus, hodie fere mensis est, quod rediit via Ragusii per Bosnam, quique eum videre Belgradi cum imperatoris Turcarum homine, nobis retulerunt certa fide,*) quanquam serius, eadem autem regina Isabella quonam animo hoc jam tempore gerit se cum vestra majestate, nescimus. Scripsit tamen superioribus diebus ad Turcam, egisse majestatem vestram apud fratrem suum regem Poloniae, ut suasu ejus induceretur ad rejiciendum studium rehabendae Transsylvaniae; et ei, suo, filiique nomine significaret, affatim a majestate vestra esse utrique pro Transsylvania satisfactum, nec se imposterum cura! illius laboraturos; et magnitudinem ejus obnixe oraret, ut eandem Transsylvaniam velit majestati vestrae

*) Kimaradt valami.

lubens permittere, et eandem amicum habere. Haec itaque quum fratris gratia perfecisset, adjecit se longe alium animum habere a suis scriptis, nec potuisse non vinci fratris petitionibus, at ejus magnitudo omnia scripta ejusmodi haberet irrita, neque crederet, quod ullo tempore sit ipsa filii sui jugulatura fortunam, quin potius indies illi eam aut pupillum ejus magis ac magis commendaret, cum alium tutorem, alium patrem non habeat, et similia. Portenta plura nobis haec supramemoratus interpres retulit et quidem affirmanter, quare si quo pacto speciosius cum majestate vestra agit isthic regina Isabella, dignabitur malum animum ejus ex his perspicere, quae hic agit.

De passis quoque qui Turcae sunt a consiliis, hoc novi est: nunc demum apud urbem Erzrom suppletus eorum numerus, duobus prioribus Achmat passae et Ibrain passae duo alii Mehmeth Graeciae beglerbegus et Ally qui Aegypto praesidebat, adjecti sunt. Sed Achmat passa pronunciatus est primarius, qui annum jam eo loco et functione potitur. De Hruztano passa nulla mentio; et si sanzaccatum, qui offertur, non acceperit, varia multi opinantur. Translati sunt et alii quidam Turcae ad majores gradus, inter quos Ladislai quoque More filius natu maximus, et ille nothus, creatus est magister curiae janitorum, quos capicias vocant. Pater in arce Septiturri, quam Turcae Gediculam nuncupant, sine omni prorsus et nomine et splendore delitescit; nec est sine custodia, quam honestam dicunt, quia parum illi credunt.

De II. millibus ducatorum nihil adhuc est executum, nec quisquam etiamnum occurrit, qui se executurum nobis ostendit. Male certe nobiscum agunt, quibus est ea cura demandata. Deus majestatem vestram conservet. Constantinopoli, ultima Octobris 1554.

CXX.

Gregoriancz Pálnak Verancsics.

Paulo Gregorianzio Verancius.

1554. oct. 31. Non committo ad te ut non scribam aliquando; verum quod non crebro, ut tu cupias et ipse debeam propter tuam erga me summam benevolentiam, dudum novisti causas, quas accusare debes. Res itaque ponderis et quae publicae rei nostrae statum respiciunt, tutoque nudis litteris in epistolas mitti nequeunt, habes ex notis, quas cum collega meo ad regem damus. Tecum ipse familiaria tractabo, quaeque in vulgi rationibus posita, sine etiam notarum velamentis tuta sunt. Haec autem tantum jucunditatis adferent, quantum poterunt peregrina, quae quidem sunt ejusmodi, ut nostris proprius comparata, magis rideas quam admirere et pensi facias. Totum hoc triduum ac trinoctium proximum ob res Turcarum bene apud Persas gestas, quod ipsi credi volunt, deque ejusdem salvo a bello reditu, publice hic in triumphi cujusdam speciem acta est laetitia, quam tibi paucis descripturus, ne hujus gentis triumphi formam ignores, talem fuisse scito. Denunciata enim populo memorata laetitia a praeconibus per insigniora urbis loca pridie quam agi incepisset, poena etiam omnibus est gravissima constituta, quicunque propalam laetari aut respuisset aut neglexisset. Consuetum hoc Turcis laetitiae genus est, quod jam pridem a majoribus in Europam transgressis acceperunt, quandocunque eorum principes aeque et victoriis potiti et jacturas passi, vel etiam aspecto tantum hostili solo salvi ab expeditionibus revertuntur; nihili hominum caedem, ut terrae filiorum, quo

genere apud Turcas omnes fere habentur, quod pauci parentes cognoverunt, nihili dedecus, nihili demum omnia detrimenta aestimantes, principe sospite et reduce. Si vero a me quaeris, quid sibi isthaec laetitia? Triumphum equidem ipse arbitror, consideratis causis. Quid Turcae? Hos quoque istud ipsum arbitrari puto, sed prorsus ignorare, quonam magnificentiae apparatu, quo sumptu, quo ordine ac ratione fieri deberet, propterea dum se triumphare magnifice existimant, nundinarum quarumdam, mea quidem sententia, simulacrum referunt. Omnes enim cives quibus est domus et res, nullo ordine et conditione excepta, suggestus quosdam assericios prae aedibus singuli opere tumultuario construunt, inde quicquid cuique est laneae, lineae, sericiaeque supellectilis quam in pretio ponunt, rerumque aliarum, quae spectari, admirari et detinere oculos hominum valent, producunt, suggestum late circumvestiunt, consternuntque pictis tum stragulis tum tapetibus, appositisque etiam circum pulvinaribus, sed non iis, quae deorum olim immortalium erant, quamquam alio atque alio speciosiore phrygionum opere eleboratis, aut saltem auro sericoque intextis pannis, ut cuique fortunae sunt, obvolutis; demum ipsi etiam festis induti vestibus, consident quique in suis, et die noctuque in aperto epulantur, tantumque vel ex lege quilibet obsoniorum in culinam conferre debet, ut nullo ne momento quidem cesset cocorum ministerium, et omnibus transeuntibus qui vel sponte sua ad se diverterint, vel comiter invitati et attracti fuerint, epulae identidem apponi possint. Magis autem multo laetitia atque ardor ejusmodi convictus fervet aestu atque ad lychnos, quorum per coronam laquearium suggesti, quam plura quisque possit, suspendunt, vi-

gilante interim reliquo populo pene universo et per urbem divagante, quam ardere totam diceres, tanta ubique lychnorum copia per vicos lucet, nec is omnino apparatus posset dici confusus, quia quilibet mechanicorum pro suo artificio proponit sua opera, suas mercator merces, pictor tabulas, miles arma, et alii in hunc modum alia. Quibus vero fortunarum et supellectilis speciosioris minus est, ut multis civibus nulla professione praeditis, ii commodato acceptis rebus exornantur, et coquinae addunt si non pretiosiora, at oriza tantum, ut excedat ordinarium. Verum caput hujus tantae laetitiae in II. bezestanis cernitur, ubi omnia praestantiora exponuntur, quae ad pannos duntaxat serico divites et auro clavatos attinet. His enim quilibet institor supra suam stationem sic murum obducit quam possit elegantius, ut quaecunque obtutu percurreris, pannos duntaxat ejusmodi et epulantem turbam eminentius in suggestibus ibidem quoque excitatis aspicias, sine tamen foeminarum consortio, quibus ne templa quidem fas est accedere, musicoque instrumento admodum raro admisso, tuba vero et tympano et fistulis prorsus nulla; colloquendo epulandoque tota haec sive erit laetitia sive triumphus celebratur. Hi autem bezestani II. sunt porticus quadratae, sed in plures testudinatas cryptas, pilis crassioribus, quanquam minuto lapide structis sustentatas, distinctaequae, obtinenturbis emporium,in quo quicquid opum rerumque pretiosiorum possident etiam privati homines, servatur et reponitur, tum propter metum incendii, tum ingruente tumultu aliquo janizarum, potissimum autem in principum mutationibus. Visitur autem ab exteris, ut quiddam pro Turcarum judicio rarum et excellenter conspicuum, nullibi visum. Passae,

caeterique urbis magistratus intra tecta, solis vacantes epulis, celebravere laetitiam, oratores largius assentati, quidam ludos etiam et certamina quaedam edidere in publico praemiis propositis. Nos pendente adhuc pacis nostrae cum Turca fine, caventes ne notaremur, si aut parum aut nimis ostentassemus animos, mediocritate usi sumus. Valvas enim hospitii malis haud tamen obscuris obduximus tapetis, epulasque magis copiosas quam sumptuosas suppeditari in suggestum nostrum curavimus, ut quicunque accurissent, omnes quod manducarent praesto atque ubertim haberent. Hujuscemodi triumpho Turcae prosecuti sunt sospitis imperatoris Turcarum reditum, nec aliud quicquam in eo mihi accidit magis admirandum, quam quod in tanto concursu convictuque et compotatione gentis barbarae et ferae, quae cum pota est supra modum, non stertit aut leniter jurgatur, ut potatores nostri, sed immaniter furit, nullae lites, nulli tumultus inciderunt, ne turbulentiores quidem in tam multa et varia turba exauditae sunt vociferationes Unam domum agere diceres, quod agebat tota civitas et ea quidem quae vastissima est, crebrasque habet solitudines totis jugis interclusas, licentiae et latrociniis peraccomodas; quod tamen mitibus Turcarum moribus nequaquam tribuas, sed janizarum fustibus, quorum per singulos pene urbis passus dispositae stationes omnium prohibebantur insolentiae; hic triumphi hujus, hic laetitiae finis fuit. Caeterum a me ejusmodi habebis etiam posthacc, quaecunque inciderint in his locis, neque ullo tempore patiar ut officium meum desideres. Quae vero isthic accidunt, si ea tu quoque ad me perscribes, quoties erit cui litteras dare commode poteris, aeque mihi gratum feceris, ut a me tibi fieri cupis;

cum inter amicos officia tunc producent fructus uberes et suaves, cum sint mutua.

Vale, et me absentem non solum diligas, sed etiam authoritate tuearis, siquid invidiae negotiique ab aemulis objiceretur. Constantinopoli, ultima Octobris 1554.

CXXI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. nov. 4 Turca nondum pervenit Amasiam; caeterum de futura pace cum rege Persarum indies magis ac magis dubitatur, quidam etiam palam loquuntur, nullo pacto futuram, in qua sententia etiamnum amicus noster firmissime persistit; de adventu vero ejus in hanc urbem etsi nondum sublata spes est hominibus, vix tamen ajunt per totum Decembrem affuturum propter pacis occupationem, quo facile patet non venturum etiam postea, si ad hoc tempus non advenerit, propter rigorem hiemis. Nationes tantum nostras eludunt ejusmodi rumoribus, quod ex eis etiam non pauci fatentur. Certiora de his ne nunc quidem scribere possumus. Hruztanum passam audimus jam decrevisse provinciam Peloponnensem suscipere; conscripsit nuper certum numerum equitum, familiam vestit, et sclopos ad mille fieri facit, quibus apparet spiritum non dejecisse et meditari quippiam, quod aliter atque aliter interpretantur. A populo proxime in ejus aedibus duae schedae repertae sunt, forinsecus occulte injectae, et singulae singulo die, quibus varia continebantur convicia, absterrebaturque, ne tantam sibi pollicere-

tur securitatem, quandoquidem nondum evasisset. Quo magnopere dicitur perturbari, sed spes in socru omnis est. Nos sciscitati ab interprete Ibraino de restitutione ejus in pristinam fortunam; respondit pleno ore: nihil minus futurum, decretumque apud imperatorem Turcarum dudum esse, ut ea careat. Caeterum nec Achmat passam adeo desipuisse et parum decore de se sentire, ut illud vesiriatus officium tam serio subisset et gessisset, spoliato etiam Hruztano passa sine ullo respectu praediis quibusdam ad hoc ipsum officium pertinentibus, si sibi firmiter permansurum nescivisset. Opperiremur praeterea breve tempus, visuri alia quam haec dies haberet. Hic Ibrainus quoniam mancipium est Achmat passae, et pollet prae multis aliis apud illum authoritate et gratia, omnium principum oratores, qui hic agunt, captant ejus benevolentiam. Nos etsi videamus eum nonnihil reginae Isabellae et Gallis favere, reginae Isabellae ut Polonus Polonae, Gallis ut qui multa prodigunt et pollicentur, et rem magis Turcae quam suam agunt: idem tamen omni studio facere non omittimus, speramusque non frustra conaturos, modo Joannes Maria primus ejus ingenii ostensor et promotor revertatur et paulo in eum largius majestas vestra dignetur conferre, quod ordinarium esset, quia adeo jam fallaciae et vanitas Gallorum hic detectae sunt et increbuerunt, ut multi eos etiam veteres amici declinent et avertant. Huic Ibraino quum hoc ejus adventu omnes oratores muneris aliquid obtulissent, quod et nos fecimus duabus vestibus sericeis donato, Gallus eum promissis oneravit, quod sine exprobratione ille apud amicos non praeteriit. Quicquid itaque majestati vestrae de hoc placebit fieri, Joannes Maria informabitur, quia si hunc inter-

pretem in partibus nostris habebimus, rem omnem ejus opera apud Achmat passam facilius et spe majore tractabimus, hominemque nobis, immo majestati vestrae satis jam pro viribus coepimus accomodare, imbuto ejusdem munificentiae fiducia.

Janizari qui venerunt ab exercitu, quoniam multi ex eis fracti sunt belli incommodis, aliique alio distributi sunt per confinia, novi in eorum loca asciscuntur ex tyronibus, qui vocantur agziamogloni, iique adjuncti veteranis, qui nusquam sunt amandati, erunt in totum ad III. millia, et hic servabuntur, donec vere ineunte accersentur in bellum, pace non sequente. Ortus etiam rumor est, Bajazitum, Turcae filium, qui nunc sedet Adrianopoli, imperii praeturam ambire, eamque jam ad patrem petitum misisse, nec obtenturum sperant. Nos ut solito more fungamur nostro officio, ne id quoque ad majestatem vestram perscribere omisimus, quamquam nihil credentes minus.

Ad eas autem majestatis vestrae litteras XXVIII Augusti*) Pragae datas et XXVIII.**) restitutas non est quod respondeamus aliud, quam quod ad Hruztanum passam quoque aliquid scribere nihil oberit, quum posteá tempus nos et ejus fortuna edocebit, an tales litterae reddi debebunt.

Duo quoque illa millia ducatorum mondum recepimus, nec quisquam aliunde prodit a quo ea sperare possemus, resque eorum sic se apud nos etiamnum omnino habent, ut si hodie de illa coeptum fuisset agi, nec defectum adhuc pluribus jam lamentari audemus, ne majestatem vestram importunitate nimia

*) Hibásan XXVIIII az az: XXIX helyett, lásd felebb.
**) Kimaradt Octobris.

gravaremus, ac certe nimis deficimus, neque personis satisfacimus quas gerimus, hanc praesertim apud gentem, quae ab oratoribus non importunitate solum sed etiam conviciis largitiones et sumptus lautiores exigat, ad quam impudentiam assuefecerunt eam partim ii, qui legationibus tantum tutantur sua imperia non impensis bellicis, partim quos ambitionis et vanitatum aestus exagitat; idque Deus alteris male faciat, alteris publici etiam commodi ad privatam curam inspiret.

Regis Franciae nuncius hodie, quod post scripta cognovimus, misit peculiarem hominem suum ad imperatorem Turcarum. Data est Polono ad eundem facultas proficiscendi, qui hactenus habitus est sub custodia. Gallus autem omnino nova quaedam molietur regis sui mandato, et nostrae paci haud dubie insidiabitur, quare festinare debebit collega noster, ne nos quoque rebus nostris defuisse videamur. Majestatem vestram Deus servet. IIII. Novembris 1554.

CXXII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Heri in hac urbe edictum est per praecones, ne janizaris, ne spahiis, ne demum omnibus aliis militibus, qui redierunt ab exercitu, equos, arma et quaevis alia instrumenta ac vasa militaria fas sit divendere, poena imposita; sed ut et equos summa cura alant et saginent, et omnes bellicos apparatus instaurent atque retineant, sintque ubi hiberni menses excesserint, quocunque jussi fuerint ad capessenda imperatoris Turcarum imperia, expediti. 1554. nov. 6.

Regis Franciae orator ad imperatorem Turcarum non est ipse profectus, uti nudius tertius re de repente accepta scripsimus, sed expeditum hominem misit, nec scimus quibus causis; at rumores recens exorti sunt, regem suum integram classem ad insequentem annum a Turca postulare, bellumque prorsus Belgicum decrevisse omittere, et animum, viresque omnes ad retinendam Senam, locaque alia in Italia obtinenda convertisse, ne eadem Italia exigatur, in quod discrimen arbitratur se esse perductum. Sermo autem popularis de CC. triremibus circumfertur, qui numerus emitti nequaquam potest, ubi vix 100. armari possunt, simul et veteribus et novis computatis. Verum si hunc ipsum numerum placuerit complere, reliquae ex pyratis desumentur, nec tamen etiam tunc omnes triremes erunt, quum biremibus magis ajunt pyratas uti, ut ad exercenda latrocinia expeditioribus.

Principia hujus tempestatis nunciamus, cui certe occurri facile poterit, si sacratissimus imperator noster ad maris quoque imperium respexerit: alioqui, uti hic multorum est judicium, brevi Gallus pluribus locis per Tyrrheni maris oram praesidia imponet, nisi mature prohibebitur. Astrictus enim e regione Galliae Belgicae angustiis, viciniaque Britannorum destitutus, in Arbonensem transgreditur, ut ibi commodius Turcae armis adjutus, novas sibi aliquo loco sedes bellum sustinendi corripiat.

Haec in hunc modum hic feruntur; quae quantum in se veri habeant, nondum possumus dicere, quoniam tamen in ore hominum esse coeperunt, quod sine impellente certa aliqua causa fieri non posset, significare quamprimum majestati vestrae voluimus,

daturi operam inposterum, ut, quod verius consequetur, intelligamus. Deus majestatem vestram conservet. VI. Novembris, Constantinopoli, 1554.

CXXIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Arces Filek et Salygo plane in hostium pote- 1554. nov. 17. statem devenisse, septima tandem die hujus mensis dubium nobis exemtum est, advenientibus passae Budensis et Hamzabegi nunciis, remque prospere gestam referentibus. XI.-a locumtenentem urbis hujus Ibram passam convenimus, nec id prius potuimus, quod et successum totius negotii bene discere voluimus, et praepediti fuimus festis diebus bairani, quod tunc inciderat, totumque continens illud triduum celebratum est huic genti, curis aliis prorsus omnibus repositis. Quae autem de memorato negotio cum locumtenente locuti sumus, eadem et ad Achmat passam scripsimus, et hoc exemplo, his adjuncto, ad majestatem vestram misimus, quo, quid egerimus, non ignoret. Recte verone et ad rem hoc officio functi simus, an secus, majestatis vestrae erit judicii; nos certe cum nesciremus aliud invenire, quod pro rei exigentia commode loqui deberemus, dum melius pleniusque a majestate vestra informari expectaremus, et turpe futurum nobis apparebat, si silentes interim lateremus, tota de hoc loquente Constantinopoli, ac re etiam ipsa maxime postulante ut prodiremus: haec in hunc modum cum protestatione verba nos ad passas facere, peropportunum esse duximus.

Nec est jam quod aut nos de his agere prossimus, aut ii quicquam per nos agi volunt, donec a majestate vestra novum super haec ipsa veniat mandatum, quum sciant de novis ejusmodi casibus instructionibus opus esse. Quam maxime itaque fieri possit, maturandam Joannis Mariae expeditionem arbitramur esse, quo tandem et priori expectationi, quae in odium videtur jam apud hos recidisse, finis aliquis imponatur, et novae huic arcium jacturae, magno certe redimendae, si jus non profuerit, celerius occuratur. Hamzabegus autem, quibus potissimum rationibus culpam sceleris sui ab se submovet, et persuadere passis contendit, jure se Fylek, arcem Bebek, occupasse, quatuor adducit: Quod sit homo liber,*) neminem dominum habens; et quod majestati vestrae et principi Turcarum hostis sit ac praedo omnium; quod ejus bona nulli juri regio subjaceant; quod majestas vestra Turcis eum opprimendum concessisset, idque litteris ad Budensem passam datis, testata, illum non esse suum subditum. Quas litteras ut ostenderent nobis nuncii, diligenter institimus, prolatae tamen non sunt, quum ne datas quidem credidimus, aut, si revera datae sint, diximus: datas fuisse juxta pacis tenorem, sed non intellectas. Videntes itaque meras has esse calumnias, easque in majestatem vestram praecipue directas, quibus et auctoritatem ejus inter Hungaros minuere, viamque rebellionibus multorum aperire, et furto suo feliciter potiri conarentur, nobis, ne iis passis omnino persuaderi possit, divisum habere majestatem vestram regnum suum cum subditis, eosdemque ad puniendum impotentem esse, visum est,

*) T. i. Bebék.

oportere, ut rationem horum omnium paucis explicaremus, et edoceremus passas: multa eis verba a finitimis dari, secusque istic cum majestate vestra agi, quam ipse princeps eorum velit, et induciae, amicitiaeque jus et ratio postularet. Quae a nobis quo sit animo Achmat passa accepturus, postea cognoscemus. Ibram passa autem omnia humaniter audivit, officioque nostro collaudato, respondit: Hamzabegum perperam egisse, quia nec a passis, nec ab ipso imperatore Turcarum mandatum habuisset ad hoc peragendum, caetera expectari ab eorum principe oportere. Haec actionis hujus nostrae ratio est. At ii, quos huc misit Hamzabegus, elate insolentar et palam, de suo duce et commilitio majora passis pollicentur, deblaterantes satis etiam impudenter: majestatem vestram non reddituram Transsylvaniam, nisi per arma, eamque tempus tantum dilationi responsi remittendi extrahere, donec omnem belli rationem cum amicis principibus constituat; nihil igitur esse differendum, quin extemplo arma in ipsam Transsylvaniam inferantur, quam peti frustra est, si citra magnum sanguinem potest accipi. Somniant jam ad haec fodinarum accessionem, passimque de earum opulentia garrientes, rationes quoque de intercipiendis ingerunt et facultatem maximam promittunt, debilia et incustodita omnia tentates. Nos audientes ejusmodi, magno certe intra nos tum dolore tum pudore confundimur. Sed quoniam haec gens, nisi sint temperantes, etiam contra Deum extulit spiritus, juxta illud: manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia,— timenda sane illorum est etiam in summa pace perfidia, eisque tunc multo minus oportet credere, quum magis amicitia et foederibus obstricti fuerint, quae quidem non servant

fide integra, nisi aut metu poenae, aut periculi, aut spe commodi. Frustra itaque Turcae benevolentiis captantur, quum pacis vinculis non teneantur; et fabulentur multi ut lubet, nobis ut jam aliqua ex parte non inexpertis, sic est persuasum.

Verum sequenda est nobis, clementissime rex, nostra necessitas. Igitur quae nos de instanti tempore loqui, venia majestatis vestrae, possumus, eadem dignabitur quamprimum curam occupare, ut arces tam majestatis vestrae, quam aliorum, firmiter muniantur et custodiantur, quae montanis fodinarum adjacent, et quae male munitae vel neglectae maximo detrimento eisdem esse possunt; nec vel unius praetermittatur ratio, ne forte amissa una omnium causetur jactura.

De Tyrnavia idem faciendum esse arbitramur, quia jam et hujus civitatis, ad reliqua Hungariae subjuganda satis opportunae, et arcium Wygles, Zolyom, Dobranywa et Lypche, fodinis vicinarum nomen hic increbuit; quae arces, quum hostibus pedicae esse possint, mature est providendum, ne translatae ad hostes, nobis fiant. Hac loquacitate attigerunt etiam Symigiensis comitatus reliquias; quandoquidem magni referret ad promovendam Turcarum in Hungaria dominationem, dudum jam Budensem passam esse aggressum, ajunt, nec exspectare aliud, quam ab imperatore Turcarum mandatum. Custodiatur itaque Zyget, Babocya, Corotna, Somogyuar et caetera ejus provinciae, quae supersunt; nec ulla fiducia remoremur a muniendis et defendendis nostris, quia Turcarum cura una est: decipere, praedari, rapere et interficere; religio etiam nihil eos magis docet, quam odium et contemptum Christiani nominis.

Turca jam venit Amasiam, nec per hiemem alio inde commigrabit, quod plane affirmatur; quia et milites per vicina Amasiae loca in hiberna distribuit, et ad uberiora pascua camelis, caeterisque jumentis onerariis amandatis, singulum etiam quartum scabiam, qui suis stipendiis militant, domum redire jussit, ut reliquis tribus pecuniam et ad bellum necessaria curet, reportetque; quanquam multi etiam alii hoc mandato abusi, clam ex hibernis subducunt se et redeunt. Sed venerunt et zolacchi 200, habito commeatu praeter morem majorem, qui ordo cum 700 viros non excedat, propius omnibus aliis Turcae corpus stipantes sua custodia, multum mirantur homines, cur venire fuissent permissi.

Princeps Amasiae duobus tantum dicitur vacare exercitiis: venationi et caedi familiarum, quaecunque et sua servant, probaruntque vel improbarunt ac doluerunt Muztaphae filii necem; adeo tyrannis haec neutra in parte tuta est hominibus; neve memorentur alia, aggam janizarorum, Turcam non obscurum, cum creasset Graeciae beglerbegum, haud ita multo post occidi fecit, prius tamen parte janizarorum dimissa Constantinopolim, ne quis, ut opinantur, motus oriretur. Occisum autem Muztapham doluerat, et audientibus delatoribus, male egisse patrem protulerat.

De pace Persica nihil adhuc succedit. Qui expectabatur orator cum ejus ratificatione a rege Persarum nondum rediit, diu jam elapsa die redeundi constituta; et plures homines desperatio ejus quam spes habet, quia interim circa fines Georgianorum (quod nunc circumfertur) arma quoque et alia quaedam instrumenta militaria, Turcae peculiaria, quae ex arce quadam conducebantur Amasiam, intercepta sunt a

Persis, cum praesidio satis magno. Rediit jam et classis in Propontidem, Cassiopolim, nec scitur plane, quando huc est appulsura, quod spatium mari habet 160 milliaria italica. De futuro ejus apparatu accepimus, haud dubie esse decretum, eritque 150 triremium, quae hinc remittentur. Sed ex his 35. novae fieri debebunt, quae tamen adhuc neque ad carinam positae sunt. Rex Franciae autem adhuc malignari non cessat et auxilium maritimum sollicitat contra Neapolim (quod nobis dicitur), et tuendae Massiliae, ferturque Turcae nunciavisse: habiturum se in eo mari 50 triremes praeter alia navigia, quae illi non sunt defutura. Deus adsit Christianis et majestatem vestram felicem atque incolumem servet. XVII. Novembris, Constantinopoli, 1554.

CXXIV.

Singkhmoser Márknak Verancsics és Zay.

Marco Cinkhmosero Verancius et Zay.

1554. nov. 17. Qui patitur, nequit non dolere; nec opitulari dolentibus potest, nisi qua parte doleant, insinuaverint. Ne itaque litteras, quas ad majestatem regiam, dominum nostrum clementissimum damus, omnes de sumptuum nostrorum defectu questibus nostris oneremus, hanc importunitatem, si habenda est importunitas, in tuam dominationem transferimus, amicitiae fiducia; quam procuratorem etiam nostrum hac in parte nominamus et constituimus, quod officium ne subterfugiat ac deprecetur, rogamus.

Intelleximus quosdam isthic in magnum quoddam extulisse obsonia, quae hic nobis ex imperatoris

Turcarum penu suppeditantur, eamque ob rem alii quidam arbitrantur, nos non egere sumptibus. Caeterum suadent insuper, ne nobis summittantur. Errant quidem hi, vel verbum faciunt, cum nec ad regiam dignitatem nec munus nostrum respiciant, quod hostium alimentis putant esse sustentandum. Pudet sane etiam loqui nos de his. ineptiis. Sed isti non putant esse ineptias, ne nobis quoque pudori esse debebit, cum suo tempore rationem eorum explicabimus. Nunc contenti testimonio tuae dominationis, quod in causa nostra facturam non dubitamus, hoc cessamus prosequi, cum ipsa quoque aliquando hic diu sit usa obsoniis ejusmodi, quibus nos, si iisdem tantummodo vellemus inniti, sordidi profecto et viles haberemur, et sibilaremur propalam ab omnibus hominibus, nonmodo nostris sed etiam ab iis, a quibus ovilla, oriza, melle et butyro fovemur asiatico, nulla parte nostro comparando, ut modeste loquamur, sed succarum et gallinas omisimus. Dii boni! quantus proventus, quae obsonia! verum amarum nunquam vidimus minus, hoc dulce nusquam esse potest, pabulum vero equorum supra quam sat initio, nunc multo etiam infra subtractum est, quod pecunia nostra supplemus, ne equi nobis debiliscant Sed quid nostra, si aliena? At jam de his satis, quae nonnisi soli dominationi tuae scripsimus admodum verecunde, rogamusque, ut his per occasionem quam commodissime fieri poterit, majestati regiae expositis, amice et fraterne rationes nostras curare non gravetur. Sed meminerit cavere diligenter, ne quid his ex litteris indiscretioni nostrae a sua majestate imputetur. Summis demum atque amplissimis dominis, quibus semper alias, officia nostra commendet etiam atque etiam diligenter. Vale. XVII. Novembris, Constantinopoli, 1554.

CXXV.

Verancsicsnak és Zaynak a király.

Reverendo, devoto, ac magnifico, fidelibus nobis dilectis, Antonio Verancio episcopo Quinque-ecclesiensi, et praeposito Pornensi, nen non Francisco Zay de Chemor generali nazadistarum nostrorum capitaneo, consiliariis, et oratoribus nostris ad serenissimum principem Turcarum destinatis.

Verancsics kezével:

Redditae 20 Februarii 1554.

1554. nov. 26. Ferdinandus divina favente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae, etc. rex.

Reverende, devote, ac magnifice, fideles nobis dilecti, — Cum nobilis Ioannes Maria Malvezius, consiliarius noster, fidelis nobis dilectus, adversa valetudine impediatur, quo minus legatione perfungi queat, nosque attentis, et humillimis monitis vestris, et aliis rationabilibus causis, mittendo responso nostro ad serenissimum Turcarum imperatorem longiorem moram interponi noluerimus, in locum illius hunc nobilem, fidelem nobis dilectum Augerium a Busbeck sublegimus, et vobis in collegam adjunximus, ac cum instructione, litteris credentialibus, tributo Transsylvanico, ac omnibus, quae ad hanc legationem requiruntur, ad vos expedivimus, a quo fusius omnia intelligetis, quae vos scire necesse est. Posteaquam igitur hactenus omnia summa fide, cura, diligentia ac industria egeritis, adeoque nobis abunde satisfeceritis, non dubitamus equidem, quin deinceps etiam in continuando, et ad optatum finem perducendo hoc tractatu pacis, eandem fidem, eandem prudentiam, eademque studia adhibituri sitis. Quod sane ut faciatis, vos benigne etiam atque etiam requirimus, non

dubitantes, quin id omni benignitate nostra regia erga vos recognituri simus. Postea vos scire volumus, quod nobis redditae quoque sint hiis diebus ternae litterae vestrae, quarta et nona proxime praeteriti mensis Octobris datae, quas non sine voluptate legimus; et quantum attinet ad tractatum cum eo ineundum, qui in futurum oratoribus nostris isthic impensas subministret, mentem nostram a camera nostra aulica percipietis. — Viennae die XXVI. mensis Novembris anno Domini MDLIIII. regnorum nostrorum, Romani XXIIII. aliorum vero XXVIII. Ferdinand m. p. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium J. Jonas D. vicecancellarius m. p. M. Singkhmoser m. p.

CXXVI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Si non praepostere sed suo tempore vel hostium 1554. nov. 27
vel eorum, cum quibus nobis res quaepiam intercedunt, scire consilia et voluntates possemus, parum profecto et in victoriis obtinendis opere et in perficiendis rebus tum temporis insumeretur, tum ab instituto fine decederetur.

Erat initio Turcae consilium et voluntas, ut statim et sine ulla dilatione, in ipso adventu nostro, de pace nostra constitutum foret. Quae autem illum movebant, haec fuerunt:

Proficiscens in Aiam cum exercitu, filium sublaturus, verebatur, ne, si et pacis nostrae finem distulisset, et filius, praescito et evitato vitae discrimine, manus ejus effugisset, in triplex bellum incidisset:

majestatis vestrae, regis Persarum et filii, quem jam vota totius sui imperii dominum et principem vulgo pronunciabant, patre, ut effeto et invalido, ad bella sene, longe ei posthabito. Tam bonae menti imperatoris Turcarum servi commentum et malignitas obstitit. Posse enim ante de hac pace commode cuncta perfici, quam tollendi filii facinus aggrederetur: et hoc interim occasioni Transsylvaniae obtinendae maxime esse insistendum. Non defuit ei consensus collegarum passarum, auctoritatis ejus metu, qua tunc pollebat inter eos summa. Persuasa itaque imperatori sententia Hruztani passae, in Transsylvaniae petitionem impactum est, missoque Joanne Maria cum hac petitione ad majestatem vestram, non alia causa tam breve tempus, trium scilicet mensium, ad responsum referendum illi est assignatum, quam ut prius de voluntate majestatis vestrae Turca ipse cognovisset quam ad parricidium filii accessisset. Deus bone, quod momentum, quanta occasio rerum bene gerendarum. Quae quidem si tunc nos non latuissent cum agebantur, reditum certe Joannis Mariae citius habere sperassemus, quam isthuc pervenisse etiam fuisset cognitum, tantam enim opportunitatem omni celeritate excipere oportuisset. Sed utraque nobis erepta est: mali hominis inimicitia prima; secunda non tam fortasse culpa nostra quam ignoratione hujus Turcae voluntatis et consilii. Nunc jam tertia et occasione et opportunitate uti possumus, si antequam ducetur ad pacem Persa, quae Turcae omni conatu et sollicitudine quaeritur, nos agendo de nostra prodierimus, quod Turcam etiam ipsum optare ajunt, sperantes, se et regi Persarum et Georgianis populis majorem sui metum incussurum, ubi vacuum ab armis nostris constiterit.

Judicamus itaque plurimum expediturum, si majestas vestra nulla re alia expectata, nulla vel Fylek vel aliarum arcium cura remorata, Joanne Maria cum memorato responso celerrime expedito, jubebit nos tentare vel hujus ultimae occasionis eventum, quae utique videtur aliquid spei ex se ostentare, quid fieri aut consequi tandem possimus. Quia, ut majestati vestrae ingenue, pro integritate nostra etiam fideliter indicemus, nemo est hic, sive sit ille Turca sive nostras, qui moram istam de remissione Joannis Mariae probet, nosque occasionibus nostris defuisse non dicat, adeo ut et amicus ille noster secretus, dormire nos rebus nostris, nobis nunciarit. Quodsi de Transsylvania non remittenda commoda argumenta reperiri nequeunt, quibus et Transsylvania servaretur, et hostis hujus tam potentis bellum non accerseretur, ad alia quae hactenus reperiri potuerunt, putaremus illud non postremum fore: Christianos quoque prohiberi sua religione, Turcis regna concedere, ut vicissim sua Turcas vetat Christianis: igitur concordia et tributis opus esse, et similia. Si vero reginae Isabellae filium Turcam non esse, responderent, poterit subjungi: haud dubie Turcas eos esse apud Christianos, qui armis et tutela Turcarum in religionis suae populos et principes uterentur; vel quippiam aliud, quod honestius effari possit, et a majestate vestra edocti erimus.

Haec etsi sero sunt cognita, quoniam tamen nec a vulgari homine accepta sunt, et eorum pars adhuc in manu nostra haerere videatur, scribenda majestati vestrae omnino esse duximus, venia humillime postulata, si crimen quodpiam, eadem tractando liberius quam tenuitati nostrae conveniret, incurrissemus, cum alioqui rebus omnibus omissis aliis, soli com-

modo et honori majestatis vestrae intendimus, quam Deus servet. XXVII. Novembris 1554. Constantinopoli.

CXXVII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. nov. 28. Quid tandem fieri vult fortuna regni nostri, solus Deus novit, at malum ejus finium videtur jam successum esse et maxime ardere. Paulo postquam litteras superiores dedimus tabellario, perlatum est ad nos, praesides finium Turcicos dudum, occasione arrepta Fylek, arces quoque in memoratis litteris expressas distribuisse inter se, et nunc omnes principem sollicitare, ut quam quisque sibi delegit, eis facultas captandi concedatur. Nuncius Hamzabegi, Delymehmet nuncupatus, homo confidentia et vanitate, quales omnes sunt, qui latrocinia profitentur, non ignotus nostris hominibus, Dywyn, arcem Sigismundi Balassae, erat suo nomine petiturus, sed prohibitus est a Hamzabego, qui eam sibi destinasse se dixisset et affirmasset hominem quoque suum, qui proditionem ejus curaret, dudum in eadem latitare. Sic Mehmet ad petendum Wygles animum transtulit. Haec autem verane sint an falsa, an tantum dubia, nequimus plane quicquam affirmare, quanquam nobis pro veris dicta sint. Et certe, quoniam nihil potest esse non verum, quicquid de infidae gentis hujus nefariis referatur conatibus, majestas vestra sciat, eos ad fodinas animos erexisse, eisque haud dubio jam deinceps omnibus studiis et artibus insidiaturos. Custodiantur itaque diligenter in

omnem eventum, et apud Dywinensem primum omnium inquiratur latens proditor.

Nuper Turca etiam quidam gregarius, genere Hungarus, et Hruztani passae mancipium ad fores nostras accesserat, ubi coram nostris comitibus jactanter referebat, se proximo mense indutum ac vestitum nostro more fuisse Levae et Corponae plures dies, ibique sine periculo, quaecunque agerentur, omnia explorasse. Hospitibus apud quos diversatus est, Levensi Joannes, Corponensi Franciscus Bathy nomen est, nec meminerat cognominis Joannis, qui tamen facile inveniretur, si omnes ejus nominis quaestioni subdentur. Sed res geratur caute, et de cognoscendis capiendisque imposterum ejusmodi sceleratis nova aliqua ratio per finitima loca constituatur, ne hoc perniciosum hominum genus tam licenter inter nostrates divagetur.

Sub hoc tempus fama quoque advenit, Transsylvania afferri tributum, nec scimus a quonam vel a quibus, nisi a factione reginae Isabellae, matre et filio ejusdem curantibus, quoniam Mahmutum etiam interpretem una venire nunciant. Expectatur autem intra paucos dies, de quo quid nos sentiamus: idem quod jam diu; et veremur tam longam Joannis Mariae moram nihil rebus majestatis vestrae profuisse, quamvis ignoremus, rectene an secus de hoc sentiamus, dum rectissime sentire cupimus, et habemus firmissime nobis persuasum, majestatem vestram nonnisi optimo consilio, optimoque fine omnia agere, multo majora et meliora perspiciendo, quam quae nobis neque in mentem venire possint. At hostes secus longe judicant, et formant sibi jus de servandis vel non servandis induciis pro suo arbitratu. Ajunt enim III. se tan-

tummodo mensium tempus Joanni Mariae ad referendum de Transsylvania responsum dedisse, et jam XIIII. praeteriisse. Quoniam autem ab urbe Vienna ad Constantinopolim non intersit tanta distantia, ut annuo ad eam conficiendam opus sit itinere, quid aliud ex ejusmodi Joannis Mariae expeditionis dilatione suspicari debeat, quam regem longe alia cogitare de Transsylvania, quam sperare suum imperatorem Turcarum. Omnia itaque finitimorum suorum latrocinia, quae ab elapsis post discessum Joannis Mariae III. mensibus isthic ediderunt, magno jam conatu causis ejusmodi coeperunt defendere, iniquiores aliquanto et nobis redditi, quibusdam vero occulte etiam nuntiantibus, sic de statu nostro inter majores sermocinari: quod quicquid isthic praeter opinionem ipsorum acciderit, hic in incommodum nostrum convertent, nosque vice Joannis Mariae detinebunt. Quoniam vero malorum etiam meminisse malum omen est, et nulla tempestas est, quae signa sui non praemittat, sorti nos propter haec haud parvi periculi expositos fore non dubitamus, si adhuc proximi anni dilationibus res legationis hujus trahetur, nec tandem de fine illi imponendo deliberabitur. Scribimus haec, non quod animum dejecissemus aut inceptam rebus majestatis vestrae navare operam et constantiam recusaremus, sed cum sit nobis negotium et colluctatio cum barbaris hominibus, qui nullo jure, nulla ratione, nulla pietate, sed vi et subita animorum libidine in Christianorum commerciis agunt, omnino recte et beneficio majestatis vestrae facere arbitramur, loquentes plane de his, quae et in detrimentum majestatis vestrae et in nostrum periculum et tot aliorum, qui nobiscum sunt, redundare possunt; alioqui semper ea de nobis maje-

stas vestra secure sibi persuadere dignabitur, quae ab initio et ipsa concepit et nos polliciti sumus, non quidem nostris viribus sed auxilio Dei confisi, qui majestatem vestram servet. XXVIII. Novembris, Constantinopoli, 1554.

CXXVIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Quia non semper praesto sunt nobis tabellarii, 1 54. dec. 1.
cum, quae scribenda ad majestatem vestram forent, incidant: plures iterum una litteras damus, quas exaratas suo tempore occursurae tabellariorum facultati servamus; alioqui si eorum majorem copiam haberemus, essemus etiam diligentiores.

Die Novembris XXIV. venit huc nuncius aeque tristis nobis atque ille qui fuit de Fylek et Salygo, Gregorium Litteratum et Paulum Zarkandj duces praesidii Agriensis, nuper cum in Welibegum, praesidem Hatuanensem, qui eos agros praedabundus invaserat, toto pene tum equitum tum peditum educto praesidio, incautius erupissent, hostis non praevisis insidiis, fusos fuisse, caesoque et capto militis utriusque non mediocri numero, Gregorium et Stephanum Zoltay in hostium potestatem devenisse, Paulum aegre fuga servatum. Ad funestissimum casum arcium Fylek et Salygo haec jactura demum visa est defuisse, quo adversa nostra fierent cumulatiora, juxta tritum proverbium: Nullum malum solum. Dolemus profecto et conficimur pene intimis animi doloribus. Verum haec utcunque acciderunt, fortunam afflictissimi regni agnoscimus, et actis Deo Optimo Maximo gratiis, qui sua

inenarrabili prudentia et consilio et firmat regna et infirmat, cum ejus manus regat universa: existimamus, majestatem vestram ne hac quoque tempestate, qua est indignissime adfecta, ab expediendo Joanne Maria cessare oportere, quandoquidem nisi aut ille remissus, aut quispiam ejus loco alius cum expectato responso missus fuerit, hostes nostri finitimi ab istis vexationibus, quibus jam adeo magnum dedère principium, non se, quantum ipsi percipimus, retrahent, et metuendum esse putamus, ne magna ex parte dissipentur, dum querelis tantum de violatione induciarum tempus teremus, cogamurque ad extremum et amissa amittere et qualicunque pace contenti fore, nisi bellum maluerimus. Quia haec gens mores non mutat. Maturetur itaque, ut hic primum omnium de summa rei concludatur, quia interim fines nostri non quiescent. Agriae autem post fodinas secundo loco magnopere timemus, quae quoniam Welibego in sortem data esse dicitur, si res in bellum reciderit, non carebit et apertis et occultis insidiis, idque interim etiam dum de pace ambigetur. Ejus itaque securitati quonam pacto respicere oportebit, majestas vestra novit. Nos tamen existimamus gerendam curam esse etiam latentium hostium, qui inter nos degunt, cum illi externi nullam jam arcem nostram non furto sibi polliceantur, adeo factiones quorumdam intestinae apud nos videantur praevalere. Si quid proinde in causa interceptarum arcium ad nos majestas vestra proximis diebus scripsisset, cui mature et ex praescripto adesse deberemus, nihil ad nos perlatum fuisse dignabitur scire, cum alioqui ubi casus earundem arcium constitit, quotidie aliquid expectavimus, nam postremae ejus litterae XXVIII. Octobris nobis redditae, illae fuerunt, quas

Praga XXIX. Augusti dedit; speramus tamen Joannem Mariam omnia allaturum, quem jam audimus esse in itinere, sed nondum certo authore.

Classis Turcica rediit heri, satis et praeda et captivis onusta, nec ullum damnum accepit, quantum intelligimus. De Nonae (?) apparatu nihil postea dictum est, quam ante, paucis diebus scripsimus. De rege Persarum et Turca nihil aliud consecutum est, quam quod hoc triduo allatum est: regis Persarum oratorem, secundae ab eo dignitatis et authoritatis virum, eumque 500 equites comitatum venire, ac ducere secum Elcassi filium, quem obsidem pacis, si ea constiterit, apud Turcam est relicturus, cum rex Persarum ad dandum filium nequaquam induci potuerit. Recens hic rumor est, nec adhuc multum fidei obtinuit apud homines, paulo tamen post certiora cognoscentur. Nos intenti in reditum haud jam dubium Joannis Mariae, de impensis nostris silemus. Deus majestatam vestram conservet. Prima die Decembris, Constantinopoli, 1554.

CXXIX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Nos quia non eo statu ac loco sumus, ut firmas 1554. dec. 1. voluntates et consilia hostium adipisci plane possimus, non alienum putamus facere ab officio nostro, si etiam de rumoribus ipsis, quicunque ad nos succisivis diebus perferuntur et videntur res nostras tangere, ad majestatem vestram perscripserimus, quod prorsus rara fiunt apud Turcas arcana, quae rumorum prius involucris homines non detinuerint. Habemus ab amicis

Turcam plurimum jam et de pace Persae desperare, quod ad conditiones, quas ei obtulit, non accedit, et de nostra parum sperare ob responsi de Transsylvaniae negotio tantam protelationem. Igitur, si per hanc hiemem nec rex Persarum oblatam ab eo pacem recipiet, nec responsum a majestate vestra illi afferetur, deliberasse dicitur rem trifariam gerere. Graeciae et Thraciae beglerbegum uno cum exercitu in Hungariam contra majestatem vestram mittet. Alium ipse in Georgianos ducet, qui Persae partibus student, magnoque illi impedimento esse feruntur, quo minus in potestatem eum redigere potest. Classem vero totam rex Franciae dabit, qui littorales Italiae civitates aliquas obtinere tentabit ambitioni vel etiam insaniae suae praesidio futuras. Nos remittet cum beglerbego, et jubebit salvos ad fines usque nostros deducere. Quae si ita, rebus de pace non confectis: tantum certe nobis displicebit, quantum praeter spem et voluntatem quoque majestatis vestrae eventurum intelligemus. Alioqui hoc impedimentum nostrae pacis non aliunde fit, quam a rege Franciae, cujus gratia etiam induciis turbandis dedita opera hinc ansae exhibentur, quominus pax ipsa consequi possit; maxima interim Turcae de conatibus suis contra imperatorem promittendo, si ejus auxilio non destituetur et pertinaciam suscepti in illum belli tueri poterit. At nos, clementissime rex, si pace magis quam bello id temporis uti majestati vestrae expedit, ne fundamentum, summam et caput rei propositae videamur intermisisse, et praepostere eam gerere, dum in quaedam particularia, partim ob arcium quarundam casum, partim ob incursiones hostium et induciarum turbationes impacti et finem ejus longius differimus, et omnes

causas concedendae infirmamus: putaremus jam demum tempus esse, ut ad tractandam accederemus, verentes illud maxime, ne, si adhuc tarditati nostrae addiderimus, ultima nos vigilia venisse objiciatur nobis et excludamur, immo fortasse etiam ad bellum imparati hostium bello opprimamur. His moveri quantum oporteat, nescimus adhuc; at quia tempus hoc ea attulit, scire majestatem vestram curavimus, quia quum rem habeamus cum hoste et callido et potenti et semper parato atque intento in damna nostra, putamus observanda esse etiam minima, quae aut agat aut acturum ferant. Alioqui nos si qua in parte excedimus metas libertatis nostri muneris, securius ejusmodi agendo, supplices petimus, ne nobis vitio temeritatis vertatur, cum quanto magis studemus majestatis vestrae commodis, tanto magis etiam timemus, ne minus studere videamur quam pro rei necessitate et magnitudine. Majestatem vestram Deus conservet. 1. Decembris, Constantinopoli, 1554.

CXXX.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Hodie relatum est nobis ex bono loco et quidem 1554. dec. 3 affirmanter, passam Budensem Ibram passae urbis hujus locumtenenti per proprium nuncium, qui huc nudius quartus advenit, in hunc modum nunciasse: fines hos nobis commissos nullo pacto ab infestatione praesidiorum arcis Zyget et Babolcya et Kapuswywar conquiescere et navigationem Danubialem tuto (?) esse scito, quas arces nisi hostibus ademerimus, fines

hi pacati nunquam esse poterunt. Nunc igitur quoniam et ego cum horum finium copiis omnibus adhuc sim paratus, et brevi etiam ubique omnes aquae gelu contrahentur ob instantem hiemem, sicut ad nullum locum aditus deesse poterit, ejus tentandi animo sum, si mandatum habuero. Quare, si tu ea es authoritate, ut hanc mihi facultatem possis concedere, peto et hortor te majorem in modum, ut quamprimum ea uti velis; sin eam apud se imperator Turcarum retinuit, itidem peto, ut misso ad eum raptim nuncio, cures quam celerrime mihi obtinendam, et ad Bosnensem praesidem mandatum dandum, ut quamprimum a me monitus et ad rem gerendam una mecum accersitus fuerit, adesse non praetermittat. Nec de successu dubitandum esse debet. Quia cum parva habent eaedem arces praesidia, munimenta quoque, quibus vallantur, non multum eis proderunt, ubi propius sine aquarum impedimentis, licebit nobis accederc et subire. Huic autem opportunitati ne desis, plurimum te et ego et omnes reliqui praesides hortamur, quandoquidem III. his arcibus in partem nostram redactis, et Danubium et terram omnem, quae a Dravo amne ad Papam oppidum usque est, ab hostilitate et latrociniis liberavimus. — Dervis begus quoque, praeses Quinqueeeclesiarum, haec eadem nunciavit eodem tempore, quo et Budensis passa, qui Dervis begus, ut est memoratis arcibus vicinus, ita rem pertinacius urget atque sollicitat. De hoc periculo scripsimus etiam superioribus diebus ad majestatem vestram, uti tunc ab ipsis Turcis finitimis audiveramus, sed non ita distincte, uti nunc. Cui, ne ad Fylek et Agriae jacturam ac pudorem simul major addatur cumulus, tempestive occuratur, neque ad pacem perficiendam plura subjician-

tur impedimenta, cum jam certe etiam haec nimia esse, uti sunt, videri debent. Quid autem Ibram passa ad haec responderit et fecerit, adhuc ignoramus. Deus majestatem vestram servet. III. Decembris, Constantinopoli, 1554.

Postscripta. Idem amicus nobis nunciavit, ne eorum omnium, qui ad nos veniunt, de pace regis Persarum et Turcae referentes, verbis moveamur. Nunc demum hos passas certum nuncium accepisse: nec oratorem regis Persarum venire, nec venturum, nec de pace spem ullam esse reliquam. His de causis ne Turcum quidem huc rediturum, ac jam plane edixisse omnibus militibus, qui domum proficisci permissi fuerant, ut exacto ab hinc mense III. mox ad se cum toto apparatu bellico revertantur. Scribimus omnia majestati vestrae, ut referuntur nobis, quia quod affirmare possemus, ne nos ipsi quoque in alterutram partem habemus, quanquam tamen, ut e cursu rerum et e sermone publico conjicimus, magis his accedimus, quam quae in contrarium ingeruntur. Haec autem si sunt futura vera, ii jam procul dubio deliberaverunt apud se de nostra pace; quae interim dum concluditur, quaecunque rapere possunt, contendunt, ut aliis etiam quinquennalibus induciis fecerunt, de quo scripsisse nos antea, meminimus. Nunc itaque remisso ad rem finiendam Joanne Maria, finibus nostris maxime advigilandum erit, et hoc per Deum etiam oramus, ne simus hostibus ludibrio. Datae ut supra.

CXXXI.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

Heri summo mane adducti sunt Constantinopolim
1554. dec. 13. Gregorius Litteratus et Blasius Nagy cum XXXIX. commilitonibus suis captivis et totidem caesorum capitibus; ostensi postea circa meridiem passae locumtenenti urbis hujus. Gregorius et Blasius in arcem septiturrem, caeteri in imperatoris Turcarum missi sunt, iisque hic omnibus retentis, II. illi ad imperatorem Amasiam abducentur. Nos apud passam eorum causa non fuimus, partim omnino nescientes ullam actionem nostram formare ante instructionem, partim quod huic homini loqui et non loqui idem sit, et erit etiam inposterum, donec nobis hic manendum erit, et a majestate vestra novae aliquae causae et commissiones ad agendum aliquid dabuntur, quandoquidem unum illud ii et expetunt et expectant, de quo Joannes Maria ad majestatem vestram legatus est. Non silemus propterea, nec sedemus muti, quantum nobis conceditur et ab ingenio et ab hominibus, quia litteras ad Achmat passam, viis satis occultis et largitione comparatis dare interdum, oblatis causis, non praetermittimus, quarum unum jam exemplum ad majestatem vestram misimus, et alia post has mittemus. Scripsimus autem etiam nunc in causa praesentium captivorum, hortati eundem, ne quid praecipitanter statuatur in eos, donec a majestate vestra veniat aliqua commissio. Si quid tamen et in negotio pacis, et in captivorum liberatione, arciumque captarum restitutione

efficere velimus, monet nos assidue secretus amicus, ut sollicitemus maxime nunc Joannis Mariae expeditionem. Quia iste non parum speraret de omnibus his obtinendis, si, dum haec finitimorum Turcarum facinora sunt recentia, mature a majestate vestra superveniat expectata aliqua relatio, opportuna commissio et ansa ad gerendam et concludendam rem necessaria, quam differre longius non putat esse utile; ejus tamen dilationem nos non putamus fieri sine bono consilio et futuro fructu. At si causa esset, ut prodiremus ex hac custodia, et propius imperatorem Turcarum accederemus, multo melius, uti judicamus, inservire possemus majestatis vestrae rebus, quascunque hic geri oporteret. Alioqui nihil ex nobis ut ex nobis acturi sumus, sed a majestate vestra, domino nostro clementissimo omnia expectabimus ut humiles et obedientes servitores.

Nova quae nunc hic vigent, haec sunt. Bellum Turca sequenti anno gesturus est contra Georgianos, quod eorum vires, opesque plurimum obstiterunt, quominus regem Persarum hactenus potuerit subjugare; eis autem subjugatis, si rex Persarum ad eam pacem postea non accesserit, quam ipse porriget, novum in eum bellum instaurabit, non ante inde rediturus (sic enim de eo ferunt) nisi aut victor aut victus. De pace ejus et de oratoris sui remissione ad Turcam, indies magis ac magis languescit spes, quamquam non dudum omnino ea est exempta.

De triremibus imperatori Turcarum commodandis duplex sermo diebus proximis habitus est; primum: quod dabuntur LXXX, deinde: quod nulla; sed quia res tenetur adhuc intra deliberationem, postea videbitur. Durgutreys hoc biduo proficiscitur ad

imperatorem Turcarum, sponte sua motus, ut quidam ajunt, ut vero alii, non, sed ab imperatore Turcarum accersitus; et opinio vulgaris est, passurum ab imperatore Turcarum reprehensionem, quod limites Venetos ad mare Adriaticum expeditione proxima transgressus fuerit in contumeliam pactae cum eadem republica pacis, de qua bailus Venetus hodie fecit querimoniam apud passam, senatus nomine, eamque ad imperatorem Turcarum quoque transmisit; sed quid inde relaturus satisfactionis, dehinc cognoscetur. Cavendae tamen sunt Turcarum injuriae, quae semel illatae raro feliciter repetuntur.

Aliud quod hinc modo scribamus, non habemus, nisi quod ad octavum mensis hujus circa noctem mediam pars hujus urbis vicina Judaeis, et quae forum habet Tahtakala appellatum, succensa est, quo igne supra 1500. domus et 1070. tabernae mercatoriae, cum mercibus multis, publicisque et privatis opibus, ac uno carcere combustae sunt; eratque incendium longe majus futurum, si ventum habuisset, sed quia eo caruit, et ad extinguendum magna hominum multitudo confluxerat, cum veniente die extinctum est, nec in alios magis saeviit, quam in Turcas, Graecos enim attigit ex parte mediocri, Judaeos vero terruit tantum. Fecit et in hominibus jacturam, sed exiguam. Nos litteras majestatis vestrae, uti alias etiam scripsimus, a XXVIII. Octobris nullas accepimus, nec adhuc a quopiam aliquid ejus pecuniae accepimus, quam nobis jam a tot mensibus dignata est benigne assignari. Quam Deus servet. XIII. Decembris*) 1554. Constantinopoli.

---

*) Az eredetiben tollhibából „Septembris“ áll.

CXXXII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Záy.

Hodie Gregorius Litteratus fecit nos scripto certiores, sollicitari ab iis, qui eum deduxerunt, ut et apud passam et ubique profiteatur se fuisse zanzakbegum; ut ostendat, qua parte Agria sit debilior, et facilius posset expugnari; ut fiat Turca; et si mittetur in Hungariam, ut spondeat, se in partem reginae Isabellae filii concessurum, fideliterque eos in easdem partes pertrahere adlaboraturum, quos illi nominassent. Quibus ex rebus facile potest majestas vestra percipere, non omnino vana illa omnia fuisse, quae aliquando de his nos quoque ad eandem scripserimus. Igitur consulendum est serio et Agriae et reliquis finibus, et circumspiciendum etiam diligenter, ne occulte ea factio nutriatur, quae ut ex his apparet, non conquiescit virus suum latius dispergere, viresque sibi comparare. 1554. dec. 14.

Sed quod ad Gregorium attinet, consuluit etiam nos, quid in his agere, quomodoque sese gerere debeat. Ad primum respondimus: ne omnino conditioni suae vel addat vel adimat, ut Erasmus Teufel, qui perpetuo negavit ad Pallast fuisse se generalem ejus expeditionis preefectum; ad secundum: ut commento hostium vota eludat et dicat, fortius jam esse reparatam in omni parte quam antea fuerat, et illic infirmiorem fore, ubi minus defensa fuerit, cum oppugnabitur; ad tertium: quod artem haberet et caveret, ne ubi is esse desineret, qui fuerat, neuter postmodum efficeretur, et casum Ladislai More incurreret, qui

cum sit Turca factus, ut Christianum sub custodia tenebant, et sic inglorius et sine honore contabescit; ad quartum: animadveret, quorsum tenderet haec petitio, et bene videret, an quicquam de se tale polliceri expediet, cum fortasse experimentum ejus fidei quaeritur, ut levitatis eum convincant. Alioqui si quid putaret ex eo consecuturum effugii, modo salva religionis suae et sui regis fide, apud se etiam id consilii inventurum. Meminisset tamen juramentis se aliquibus in hostium gratiam irretire, cum et iis homines christianos fidem servare oporteat, ubi ea fuerit praestita; et quia dolis ipsi in omnibus commerciis, quae nobiscum habent, agunt, evitandos illi esse consuluimus, hortati eundem ad patientiam, donec plenam a majestate vestra de omnibus rebus informationem acceperimus. Haec autem ea causa significari majestati vestrae voluimus, ut ex his etiam nonnihil perpenderet animos hostium erga fines suos. Quam Deus conservet. XIIII. Decembris 1554, Constantinopoli.

CXXXIII.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

1554. dec. 19. Mittuntur in Amasiam Turcae his diebus ex hac urbe itinere terrestri trecentorum equorum onera pecuniae, mari vero Pontico triticum et ordeum copiose. De pace Persica adhuc feruntur omnia dubia, Turcam tamen magno studio eam sollicitare, regem Persarum non negare, assidueque oratores suos pro componenda polliceri, nondum tamen eos misisse, et Georgianos esse Persicae factionis regulos, qui illam turbare magnopere niterentur, quam ob rem Turcam

in illos bellum ducere decrevisse, nisi animis et temeritate deposita, ipsi quoque in suas partes transierint. Edictus proinde publice heri est apparatus bellicus in annum insequentem, nec expressum, quo aut contra quem, sed hoc tantum: ut viritim omnes armis idonei parent se, et ad secundum edictum praesto sint. At his non obstantibus, majore jam milites frequentia a pluribus jam diebus coeperunt ex Asia trajicere, et domos suas petere, quod cum superiores litteras scribebamus, nondum ad nos pervenerat, iique tam milites, quam eorum equi adeo afflicti, destructi atque attriti sunt, ut si decennalibus incommodis laborassent, fortasse magis esse non potuissent. Trajiciunt autem confertim multis navibus, sine omni tumultu et strepitu, et aeque noctu ac die. Sed ex hac dissolutione exercitus et tanta Persicae pacis dilatione, etsi multi rumores et multa facta huc ad nos inferantur, tamen ab amicis etiam habemus: vereri multos Turcas, certum jam esse de hac ipsa pace, sed eam nolle per hiemem evulgare; quo, quia persuasum illi est, cum a suis passis tum a rege Franciae multa modo moliente, differre majestatem vestram pacis suae finem ad eventum belli Persici, eidem imponat mox vere ineunte in Hungariam bello converso. Sunt et Turcae, qui ostentantes nobis propitium animum erga nomen christianum, referunt ejusmodi, et hortantur nos ad pervidendas et evitandas fraudes turcicas. Verum quia nihil in humanis rebus difficilius est, quam animos hominum perspicere, cum suae malitiae nulla soleant signa praemittere, ut coeli tempestates, certe jam nescimus, quibusnam indubie credere debeamus. Utcunque tamen haec geruntur, non putamus sine aliqua consideratione esse transeunda. Quanquam de

his et similibus veriora etiam aliunde ad majestatem vestram perferri, non est dubitandum; verum nos non ignari improbitatis et inconstantiae turcicae, etiam minimis nequimus quin moveamur, atque majestati vestrae significemus. Non supprimemus etiam illud, quicquid sit. Dictum est nobis, quod magnificus dominus banus miserat proxime ad praesidem Bosnae proprium hominem, cujus opera illum ad singulare certamen provocabat; praeses autem eo homine comprehenso, misit huc, hinc vero ad imperatorem Turcarum deductus est subita cura. Quod an verum sit, ignoramus, adjecto, quod cum eo duo etiam milites domini Petri Erdewdy adducti sunt, qui per eosdem in quadam excursione capti erant. Nos humillime ad pedes vestrae sacratissimae majestatis servitia nostra commendantes, eidem omnia optima et felicissima precamur. XIX. Decembris 1554. Constantinopoli.

CXXXIV.

A királynak Verancsics és Zay.

Regi Verancius et Zay.

554. dec. 29. Stephanus Nagy majestatis vestrae tabellarius die mensis instantis XXI. salvus ad nos cum litteris ejus pervenit; eadem et Zynan passa, summus maris apud hunc imperatorem capitaneus, frater Hruztani passae, decessit. Nos in litteris majestatis vestrae Joannis Mariae firma jam expeditionis deliberatio plurimum delectavit, quod eum diutius retinendi, nisi fallamur, nulla prorsus ratio restare videbatur. Caeterum, quaecunque isthic acta sunt cum Budensi passa, legimus et intelleximus, et eo satis causam majesta-

tis vestrae putamus valituram, quod cum tot damna a Turcis finitimis sub induciarum tempus perpetrentur, arma in eos non sumpserit, animo declarandi, qua constantia principis hujus amicitiam retineret, quaque fide et integritate soleant reges Christiani servare foedera, in quo nos etiam ab initio accidentium ejusmodi omnem sermonum nostrorum rationem fundaveramus; quanquam si eo principio, quo hostes ea erant aggressi latrocinia, ipsa quoque majestas vestra serio, strenueque tutari ac recuperare sua armis maluisset, speciosius et utilius certe vel Turcarum judicio accidisset, quemadmodum apud Varadinum anno superiore fieri contigit. Verum quia aliud consilium magis majestati vestrae placuit, nos quoque de hoc minus jam loqui convenit, et pergemus ad alia.

Die XXII. et III. Ibram passam locumtenentem et Hruztanum passam adiimus, celerique apud Ibram passam curato Stephani abitu ad imperatorem Turcarum, XXIIII. eundem cum litteris etiam nostris ad Achmat passam datis expedivimus. Quod autem Hruztanum passam quoque visere voluimus, eo fecimus consilio, ne, quia adhuc visitur et honoratur ab omnibus tam oratoribus, quam suae gentis hominibus, nobis, si cessaremus, fieret aliquando infestior. Nam etiamnum speratur ejus restitutio, sed non alia quam socrus aura. Utrique igitur exposito statu expeditionis Joannis Mariae, ejusdemque tam tardi reditus dilatione excusata, res quoque atque amicitiam majestatis vestrae commendavimus diligenter. Ad quae quid Ibram passa responderit, non recensemus. Probavit omnia, ut est homo remissus et penitus sine affectibus. Hruztanus passa, ingenio solito, pauca, sed notanda, uti nunquam est sine aculeis et aliquo turbine.

Ubi enim, quae ad eum habueramus, absolvimus: Et quid? inquid, nonne scit, nonne expertus est rex vester, qua saepe jam fuerim erga illum amicitia, et quantum res ejus apud principem meum juverim? Certe, si horum meminisset et assentiretur meis consiliis, ne nunc quoque tot legationibus, tot impensis, tot difficultatibus fuisset opus ad hoc praesens negotium peragendum, cum unius aut ad summum duorum verborum compendio totum absolvi dudum potuisset, si se vel velle Transsylvaniam remittere, vel nolle principi meo, significaret. Si autem tantus est rex, tamque potens, ut esse dicitur, cur potius sumptis armis pro regno suo non decernat cum meo principe, quam eum pro pace sollicitet? Sed hoc non facit, quia videt parem illi potentia non esse. Scit tamen suos Hungaros, pro quibus tantopere laborat, duarum esse facierum, et nunquam etiam imposterum quieturos, quin eum assiduis proditionibus (quod nequivit immodicus et praeceps homo clare eloqui) turbent et vexent. Ego tamen si amicitiae meae innitetur et confidet, favere illi, ut favi alias, non desinam.

His auditis, maxime profecto intra nos exhorruimus, ea praesertim causa, quod improbitate paucorum tota natio, quae antea semper habita est honorifica et tutelaris toti christianae reipublicae, tantum convicium cogatur sustinere. Verum suppresso tunc animi nostri motu, dum nos meliori ac opportuno rei gerendae tempori reservamus, modeste respondimus: saepe jam nos secum de his collocutos, pauloque post ubi regis nostri voluntatem a collega nostro, qui jamjam aderit, cognoverimus, plura et ad rem totius negotii tractaturos. At eant nunc et glorientur quidam nostri, rerum novarum studiosi, turcicae fidei, amicitiae, so-

cietati, auxilio, beneficiis fidant, tumultuentur in principem, venumdent patriam, oppugnent religionem, et vel ex his, si non sunt coeci, perspiciant, quid demum praemii, quid gratiarum ab hac gente reportabunt. Nos, cum haec ad nos Hruztanus passa loquebatur, (ne vultus etiam hominum, quibuscum geritur nobis res, praetereamus, ex his enim considerantur animi) non superciliose omnino, neque cum impetu, ut semper alias, sed admixta comitate adspectui, leniter subridebat, quod sane non caruit ironia, quanquam dubia, cum ob insolitam erga nos comitatem et invectivam in Hungaros, quibus magis assentari oporteret dum captantur, tum ob pertinaciorem Transsylvaniae mentionem. Si tamen principis hujus curas anni insequentis diligentius expendemus, quae a recentibus tabellariis acceptae sunt, non sinistram fore judicaremus ad conficiendam propere pacem nostram, quod et a secretis amicis audimus, si modo collega noster aderit jam. Porro, regis Persarum orator, qui nunc denuo expectatur, nunciarat diebus superioribus Turcae per peculiarem hominem, restare adhuc principem suum in voluntate pacis secum faciendae, sed ante veris initium, frivolis quibusdam ei causis assignatis, non posse ad eum se expedire. Turca igitur hoc responso in dubium de pacis exitu conjectus, dolum illi inesse arbitratus, in secundum quoque annum indixit bellicum apparatum, quemadmodum proxime scripsimus. Verum hoc interim profectus regis Persarum filius cum valida equitum manu in fines Georgianorum, qui Turcae partibus student, eos ingenti vastitate et caede affecit, uno ex primariis regulis in captivitatem abacto. Ea injuria commotus Turca, extemplo praesidem arcis Wan, quae est in Media ad Marcianem lacum sita,

misit in regem' Persarum, damnaque sociorum et injuriam suam ulcisci jussit. Praeses vero, mandato principis sui impigre accepto, cum quatuor circiter millibus equitum ad Taurim usque civitatem insecutus, quam Turcae Tebry vocant, ibi a Persis circumventus est, eamque cladem dicitur accepisse, quae et ipsum et totum ferme militem involvit. Aucta Turcae ob hujus cladis nuncium perturbatione et succurrendi finibus illis sollicitudine, passas in consilium advocarat, dumque decernit majorem vim expedito apparatu eo esse summittendam, cognovit, omnem ferme exercitum esse dilapsum, nec posse propere fieri, quae mandabat; tum in furias irarum magis ac magis versus, quod id sine scitu suo accidisset, rei authorem quaesivit ab Achmat passa. Achmat passa Ally passam ostendit, hic vicissim illum; sic magna et inter passas contentio, et in Achmat passam, ut in summum administrandarum rerum ministrum totam imperator culpam rejecit, feruntque de capite etiam fuisse periclitatum; unde huc etiam perlatus rumor est, vitam eum veneno finivisse. Sed hoc adhuc incertum, de superioribus vero minime dubitandum. Ex quibus sumitur conjectura, Persae pacem minus successuram, cum illud quoque mussare intelligimus, Turcam eo esse consilio, ut ejus classis hoc anno 100. triremium cum praesidio III. janizarorum millium in Pontum naviget, exinde per Phasidem amnem in Georgianorum fines, qui Iberes dicebantur veteribus, subducatur. Quod si verum fuerit, manifeste apparet, quod bellum geret cum Georgianis, Mengrellis et Circassis, quorum illi Colchii, Zichiialii appellantur, et sunt Georgianis finitimi ac foederati. Non desunt tamen etiam alii rumores ab his diversi; Turcam quidem haud du-

bie facturum bellicum apparatum et mansurum in Asia, sed fines tantum tuendi ac hostem sustinendi gratia, si pacem recusasset. Serio autem nullum bellum hoc anno gesturum, quem reparationi militum dedisset, quod et spahiarum ordo, qui stipendiis suis militant, et pene omnes alii dicuntur imperatori, vel ejus gladio morituri, supplices denunciasse: minime se ad anni hujus expeditionem posse esse idoneos, adeo et se ipsos pecuniis, et equos suos viribus priori fuisse exhaustos lamententur. Nondum haec tamen pro veris omnia firmiter evulgantur, opperimurque et sollicite vestigamus certiora, quibus cognitis, non negligemus officium.

Quod vero ad litteras majestatis vestrae respondeamus, duo sunt: alterum de grassationibus, quas Turcae sub induciis et pace proximis diebus egerunt in ejus ditionibus. Attributa enim prima causa passae Budensi, quando anno superiore mox a discessu nostro miserat contra Varadinum praesidem Zolnokensem cum trino praesidio Zegediensi, Hatvaniensi et suo; et secunda mandatis imperatoris, cum quibus anno similiter superiore expeditus fuerat Oruch ciaus ad fines istos in arma concitandos: ea omnia diligenter in actionem collegimus, et consecuti tandem collegam nostrum, enitemur, Domino adjuvante, ut imperator Turcarum plane perspiciat, violationem induciarum a Turcis processisse, subditos vero majestatis vestrae nonnisi lacessitos egisse, quaecunque illis impinguntur. Alterum est, ut supplicemus, ne aliqua in posterum dilatio expeditionis Joannis Mariae, quorumcunque casuum interventu (si modo recte sentiamus) committatur, postquam de eadem efficaciter ad imperatorem Turcarum scribere voluerit: nimirum pro-

missione illius facta et certa etiam die expressa, qua haud dubie Budae constitui debuerit. Quia si secus fieri contingeret, (quod futurum non credimus) hos nobis non incommodos tantum sed etiam palam infestos redderemus. Haec sunt, quae pro id temporis in his locis aguntur et feruntur. Majestatem vestram Deus Optimus servet felicem. 29. Decembris 1554, Constantinopoli.

TOLDALÉK.

I.

(a 9. laphoz.)

Verancsicsnak és Zaynak a király.

Reverendo, ac magnifico, fidelibus nobis dilectis, Antonio Verancio, episcopo Quinqueecclesiensi et Praeposito Pornensi, necnon Francisco Zay, nazadistrarum nostrorum generali capitaneo, consiliariis et oratoribus nostris, ad principem Turcarum destinatis. 1553 Jun. 2.

Ferdinandus etc. Reverende etc. Heri applicuerunt ad aulam nostram nuncii illi, qui nostro et ordinum Transsylvaniae nomine ad principem Turcarum emandati fuerunt, feceruntque nobis relationem eorum omnium, quibus in hac legatione perfuncti sunt; et comperimus, quod licet passae institerint, filium quondam Joannis in Transsylvaniam reduci debere, tamen si vos oratores nostri apud principem Turcarum et ejus passas, praesertim vero apud Rustanum passam diligenter egeritis, eumque vobis amicum et fautorem reddideritis, atque illius prae caeteris passis opera, consilio et auxilio usi fueritis, non magna difficultate obtenturi sitis, ut ipsa Transsylvaniae provincia sub nostra obedientia permittatur, et pax quoque conficiatur et concludatur.

Quamobrem vobis denuo clementer committimus, ut secundum tenorem instructionis nostrae diligenter agere velitis, et in hoc etiam omnem adhibere dili-

gentiam, ut ipsa Transsylvaniae provincia a nobis et regno nostro Hungariae non abstrahatur, segregetur, adimaturque; quemadmodum in vestra erga nos fide, vestroque de rebus et negotiis nostris studio, plane confidimus. Quodsi vero vobis inter tractandum et negotiandum tam arduum aliquid occurrerit vel emerserit, ut de eo nobis inconsultis conclusionem haud faciendam esse censueritis, tunc nos ea de re quam citissime per hominem proprium certiores faciatis, et nostrum desuper responsum, resolutionemque, quam vobis sine mora clementer daturi sumus, expectetis. Quod autem negotia nostra cum nobili Joanne Maria Malvezio, nostro consiliario et in porta principis Turcarum oratore communicare debeatis, jam antea per instructionem nostram vobis commisimus, et non dubitamus, quin id pro nostra voluntate facturi sitis.

Porro, nolumus vos quoque latere, praefatos nuncios Transsylvanienses nobis etiam retulisse, quod Rustanus passa eos inter alia interrogaverit: num aliis quoque passis munera attulissent, et, cum se attulisse respondissent, eum tunc postulasse, ut etiam illa munera sibi darent, nam non esset necesse, ut ea illis permitteret. Quod vobis propterea significamus, ut praecogitare possitis, si idem vobis apud Rustanum passam contigerit, quomodo ei apte et convenienter respondere valeatis. Nollemus enim illum, cum tantae sit authoritatis, quoque modo vel nobis vel vobis aut negotiis nostris infensum fieri, sed potius fautorem reddi et conservari. Unde quidem factum est, ut illum captivum Karahamusabey seu Hamzabeg, ex cujus dimissione et eliberatione non spernenda pecuniarum summa, nempe 7000. florenorum hungaricalium haberi potuisset, eidem Rustano dono miserimus, adeo,

ut non possimus non sperare, ipsum, pensata etiam dicti captivi in gratiam suam eliberatione, munera nostra nou levia existimaturum, sed negotia nostra libenter et diligenter promoturum esse.

Et cum jam antea etiam reliquis passis spes facta sit, quod eis munera missuri essemus, non videmus, quomodo, quave ratione illis omnino facile privari debeant; quare vobis clementer committimus et mandamus, ut perpendere et considerare, ac cum praefato Joanne Maria Malvezio consultare velitis, si Rustanus passa munera aliorum quoque passarum sibi dari postularet, quid in eo casu vobis faciendum erit; damusque vobis facultatem, aliquid a muneribus aliorum singulorum passarum adimendi, et Rustani passae muneri addendi in casu, quo putaretis hoc operae pretium et rebus nostris promovendis necessarium et opportunum fore, et tunc demum eidem Rustano ostendere poteritis: ex quo jam antea etiam aliis passis nonnihil spei, immo et promissionis factum sit de muneribus mittendis, vos a nobis habere in commissis, eorum singulis dare et praesentare hoc et hoc, munera videlicet nominatim exprimendo. Verum quia in ipsius Rustani passae authoritate, studio et favore erga nos, totam fiduciam rei ex voto nostro collectam habeamus, nos memoratum captivum, non attenta magna praedicta pecuniarum summa, quae alioqui pro eo solvenda fuisset, ipsi donare et praeterea etiam haec munera, quae ostendetis, mittere, rogantes ipsum, ut negotia nostra pro sua authoritate ita promovere et commendata habere velit, ut voti et desiderii nostri compotes fieri queamus. Residuum autem munerum tunc aliis quoque passis praesentabitis, cum iis verbis, quae in instructione nostra habentur, et aliis, quae

magis ad rem et negotia nostra pertinere et proficua esse putaveritis. Quodsi vero Rustanus passa de muneribus aliorum passarum nihil diceret aut postularet, tunc etiam vos nihil proponatis, sed munera ipsa juxta instructionem nostram praesentetis.

Praeterea, quia a nobis in commissis habetis pro eliberatione captivorum agere, uxor autem quondam Horwathinowith nobis ostendit, jam dicti sui mariti fratrem esse apud Turcas captivum, ipsaque unum ex iis captivis, quos Constantinopolim ducendos vobis dari jussimus, habuerit, ideo vobis gratiose committimus, ut pro eliberatione dicti fratris Horwathinowith omni studio agere velitis

Quod reliquum est, vos clementer requirimus, ut vestram profectionem, quantum fieri potest. accelerare et maturare velitis, omnemque movere lapidem, ut negotia nostra, sine longa mora agatis et pro voto expediatis, quo sic omnes perversorum hominum practicae, si quae contra nos instituerentur, praeveniantur et evertantur, nostram in praemissis bene gratam executuri voluntatem. Datum in civitate nostra Vienna, die 22 mensis Junii, anno Domini 1553, regnorum nostrorum, Romani, 23., aliorum 27. Ferdinandus m. p. Jonas D. vicecancellarius. J. Jordanus.

II.

(a 48. laphoz.)

Verancsicsnak és Zaynak a király.

1553. aug. 2. Ferdinandus etc. Reverende devote, magnifice etc. Redditae sunt nobis hisce diebus quaternae a vobis litterae, de 21. 22. 23. et 25. proxime praeteriti

mensis Julii, una cum relatione omnium eorum, quae cum passa Budensi egistis et collocuti estis; eaque omnia, ut fideliter atque prudenter, et cum animi nostri satisfactione a vobis dicta et facta benigne probamus, simulque declaratam in iis praeclaram fidem et in gerendis negotiis nostris diligentiam, sollicitudinem et dexteritatem vestram grato ac clementi animo agnoscimus et probamus. Imprimis autem libenter cognovimus, quod passa Budensis ad tractationem vestram, animum ferendi auxilium conjuratis rebellibus nostris, qui superioribus diebus circa Varadinum, ad impediendum, prohibendumque novi vajvodae nostri et episcoporum ingressum in Transsylvaniam, motus et turbas excitaverant, visus sit immutasse.

Cum enim ex ipsius verbis jam bene perspexeritis, quomodo aut quibus argumentis et rationibus caeteri quoque passae in porta principis Turcarum residentes, vos causa Transsylvaniae per nos occupatae sint excepturi, facilius erit vobis respondere ad ea, quae vobis circa illa negotia objici contigerit, neque occurrit nobis in praesentiarum aliud, de quo admonendi videamini, utpote alioquin de omnibus rebus abunde instructi, praeterquam de praesenti rerum Transsylvanarum statu, quem pro uberiore vestra informatione vos scire, ad res nostras bene expediendas et obstruendas nuncio adversariorum nostrorum vias, si quem ad Portam, ut creditur et vos scripsistis, vestros tractatus impediendi causa missuri sunt, plurimum referre existimamus.

Proinde, vobis benigne significamus, quod non obstantibus motibus nuper excitatis, novus vajvoda noster, Stephanus Dobo, cum episcopo Transsylvaniensi salvus et incolumis in Transsylvaniam penetra-

verit, et quod Franciscus Kendy officium vajvodatus una cum ipso susceperit, ubi fideles regnicolae nostri ad conventum evocati, ipsis se nomine nostro parituros et ad omnem regni necessitatem praesto futuros, nec a fide et obedientia nostra unquam discessuros esse denuo jurarunt. Itaque nunc quiete et pacifice vivunt, jussu nostro tractantes et parantes expeditionem oratorum, una cum censu ad sublimem serenissimi Turcarum principis portam propediem mittendorum. Similiter episcopus Varadiensis jam Varadinum venit, et possessionem episcopatus sui obtinuit, id quod rebus nostris, uti speramus, multum adjumenti allaturum esse videtur.

Licet autem vos consultum fore judicaveritis, ut Dobo revocaretur, et spectabilis ac magnificus Andreas de Bathor hoc maxime tempore in officio vajvodatus Transsylvaniensis perseveret, tamen id fieri non potest, cum ipse Dobo, una cum praefato collega suo Francisco Kendy, jam, ut praemissum est, officium vajvodatus susceperit, et uterque regnicolis pro vajvoda publice declaratus, ab iisdemque in communi regni conventu acceptatus sit, ille vero, Bathory, propter adversam valetudinem nullo modo retineri potuerit. Idcirco poteritis vestram tractationem ad hunc rerum Transsylvanarum statum et personarum seu officiorum mutationem facile et dextre accommodare; in caeteris vero instructioni vobis datae*) inhaerere. Porro non erimus immemores fidelis consilii vestri de retinendo in bona erga nos voluntate passa Budensi, sed eum tam iis, quas nos ostendistis nobis, quam aliis artibus et rationibus conciliari curabimus.

---

*) Pray jegyzése: ‚Ezt, ha nem volna oly terjedelmes, örömest ideiktattam volna. Másutt tán alkalmasabb hely lesz számára.‘— Kerestük Pray kéziratai között, de nem találtuk.

Caeterum, licet non dubitemus, quin juxta contenta instructionis, vobis datae, omni diligentia eliberationem Matthiae Allya, tum apud illustrissimum Rustanum passam, tum, ubicunque necesse fuerit, sollicitaturi sitis, tamen vos denuo clementer requirimus, ut nihil laboris aut diligentiae in promovenda, obtinendaque hujus strenui ac de nobis bene meriti viri libertate praetermittatis, Rustano passae subinde in memoriam revocando, quod et nos insignes viros aliquos Turcas, qui a nostris militibus capti fuerunt, liberos dimiserimus, prout ista secundum prudentiam et industriam vestram, recte proponere scietis. Atque haec sunt, quae vobis respondenda esse duximus. — — Datum in civitate nostra Vienna die 2. mensis Augusti 1553. Ferdinandus m. p. J. Jonas vicecancellarius. Ad mandatum sacrae majestatis regiae proprium M. Singkhmoser.

Postscripta. Allatae sunt ad nos inclusae litterae, quas passa Budensis ad comitatum Bihariensem dedit, et quarum plures per regnum nostrum Hungariae et Transsylvaniae ad sollicitandum animos fidelium regnicolarum nostrorum ad defectionem, disseminavit, in quibus videbitis, quod non solum aperte contra conclusionem et pactas conditiones induciarum, inter nos et principem Turcarum initarum egerit, verum nec honori aut dignitati nostrae pepercerit, quem licet ea de re etiam admonuerimus, petendo, ut imposterum a talibus litteris abstineat, neque nostros rebelles foveat aut manuteneat, tamen vobis quoque hujusmodi litteras transmittendas esse duximus, ut, si operae pretium fore videbitur, eas isthic ostendere possitis.

Porro adjunximus etiam exemplum reversalium litterarum, quas Petrus Petrowith nobis dedit, quando

ipsi arcem Munkacs assignavimus, quarum medio se ad praestandam nobis perpetuam obedientiam obligavit una cum suis castellanis; ut re ipsa demonstrare queatis, dictum Petrowith jam dudum nobis juramento adstrictum fuisse, adeoque nunc rebellem et infidelem subditum nostrum existere.

Similiter visum est nobis operae pretium fore, vobis articulos per regnicolas et fideles subditos nostros partium regni nostri Transsylvanarum, in novissimo conventu conclusos transmittere, quo uberiorem de rebus Transsylvanicis informationem habeatis, atque facilius negotium illud apud principem Turcarum et illustrissimum Rustanum passam expedire possitis. Datum ut supra.

III.

(a 49. laphoz.)

Verancsicsnak és Zaynak a király.

1553. aug. 18. Ferdinandus etc. Redditae sunt nobis litterae vestrae, quas ultima proxime praeteriti mensis Julii Belgrado ad nos dedistis, gratoque et clementi animo intelleximus ea, quae per illas nobis ostendistis, et praesertim, quod iter vestrum, quantum potestis, acceleretis, confidimusque vos jam, Deo Optimo Maximo comite, salvos et incolumes Constantinopolim appulisse.

Porro, licet vobis nuper admodum, nempe die 2. praesentis significaverimus, quam longe jam seditiones et motus a Petro Petrowith et conjuratis suis factiosis, sub nomine serenissimae reginae Isabellae et illustrissimi filii sui in Transsylvania et exterioribus adjacentibus regni nostri Hungariae partibus, contra

nos excitati, progressi fuerint, passa Budensi tali incendio oleum per litteras, quas circumquaque per regnum nostrum Hungariae contra nos sparsit, et auxilii oblationem suffundente; adeoque non dubitemus, quin in excelsa serenissimi Turcarum principis porta, quamprimum ad tractationes admissi fueritis, vestra prudentia et dexteritate hisce rebus remedium quaesituri sitis: tamen, cum motus illi magis, magisque in dies invalescant, et passa Budensis jam aperte, se rebillibus nostris auxilium laturum esse profiteatur, non attento, quod in eo induciis inter nos et serenissimum Turcarum principem initis prorsus contrarietur et repugnet, visum fuit nobis, non abs re fore, ut vos per hunc proprium tabellarim de omni rerum statu edoceamus, eam ipsam ob causam transmissis ad vos diversarum litterarum et scripturarum exemplis, ad praesentes annexis, ut ita de omnibus rebus instructi, eo melius negotia nostra expedire, et vos ex impedimentis, si quae vobis opera adversariorum nostrorum objici contigerit, explicare sciatis.

Videbitis autem ex litteris postremis passae Budensis, seu earum exemplis, quod omnino statuerit Petro Petrowith rebelli nostro ac conjuratis suis complicibus, quos ipse fideles serenissimi Turcarum principis vocat, nostros fideles, subditos et eas regni nostri partes, quarum causa tum inducias fecimus, tum vos ad excelsam principis Turcarum portam expedivimus, jam de facto invadentibus ac occupare conantibus subsidium ferre. Quod equidem si ab ipso fieret, longe majoribus turbis ac motibus causam praeberet, quia vobis cognitum esse potest, quod nos fideles nostros subditos debito auxilio ac defensione destituere non possimus, quemadmodum necessitate postulante

eos non deseremus, sed contra omnem vim, divina adjuti gratia, defendemus ac tuebimur.

Caeterum, cum mentem ac voluntatem nostram jam antea ex instructione vobis data abunde-cognitam habeatis, praesentem vero rerum statum ex annexis diversarum litterarum exemplis facile elicere queatis: brevius vos tantum admonitos esse volumus, ut rem omnem citra moram magno principi Turcarum, aut illustrissimo Rustano passae, aliisque passis et officialibus Turcarum principis ordine exponatis, et magna instantia petatis, ut magnitudo ejus dicto passae Budensi, necnon Kaszon passae, item Zolnokiensi et Szegediensi, caeterisque sangiakis ac praefectis in confiniis existentibus serio et firmissime mandet, ut ab armis cessent, nec rebelli nostro Petrowith vel suis adhaerentibus contra nos aut fideles subditos nostros, vel in Transsylvania vel in aliis regni nostri Hungariae partibus quidpiam auxilii praestent, donec de hoc toto Transsylvaniensi negotio cum magnitudine ejus aut suis passis plane concordaveritis et concluseritis, attento, quod etiam Transsylvania conditionibus induciarum semestrium, ut caetera regna et provinciae nostrae comprehensa sit; sed quod interim nobiscum et cum fidelibus subditis ac militibus nostris bona pace et vicinitate utatur, id quod vicissim et nos facturi simus.

Quamprimum autem responsum super hoc obtinueritis, operam dare debebitis, ut nos de mente ac voluntate serenissimi Turcarum principis ac Rustani passae, primo quoque tempore, per hunc ipsum tabellarium nostrum certiores faciatis. — — Datum in civitate nostra Vienna, die 18. Augusti 1553. Ferdinandus m. p. J. Jonas vicecancellarius. M. Singkhmoser.

IV.

(a 142. laphoz.)

Verancsicsnak és Zaynak a király.

Ferdinandus etc. Redditae fuerunt nobis litterae, quas die 5. proxime praeteriti mensis Octobris ad nos dedistis, unde lubenter cognovimus, hominem nostrum, quem per viam Budae, superiore mense Augusto ad vos expediveramus, salvum una cum litteris nostris ad vos pervenisse, eodemque die etiam litteras, quas per viam Venetiarum ad vos dederamus, vobis redditas esse. Ad quas quidem litteras vestras, per has vobis breviter respondendum duximus, ut et de mente ac voluntate nostra primo quoque tempore certiores redderemeni. 1553. nov. 22.

Et primo: significamus vobis perclementer, quod etiam Joannes Maria Malvezius superioribus diebus, salvus ad nos appulerit, et omnia ea, quae nobis per ipsum nunciastis, et quae isthic apud serenissimum Turcarum principem et passas suos, in negotio tractandae pacis vobis demandato egistis, diligenter atque fideliter nobis coram prolixa oratione exposuerit. Cognovimus itaque non solum ex illis prioribus litteris et scriptis vestris, per Malvezium ad nos allatis, verum etiam ex hac posteriore epistola vestra, vos omnia prudenter, diligenter, fideliter et recte egisse atque tractasse, eaque a vobis grato admodum et clementi animo accipimus, quin etiam prudentia vestra, consilium, quod litterae vestrae, et praesertim posteriores continebant, a nobis magni fit, et maximopere probatur. Facile namque judicamus, vos qui

isthic praesentes rerum statum intuemini, optimum etiam consilium rebus afferre posse.

Dabimus equidem operam, ut ea, quae a nobis fieri debere censetis, primo quoque tempore perficiantur, et imprimis curabimus, ut in Transsylvania oratores, ut petiistis, ad portam principis Turcarum mittendi, atque a:ia, quae rebus secundum sententiam vestram commoda ac necessaria fuerint, citra longiorem moram expediantur, quod et dudum factum fuisset, nisi Petrus Petrowith, opere quorundam factiosorum hominum, contra nos et fideles subditos nostros rebellionem concitasset, in qua reprimenda nostri vajvodae aliquamdiu occupati fuerunt.

Porro, cum serenissimo quoque rege Poloniae, filio et consanguineo nostro charissimo, tractabimus, ut serenissimam sororem suam cum illustrissimo ejus filio moneat et inducat, ne a pactis conventis discedant, sed sese apud serenissimum imperatorem Turcarum declarent, quod omne consilium et institutum in Transsylvaniam, Hungariamque redeundi abjecerint, nec eo redire velint aut optent. Et speramus, non solum hoc serenitatem ejus, necubi officio amantissimi fiilii deesse videatur, sedulo curaturam, sed etiam ipsammet serenissimam reginam Isabellam cum suo filio se facilem ac benevo!am hac in re exhibituram esse. Et expedivimus jam hinc oratores nostros, qui ad serenitatem ejus pergant; demum etiam quantocius fieri poterit, ad optata serenissimi Turcarum principis nos resolvemus, ipsumque Malvezium cum resolutione nostra ad vos remittemus, quae talis omnino erit, ut confidamus, magnitudinem principis Turcarum eidem benevole et amice acquieturam et manifeste tandem intellecturam, quod non ficto, sicuti

adversarii nostri criminari videntur, sed sincero animo et corde amicitiam magnitudinis suae exoptemus atque colamus.

Deinde, nobis quoque curae erit, ne mercatores illi Veneti, qui superioribus annis oratori nostro Malvezio isthic sumptus suppeditaverunt, aliquid damni faciant, sed faciemus cum ipsis tractari, et quidquid eis, subducta ratione, recte deberi cognitum fuerit, id primo quoque tempore ipsis persolvemus; quin etiam vestri benigne memores quoque erimus, ut de impensis vobis provideatur, ne egestatem aut nimiam penuriam ferre cogamini. Insuper, ut chiausio vestro etiam mos geratur, jussimus, filium ejus Mehmeth Chielebi ubique inter Turcas captivos perquiri, quem, simul atque inventus fuerit, liberum dimitti jubebimus, et patri suo cum Malvezio remittemus.

Proinde vos interim pergite solita fide, diligentia et peritia vestra res nostras agere, ac per litteras, vel quibuscunque poteritis modis et rationibus, magnitudinem principis Turcarum ac passas suos, praecipue illustrissimum Rustanum passam vobis conciliare, necnon sollicitare et hortari, ut resolutionem nostram patienter expectent, quemadmodum vos sponte facturos non ambigimus, nec monitore egere credimus; id, quod omni clementia erga vos recognoscemus. Caeterum, ne ignari sitis eorum, quae hic apud nos geruntur, jussimus hisce annecti quendam extractum, ex quo omnem rerum statum, praesertim vero ea, quae hactenus tam in Transsylvania, quam partibus trans Tibiscum sitis, nostri in defensionem ditionis nostrae et sui ipsius gerere coacti sunt, cognoscere queatis. Quod autem in praesentiarum ad principem Turcarum nihil litterarum demus, causa haec

est, quod nuncium quendam ad passam Budensem ablegaverimus, a quo adhuc responsum expectamus. Eo itaque allato, magnitudini ejus statim per viam Budae scribemus ea, quae scribenda visa fuerint, et simul ad vos quoque tunc litteras dare non obliviscemur. Datum in civitate nostra Vienna, die 22. Novembris 1553. Ferdinandus m p. J. Jonas vicecancellarius. M. Singkhmoser.

V.

(a 265 laphoz.)

Verancsicsnak és Zaynak Ferdinánd.

1554. máj. 25. Ferdinandus etc. Postquam jam discessisset hinc Joannes Maria Malvezius, collega vester, cum tributo Transsylvanico, omnibusque aliis, ad legationem istam conficiendam necessariis, ecce supervenit ad nos Joannes Vegh, quem reverendus, et magnifici fideles nobis dilecti, episcopus et vojvodae Transsylvanienses in mense Decembri superioris anni 1553 ad portam principis Turcarum expediverant, cum litteris vestris; retulitque nobis diffuse omnia ea, quae per eum isthic in Porta gesta et tractata fuerint, quaeve ipsi contigerint, attulitque simul litteras a principe Turcarum ad vojvodas nostros, caeterosque nobiles Transsylvaniae et civitatem Cibiniensem et Brassoviensem datas, ex quibus omnibus litteris et nunciatis manifeste cognovimus consilia et instituta principis Turcarum, quae cepit de eripienda nobis Transsylvania, durantibus etiam induciis, et nondum perfecta tractatione pacis, quam cum magnitudine ejus per vos agitare coepimus; et quod jam mandaverit

Transsylvanis, ut filium quondam regis Joannis in regnum reducant, misso ad eundem puerum regium, tamquam subditum et ministrum suum, vexillo, et fovendo, juvandoque adversarium et infidelem subditum nostrum Petrum Petrowith contra nos et fideles subditos nostros, data etiam ad vojvodas Moldavum et Transalpinum commissione, ut Transsylvaniam invadant, et dicto puero regio in occupanda illa nostra provincia auxilium ferant.

Quam sane intentionem et propositum dicti serenissimi Turcarum principis confirmarunt etiam non solum vulgaris fama de magnis ad bellum apparatibus, sed procinctus etiam et expeditio utriusque vojvodae, Moldavi et Transalpinensis, qui jam jam infestis signis dictam Trassylvaniam invasuri nunciantur, vel jam invaserunt. Quae sane postquam intelleximus et maturo consilio ponderavimus, visum est, ipsum Malvezium Comaromii per aliquot dies detinendum esse, quoad motus isti componantur et sileant, et serenissimus Turcarum princeps nos assecuret, quod interim, donec ista tractatio ad finem deducatur, nihil contra nos aut Transsylvaniam per se aut suos attentaturus sit. Grave namque et iniquum foret, nos mittere magnitudini suae tributum pro Transsylvania, ac nihilominus etiam ad capienda pro defensione ejusdem arma cogi, aut si res minus prospere succederet, Transsylvaniam una cum tributo perdere.

Neque nos sane quidquam ejusmodi hoc tempore expectavimus, ex quo in conditionibus induciarum, superiore anno, cum Aly passa Budensi firmatarum, ut scis tu Quinqueecclesiensis, expresse conclusum est, quod induciae tam pro Transsylvania et partibus regni trans Tibiscum existentibus, quam pro reliquis

Hungariae partibus, Croaticisque et Sclavonicis confiniis, et caeteris universis regnis atque provinciis nostris initae esse intelligantur; quam sane conditionem non solum modernus passa se observaturum obtulit, verum ipsemet princeps Turcarum quoque se mandaturum pollicitus est tam Temesiensi quam Budensi passae, ac omnibus aliis suis capitaneis, praefectis et militibus: necubi fidelibus subditis, militibusque nostris, aut ditioni nostrae damnum vel injuriam inferant, sicuti sane magnitudinem ejus dicto Budensi passae mandasse apparet in litteris, quas idem passa in mense Novembri superioris anni ad nos dederat.

Atqui, ne princeps Turcarum aut passae sui existimarent, quod data opera tempus respondendi aut declarandae voluntatis nostrae circa retentionem vel dimissionem Transsylvaniae extrahamus: noluimus praefatum Malvezium ex itinere revocare, sed jussimus instructum cum pecuniis et tributo Transsylvanico Comaromii subsistere et opperiri, donec videamus, quorsum conatus et motus isti erupturi sint, eosdemque vel passa Budensis vel ipsemet princeps Turcarum, cui per praesentem nostrum tabellarium scribimus, prout ab exemplo litterarum ipsi datarum fusius cognoscetis, composuerit. Quodsi a magnitudine ejus assecurati fuerimus, quod negotium hoc pacis cum magnitudine principis Turcarum in excelsa Porta expeditum fuerit, nostrique oratores ad nos redierint, inducias tam in Transsylvania, quam caeteris universis confiniis nostris firmiter observatum iri, neque Moldaviensem neque Transalpinensem vojvodas, aliosque quidpiam molestiae nobis daturos: praefatum Malvezium coeptum iter absque omni mora prosequi jubebimus.

Proinde, vos etiam de his rebus admonendos, certioresque reddendos duximus, committentes vobis, ut de iis Constantinopoli cum Zynan passa tractetis, cui etiam scripsimus, sicuti ex exemplo litterarum illarum cognoscetis, et deinde tabellarium illum nostrum ad portam principis Turcarum expediatis, addito eidem secretario aliquo vestro, vel altero quopiam idoneo viro ex iis, quos vobiscum habetis, qui maturum responsum apud excelsam Portam petere et obtinere sciant; quin etiam vos, tum per litteras tum aliis quibuscunque rationibus commodius poteritis, efficere studeatis, quod magnitudo principis Turcarum supranominatos vojvodas Moldavum et Transalpinum, Petrum Petrowith, passasque, sanzakos et praefectos magnitudinis suae, quibus id negotii datum est, a coepta et instituta expeditione Transsylvaniensi revocet, et in omnibus regni partibus, sicuti se antea magnitudo ejus facturam obtulit, donec hoc negotium conficiatur, vosque in ditionem nostram ad nos salvi redieritis, inducias firmiter inviolabiliterque observari curet. Quod sane ut diligenter ac sedulo faciatis, benigne vobis injungimus. Datum in nostra civitate Vienna, die 25. Maji 1554. Ferdinandus m. p. J. Jonas vicecancellarius. M. Singkhmoser.

VI.

(a 338. laphoz.)

Nádasdy Tamásnak Verancsics és Zay.

1554. szept. 2. Postquam ea, quae majestas regia, dominus noster clementissimus, postremo ab hoc principe expetivit, obtenta sunt, ita ut jam dominus Joannes Maria, quantum licet conjicere, secure reditum suum ad nos continuare possit, ne in his omnia alia recenseamus, quae dominatio vestra illustrissima ex litteris ad ejus majestatem datis intelliget, una in re potissimum enitendum esse putamus, ut idem Joannes Maria quam citissime huc adveniat, quo si res incepta serie debeat confici, agi etiam mature et diligenter aggrediatur, antequam nova aliqua impedimenta nos praeveniant, et haec nobis adimatur occasio, quae non videtur levis, neque inepta est. Quoniam autem et hic et foris non desunt, qui ad reditum hujus principis commentabuntur in partem nostram multos obices, celeritate agendi et perficiendi quicquid pendet negotii, utendum est, quo prorui et disjici possint. Nos igitur finito nostro officio in suggerendis his, quae videntur in se momenti habere aliquid, nescimus quid praeterea agamus, nisi nobis mandatum fuerit. Quare dominationem vestram illustrissimam rogamus, ut expensa rei opportunitate dignetur domini Joannis Mariae expeditionem adjuvare, ne si denuo in dilationes inciderimus, gravis aliquid committatur; quamquam nos quod suademus, fortasse nescimus, quia isthic non sumus, at certe vellemus omnia et commoda et bona. Et de his hoc tantum. Reliquum erit, ut ve-

strae illustrissimae dominationi necessitatem nostrarum impensarum commendemus. Diu jam est quod mutuaticio aere utimur, idque non sine rerum nostrarum detrimento: quotidie enim impendendum est, quia secus fieri nequit, si dignitatem et existimationem serenissimi principis nostri tueri rite velimus. Quapropter etiam atque etiam rogamus, ut quando fuerit opportunum, de hoc apud suam majestatem meminisse non dedignetur. — — Datum Constantinopoli, XXV. Septembris 1554. Antonius Verancius Quinqueecclesiensis episcopus. Franciscus Zay de Chemer.

VII.

(a 367. laphoz.)

Verancsicsnak és Zaynak Ferdinánd.

Ferdinandus etc. Venit ad nos salvus et incolu- 1554. nov. 6. mis tabellarius ille noster, quem superiore mense Majo cum litteris ad vos expediveramus, reddiditque diversas litteras vestras ad diem 25. praeteriti mensis Septembris datas. Alias vero ab imperatore Turcarum ad nos scriptas passa Budensis nobis per quendam chiausium suum, nomine Isref, transmisit, quarum omnium tenorem clare et abunde intelleximus et diligenter quoque discussimus. In vestris sane litteris *) manifeste apparuit, vos neque fidei, nec prudentiae et diligentiae, immo neque expectationi nostrae hactenus unquam defuisse, id, quod grato equidem et benigno admodum animo a vobis accepimus, et benignitate nostra regia erga vos recognoscere valde propensi eri-

*) Pray jegyzése: ‚E helytt titkos jegyekkel irt három sor szemlélhető.‘

mus, non diffidentes, vos imposterum eandem fidem, studium ac industriam in negotiis nostris adhibituros esse.

Intellectis autem litteris principis Turcarum, animadvertimus quidem, rem omnem in matura ac celeri Joannis Mariae Malvezii expeditione versari, eamque necessariam omnino fore. Sed cum videremus, Turcam et ipsummet passam Budensem, cum suis sanzakis et militibus jam aperto quasi marte, ferro et igne et rapinis in ditionem et fideles subditos nostros passim per regnum Hungariae grassari, quin etiam arces partim invadere et occupare, prout de Fylek et Salgho evenit, — nam Hamsabegus primo superiorem arcis Fylek partem furtim cepit, inferiorem vero et Salgho ipsemet passa in Hamsabegi subsidium infestis signis, oblitus promissorum suorum, proficiscens occupavit,— partim vero per dolum tentare et aggredi, sicuti nuperrime de Csobanz accidit, quod castrum Deus tamen conservavit; item milites nostros irritare, eisque insidias struere, quemadmodum 17. Octobris Velibeg sanzakus Hatvaniensis egit, qui immissis in aliquot villas circa oppidum Porozlo populatoribus, ut Agrienses ad ferendam opem fidelibus illis nostris subditis eliceret, eisdem opportuno loco insidias struxit, et irretitos nostros, fraudis ignaros profligavit, capto ipsomet capitaneo Agriensi, Georgio Litterato ac Stephano Solthay, una cum aliis pluribus trucidatis ac fugatis, — haec inquam cum videremus, valde opus fore existimavimus, ut prius quam oratorem nostrum cum iis, quae ad talem expeditionem requiruntur, dimitteremus, animum passae Budensis circa observationem induciarum perscrutaremur, et denique cum eo tales rationes iniremus ac

concluderemus, quibus utrinque tranquillitas et induciae firmiter observarentur, donec dictus Malvezius ad nos pervenerit, totique isti tractationi ac legationi finis imponeretur, vosque ad nos reversi essetis: eamque ob causam misimus Paulum Litteratum de Palyna ad ipsum passam, ut cum eo de iis omnibus tractaret, quo tutius postea Malvezius coeptum iter posset prosequi, 'uti ex illius instructione, cujus exemplum praesentibus adjungi jussimus, cognoscetis,

Allato porro ab eo per antelatum Paulum responso, cujus etiam simul ac verbalis suae relationis, cum iis copiam habuistis, cupiebamus quidem, non longiorem moram hujusmodi expeditioni dicti Malvezii interponere, sed posteaquam jam iterum in gravissimam et periculosam infirmitatem, nempe vehementissimam febrem continuam, incidit, adeo quod etiam vita ejus periclitari videretur, satius fore putavimus, rem per aliquot paucos dies differre, donec a vi morbi liberatus, vires aliquantum recolligat et molestiam itineris perferre queat, quam aegrotum et semianimem difficultatibus itinerum et temporis cum periculo vitae objicere. Qui si interea rectae valetudini restitutus fuerit, coeptum iter prosequetur, et ad primam Decembris proxime sequentis mensis, omnino Budae erit, sin minus, quod nollemus, cum Turcarum princeps et passae sui hunc Malvezium prae aliis cupiant, nosque etiam ejus operam, cum sit rerum illarum tractandarum peritissimus, majori quam alicujus alterius, usui nobis futuram confidamus: alium tamen loco ipsius ad hujusmodi legationem deputabimus, et sub idem tempus omnino Budam una cum pecuniis, muneribus, instructione et universis, quae ad rem recte gerendam pertinent, expediemus.

Ex qua quidem brevi dilatione, ne princeps Turcarum et passae sui aliquam sinistram de nobis suspicionem conciperent, sed ipsae causas recognoscerent, scirentque oratorem statim certo secuturum, scripsimus per hunc proprium tabellarium nostrum non solum ad passam Budensem, verum ad ipsummet quoque principem Turcarum, prout ex alligato exemplo cognoscetis, vobisque idem significandum duximus, ne ejus rei ignari essetis, fidelitati vestrae propterea benigne injungentes, ut apud Hibraim passam, locumtenentem Constantinopolitanum, aut ubi proficuum videbitur, laboretis et efficiatis, ut hujusmodi litterae nostrae primo quoque tempore per vos ad magnitudinem dicti principis Turcarum transmitti queant, nisi forte interea magnitudo ejus Constantinopolim rediisset. Quo etiam in casu, quid facto opus sit in praesentandis talibus litteris nostris, non ignoratis, et in his exequemeni beneplacitam voluntatem nostram. Mittimus autem vobis etiam ternas credentiales cum exemplis, quibus, si videbitur, in praesenti negotio uti queatis. Quae vobis scribenda et annuncianda restant, ab oratore, Deo dante, intelligetis, per quem etiam de expensis vestris et familiae vestrae clementer prospiciemus.*) Datum in civitate nostra Vienna, die 6. mensis Novembris 1554. Ferdinandus m. p. J. Jonas vicecancellarius M. Singkhmoser.

Következik Singkhmosertől:

Reverendissime, magnifice, domini oratores, domini observandissimi. Ego in tanta negotiorum multitudine, quibus obrutus sum , et hujus expeditionis festinatione, non possum, uti vellem, de omni rerum

*) Pray jegyzése: ‚Itt ismét öt sor titkos jegyekkel van irva, de valamint a felebbiekhez, úgy ezekhez sem birjuk a kulcsot.‘

statu, dominationes vestras certiores reddere, quare dignentur me excusatum habere. Alias fortassis dabitur occasio fuse scribendi, et tunc officio non deero. Deus Optimus Maximus easdem, rebus, ex animi sententia confectis, incolumes reducat Viennae, 6. Novembris 1554. M. Singkhmoser. — Imperatori nostro bellum contra Gallum feliciter successit. Scimus etiam classem Turcicam esse revocatam, et fortassis concordabit Deus animos principum Germaniae in proxime futuro conventu imperiali.

VIII.

(a 375. laphoz.)

Ferdinand utasítása a követek számára.

Ferdinandus divina favente clementia Romano- 1554. nov. 23.
rum, Hungariae, Bohemiae, etc. rex. etc.

Instructio juxta cujus praescriptum nobilis, fidelis nobis dilectus Augerius a Busbeck aulae nostrae regiae familiaris, orator noster, primum apud passam Budensem, deinde vero simul una cum reverendo devoto, ac magnifico, fidelibus nobis dilectis, Antonio Verancio episcopo Quinqueecclesiensi, praeposito Pornensi, ac Francisco Zay, nazadistarum nostrorum generali capitaneo, consiliariis, commissariis et oratoribus nostris inchoatam tractationem pacis cum serenissimo et potentissimo principe et domino sultano Solymano, imperatore Turcarum ac Asiae et Graeciae etc. prosequi et ad finem deducere debebit.

Imprimis orator noster sese Budam ad spectabilem et magnificum virum Thoygon passam Budensem conferat, illique exhibitis litteris nostris creden-

tionalibus salutem verbis nostris dicat, et subinde gratiam ac benignitatem nostram in se regiam declaret.

Deinde vero referat ei, quod cum superiore anno duo insignes oratores nostri ad serenissimum imperatorem Turcarum expediti fuissent, ut cum magnitudine ejus nostro nomine inducias vel pacem perpetuam, sub honestis et tolerabilibus utrique parti conditionibus renovarent et stabilirent, inter tractandum autem nonnulla tam gravia occurrissent, ut ab ipsis oratoribus nostris explicari non potuerint, ipse serenissimus princeps Turcarum ad illa mentem et reflexionem nostram omnino intelligere petiisset, voluisse tunc magnitudinem ejus, ut unus ex illis oratoribus nostris, nempe Joannes Maria Malvezius postulata magnitudinis suae ad nos perferret, nosque per ipsum magnitudini ejus desuper mentem et animum nostrum rursus nunciaremus et declararemus; rebus itaque mature deliberatis, nos tandem resolutionem coepisse, atque sese cum ea nunc ad reliquos nostros oratores mittere, ut illam magnitudini ejus una omnes significare et aperire possint, quam nos tam aequam et tam honestam esse judicemus, ut etiam confidamus, ipsum serenissimum principem Turcarum eidem omnino benevole acquieturum esse. Cum qua quidem resolutione nostra licet lubentius Malvezium juxta desiderium passarum et citius expedivissemus, tamen Malvezium nondum convaluisse, dubitandumque fuisse, si ipsum aegrotum et imbecillum laboribus ac molestiis tam longinqui itineris et hiberni temporis cum periculo vitae objecissimus, ne in via aut moreretur, aut tardissime Constantinopolim attingeret, unde et longior dilatio tractatibus istis injiceretur et ipsi quoque prin-

cipi Turcarum, qui adventum oratoris nostri accelerari postulavit, non satisfieret; impedimenta autem, quibus haec expeditio hucusque retardata fuit, passam ipsum jam saepius et praesertim per novissimas litteras nostras a nobis intellexisse, ut ea ad praesens repetere supervacaneum videatur, ideoque nunc ab ipso passa petere et salvum conductum et fidos itineris comites, quo tutius et commodius ad collegas suos Constantinopoli existentes pervenire possit.

Ubi quidem orator noster cautus esse debebit, si forte passa Budensis explicari vellet, quae sit resolutio seu responsio illa nostra, quam ad portam sui domini perferat, ne illam ei patefaciat, sed sese excuset modeste, dicendo, quod vereatur sibi vitio datum iri, si resolutionem nostram prius ipsi quam domino suo, principi Turcarum, declararet, praesertim cum hac de re nihil sibi a nobis mandatum fuerit; inter principes enim observari solitum, ne cui ministrorum legationes aperiantur prius, quam illi, ad quem oratores mittuntur, exponantur. Ita etiam oratores domini sui, quando ad nos missi fuerant, cum nullo consiliariorum nostrorum negotia quae afferebant, communicasse, antequam ad nos venerint. Adferre tamen se bonum responsum et tale, quod magnitudinem ejus amice accepturam plane credat; interea quieto animo esse operamque dare velit, ut induciae a suis hominibus recte et firmiter observentur.

Deinde vero orator noster eidem passae dicat: ipsum procul dubio recordari, quod in proximis litteris nostris receperimus, nos ei per oratorem nostrum propediem ad excelsam domini sui portam mittendum responsuros ad ea, quae egregius fidelis nobis dilectus Paulus Litteratus de Palyna ab ipso nobis

tum in scriptis tum viva voce significanda accepit, in quibus tamen hoc sit potissimum, quod ipse passa nunciaverit, nempe ut oratorem nostrum juxta optata domini sui ad excelsam magnitudinis suae portam ablegemus, qui de omnibus inter nos et magnitudinem ejus transigat atque concludat, firmamque pacem stabiliat. Se namque in mandatis nunc habere, ut cum oratorem nostrum certo expeditum iri et iter ingressurum intellexerit, sese totaliter, quoad omne negotium inter nos et dictum serenissimum imperatorem definitum fuerit, quieti et tranquillitati dare debeat: quibus domini sui jussis sese obtemperaturum, iterumque firmissima mandata ad omnes partes ditionis potentissimi imperatoris sui daturum, zanzakis, begis, vajvodis, caeterisque militibus et subditis in regno Hungariae existentibus, ac vajvodis Moldaviensi et Transalpinensi, ut interim quoad orator noster reversus fuerit, inducias ipsas observent. Item, quod cum oratore nostro ad sublimem principis Turcarum portam expediendo una cum hoc etiam nostrum mittamus, cui ipse quoque passa unum ex suis adjungere velit, ut una omnes villas noviter occupatas perambulent, siquidem statim singulas restitui curaturus, nec illas in posterum a quoquam offendi permissurus sit. Cum itaque nos promissis nostris de mittendo oratore satisfecerimus, nos sane magnopere postulare, ut pro justitia et aequitate vicissim ipse passa quoque, quae et oretenus et scripto sub manu sua et sigillo spopondit, re ipsa nunc praestet et exequatur; videlicet ut secundum voluntatem ac mandata domini sui ab omni hostilitate se contineat, sed inducias ubique locorum tam circa Transsylvaviam et in aliis regni nostri partibus, quam in Dalmatia, Cro-

atia, Sclavonia et caeteris provinciis nostris firmiter et inviolabiliter observet, eaque de re ad Kazzon passam Themesiensem, atque alios omnes et singulos passas, zanzakos, begos, officiales, milites et subditos principis Turcarum, necnon ad vajvodas Moldaviae et Transalpinae denuo firmissima mandata dare curet, ut et ipsi sese ab incursionibus contineant, nec, uti quotidie facere solent, in ditionem nostram ad arces et loca nostra evagentur, milites nostros incitantes et provocantes, arcesque nostras per insidias subinde tentantes ac aggredientes, sicuti ei nuper de arce Cioban*) contigisse, scripsimus; et postea quoque de Ticonio**) factum est, quam arcem noctu aggressi, maximo impetu oppugnarint; et prohibeat ne milites nostros, sicuti indesinenter faciunt, ad duella provocent hoc induciarum tempore, quemadmodum etiam nos militibus nostris ejusmodi duella inhibuimus, quod magnorum illa dissidiorum, motuum atque malorum materiam subministrare cernamus. Ad haec, desinat passa jam tandem permittere, ut aliae post alias villae, quae antea Turcis nunquam tributum, decimas aut servitia praestiterunt, nostris subditis eripiantur, atque decupentur, vel ad deditionem sollicitentur, sed potius noviter occupatas nobis juxta promissa sua citra omnem moram restitui faciat, nec communes villas insolito et nimio servitio, censuque gravari sinat. Hanc enim ob causam cum ipso oratore ad eum a nobis expeditum esse antedictum Paulum Litteratum de Palyna, ut apud ipsum interim maneat,

*) Pray, ki ezen okiratot nem az eredetiből, hanem gyarló párjából másolta, e helyt rekesztték közé veti: ‚fors Kopan'; de a felebbiekből s a következőkből világos, hogy itt ‚Csobáncz'-nak kell állani.

**) Úgy látszik, Tihany.

et negotium hoc restituendarum noviter occupatarum villarum urgeat, earumque possessionem postmodum recipiat, cui passa propterea idoneum aliquem suum hominem assignare et adjungere debeat, quo commodius atque expeditius talis restitutio per utrumque ubivis locorum per confinia citra moram executioni demandetur; et in posterum per Turcas ab hujusmodi violentiis et innovationibus plane supersedeatur, quandoquidem indies ad nos ea de re gravissimae querelae perferantur, et litteris quoque officialium Turcicorum passim sparsis, quarum jam plures in manibus nostris habeamus, confirmentur; quarum sane unas orator tum passae ostendere debebit, easdemque postea etiam ad Portam ferre, ut ibi quoque illis uti queat, quod sane serenissimo Turcarum imperatori placere minime credamus, qui, ut ex litteris suis ad nos datis apparet, benignam admodum et magnam colonorum rationem ducit, eisque parcere propensus est. Deinde nos etiam petere, ne se ulterius difficilem praebeat circa dimissionem et relaxationem subditorum, et militum nostrorum, qui sub induciis intercepti sunt, sed eos benevole restituat ac relaxet, sicut et conditiones induciarum et ratio ac aequitas postulare videntur, maxime vero eos, qui nuper ex Agria, dum fidelibus nostris subditis, sicuti tenebantur, opem ferre, non ditionem principis Turcarum invadere vellent, insidiis Velibegi zansaki Hatvaniensis contra tenorem induciarum circumventi et captivati fuere. Item, qui haud ita pridem ex Castello Novo reverendissimi archiepiscopi Strigoniensis, volentes defensioni subditorum suorum oppidi Farnad . . . . in captivitatem Turcarum immerito devenerunt, idque non in ditione Turcarum principis, sed communi loco et ad

utriusque jurisdictionem pertinente. Item, tredecim illi equites huszarones, qui istis diebus ex Agria capti et tabellario nostro Budae a passa ostensi fuere; quandoquidem ad nos perlatum sit, illos non exivisse, ut incursionem seu depraedationem facerent aliquam, sed ut proventus adminitstrarent, emissos fuisse. Consideret etiam idem passa, aequitati et honestati convenire, ut in re tam justa nobis quoque vicissim rependatur, propterea quod multos jam Turcas, non tam qui sub induciis capti fuerant, sed etiam alios, et nominatim Hamsabegum, qui belli tempore in potestatem nostram inciderunt, nullo jure aut pacto id poscente, sed ex mera liberalitate et benignitate liberos dimiserimus. Caeterum, quoniam Turcae subinde capere solent homines, militesque nostros, quando ad exigendos census et administrandos proventus emittuntur, a Turcis ipsis insimulati, quod ad faciendas excursiones et depraedationes exivissent, adeoque et subditi nostri miseri in percipiendis debitis suis proventibus impediuntur, et milites nostri in hujusmodi exactione censuum e villis, quae ad utramque partem censum et servitia exhibent, capiuntur et trudicantur: ideo necessarium omnino erit, quod dictus orator noster, et praefatus nuncius Paulus Litteratus cum passa Budensi de modo aliquo constituendo tractent, juxta quem ordinarius et solitus census ex hujusmodi villis, utrique parti tributariis sine ullo motu militum, utrinque pacate et commode exigatur et recipiatur. Poterunt autem nostra ex parte proponere talem modum, quod scilicet restitutis nobis ac subditis nostris omnibus et singulis villis seu possessionibus, quae tempore initarum praesentium induciarum Turcis nul um censum aut servitium praestiterunt, reliquae

omnes, quae illo adhuc tempore utrique parti servierunt, per duos idoneos commissarios hinc inde deputandos, Christianum unum, alterum Turcam, ordine describerentur et aestimarentur, ut utrique parti constaret census, quem villae illae utrinque etiam solvere tenerentur; ac juxta istiusmodi aestimationem et limitationem afferrent deinde judices villarum utrique parti suam ordinariam portionem consueto tempore ad stationes ipsorum, nec permitteretur ullus hominum praeter illos deputatos commissarios ex utraque parte exactioni census aut servitii sese ingerere, sed continerentur milites hinc inde domi, neque per villas et possessiones, sicuti nunc fit, impune vagari permitterentur; aut si hic modus non videretur principi Turcarum vel passis suis commodus, constituerentur hinc inde in omnibus finibus regni, ubi nimirum tales deditiae villae sunt, quae, uti antea dictum est, ad utramque partem solvunt, bini commissarii in vicinis locis habitantes, unus ex nostra, alter vero e Turcarum parte, qui tempore, quo census et servitia exigi solent, in istiusmodi communibus locis convenirent, et ordinarium ac consuetum censum divisum reciperent, et utrique parti suam portionem assignatam traderent, ita quod neque hoc medio milites in exactionem istam se insinuarent, sed in stationibus suis retinerentur; sin vero ipsimet oratores nostri faciliorem ac tutiorem modum ac rationem omnium discordiarum et motuum materiam resecandi cognoverint, illum quoque proponere et acceptare poterunt.

Quod si autem apud passam Budensem de his nihil impetrari poterit, orator noster Augerius rem omnem, uti acta fuit, collegis suis significet, et cum ipsis postea una negotium hoc in Porta proponant, et

ex re nostra ac fidelium subditorum nostrorum pro sua singulari fide ac industria transigere studeant. Haec autem praemissa omnia orator noster debebit praefato nuncio nostro Paulo Litterato, et cum ipsius, ut in his negotiis practici, consilio agere et tractare, et postmodum collegis suis Constantinopoli omnia referre, ut in Porta eadem, si necesse fuerit, proponere queant; ipsique passaeper suadere, ut hisce postulatis nostris satisfaciat, atque animum suum superinde illico declaret, sibi injunctum, affirmando, esse, ut prius quam e Buda Constantinopolim versus moveat, super hoc mentem suam omnino intelligat, quo eam deinde tum in Porta declarare, tum nobis etiam per litteras significare possit, quemadmodum revera nobis ante suum e Buda discessum, quidquid ibi eatenus egerit, perscribere, Paulumque Litteratum, ut interea apud passam maneat, negotiumque restituendarum villarum urgeat, et executioni demandare, modo quo superius dictum est, juvet, isthic relinquere debebit. Is enim nobis, quae postea agentur, ipsemet referre poterit; quaecunque autem tum apud eundem passam eatenus acta et transacta fuerint, orator noster non praetermittat collegis suis ad amussim significare, ut quatenus opus erit, postea ad Portam etiam omnia proponi valeant.

Posteaquam vero a passa Budensi cum litteris et comitibus itineris expeditus fuerit, iter suum versus Constantinopolim summa, qua poterit, diligentia et celeritate prosequatur. Et quando eo pervenerit, ac supradictis duobus oratoribus nostris litteras et instructionem hanc exhibuerit, debebunt ipsi omnes Hibray passam, vel quicunque locum imperatoris isthic tenuerit, adire, eique post factam nomine nostro

convenientibus verbis salutationem, redditasque nostras litteras credentiales, ostendere, quod, cum Joannes Maria Malvezius, allato a serenissimo Turcarum principe novissimo responso, in gravissimam infirmitatem inciderit, nec ab ea tam cito eliberari potuerit, ut molestiam tanti itineris, hiemisque difficultatem perferre valuisset, quin timendum fuerit, si aegrotum extrusissemus, ne labori succumberet in via, aut subsistere coactus aut plane mortuus fuisset; proinde nobis satius visum esse, ut alius, qui sanus esset, loco illius mitteretur, ne magnitudo principis Turcarum longiori oratoris nostri expectatione offenderetur. Itaque Augerium a Busbeck ad hoc muneris in locum illius substitutum et expeditum esse ad perferendum, ac una cum reliquis illis duobus oratoribus nostris serenissimo Turcarum principi significandum responsum nostrum ad optata dicti potentissimi imperatoris, pro quo memoratus Malvezius superiore anno ad nos expeditus fuerat, accepta a nobis expressa commissione, ut omnes una ad portam principis Turcarum pergant, coeptamque tractationem pacis cum magnitudine ejus continuent, et divino accedente auxilio ad debitum finem adducere studeant. Ideoque se petere et rogare, ut ipsos cum fida et bona comitiva ad sublimem domini sui portam citra longiorem moram expediat, quo tutius eo penetrare queant, et ipse quoque princeps Turcarum de animo et voluntate nostra jam tandem certior reddatur. Ubi quidem oratores nostri causas etiam enarrare poterunt, propter quas expeditio ista tam diu dilata fuerit, idque in eam sententiam, quae paulo inferius ipsis praescribetur. Porro debebunt etiam oratores nostri, quatenus rebus nostris expedire videbitur, Rustanum quoque et fratrem ejus Zynan

passas, vigore litterarum nostrarum credentionalium, nomine nostro visitare, eisque causas declarare tum tardioris expeditionis, tum quod Joannes Maria Malvezius non venerit, ipsam tamen legationem neque his fratribus, neque Hibray passae aperiant, sed si de eo interrogentur, sese modeste, sicut apud passam Budensem, excusent. Quod si vero fortassis Hibray passa, locumtenens Constantinopolitanus, principe absente, non permissurus esset oratores nostros ad magnitudinem ejus proficisci, verum juberet eos summam legationis magnitudini ejus et supremo ejus vezirio per litteras explicare, oratores nullo modo talibus postulatis et jussis pareant, sed omni diligentia contendant, ut secundum mandata nostra omnes tres simul, vel ad minus, si aliter fieri nequeat, unus ex ipsis responsum nostrum ad magnitudinem ejus perferre possint, at scriptis, litterisve negotia ista nullo modo committant, quin potius Constantinopoli omnes opperiantur, donec ipsemet princeps Turcarum et Achmat passa ea de re admoniti, quid hoc casu fieri velint, renuncient; immo ipsimet quoque principi Turcarum et Achmat passae, si hoc idem postulaturi essent, rescribant, referendo se ad mandata nostra, nec non ad litteras, quas magnitudo ejus nobis ex Aleppo scripsit, et per easdem sese obtulit, quod iidem oratores nostri libere et sine impedimento ad portam magnitudinis suae pervenire possint, quas sane litteras eisdem oratoribus nostris eam ipsam ob causam dedimus, ut illis tam apud principem Turcarum, quam passas suos, quando opus foret, uti queant. Verum tamem si talia a principe Turcarum mandata afferentur, quibus oratores nostri omnino juberentur, aut locumtenenti Constantinopolitano rem omnem indicare

et cum eo vel aliquo alio desuper tractare, aut re infecta domum redire, tunc et in eo casu, non secus, facultas esto oratoribus nostris, hujusmodi mandatis obtemperandi, et cum dicto passa de universo negotio sufficienter tractandi, quod tamen futurum minime speramus.

Posteaquam autem a locumtenente Byzantino cum bona et fideli comitiva expediti fuerint, sicuti certe, ut id primo quoque tempore fiat, summa diligentia laborare debebunt, efficacissimis, quas poterunt, rationibus et persuasionibus productis ac propositis, adeoque ad excelsam dicti serenissimi imperatoris Turcarum portam deducti fuerint, ante omnia curae habeant, ut sibi accessus ad Achmat passam, vel quicunque in locum Rustani passae surrogatus erit, patefiat, cui redditis litteris nostris credentialibus, tamquam amico nostro salutem cum debita honoris ac praeeminentiae nuper ad eum delatae congratulatione dicant.

Deinde vero praemissis causis, cur Malvezius non venerit, referant ei, nos, postquam intelleximus ab ipso Malvezio optata serenissimi Turcarum principis Transsylvaniam concernentia, rem maturo consilio diligenter perpendisse, atque post longam deliberationem talem resolutionem cepisse, quae et honestati et omni aequitati consentanea esse videretur, quemadmodum postea ad longum auditurus esset. Cum igitur nunc in locum Rustani suffectus sit, et apud serenissimum Turcarum principem primas teneat, nos ipsum amice hortari et rogare, ut causam et petitionem nostram, justam nimirum et honestam, apud magnitudinem domini sui, pro authoritate, qua pollet, diligenter promovere velit, quo etiam pro

Transsylvania et inferioribus, caeterisque trans Tibiscum existentibus regni partibus, illis nimirum quas una cum ipsa Transsylvania ad manus nostras recepimus et adhuc possidemus, pacem vel inducias obtineamus, offerendo ei nomine nostro eandem pensionem seu munus annuum, quod Rustano promittere in mandatis acceperant, si induciae ad aliquot annos firmarentur, cum restitutione locorum nobis superioribus annis ademptorum. Videlicet, quod si a praefato serenissimo principe Turcarum ipsius opera et promotione etiam Transsylvaniam cum jam dictis regni partibus obtinuerimus, nos ei pro praestito nobis favore, primo anno quinque millia ducatorum, reliquis vero singulis annis, quam diu pax illa vel induciae duraverint, tria millia ducatorum realiter et cum effectu numeraturos et transmissuros esse, quin et hoc nos polliceri, quod in omnibus aliis etiam rebus, quae ad honorem et commodum ipsius quoquo modo spectant, nos semper habiturus sit benevolos, et suorum officiorum non ingratos aut immemores. Et quia primarii vezirii seu passae hactenus plerumque consueverant oratores nostros antequam ad Turcarum principem admittantur, in primo statim congressu de substantia et summa legationis ipsorum, ut eo commodius negotia et postulata nostra promovere scirent ac possent, interrogare, ideo poterunt et debebunt oratores nostri vel sponte vel interrogati, resolutionem et petitionem nostram, ut infra sequetur, ipsi successori Rustani, majore, qua poterunt, modestia, ordine recensere, iterum petentes, ut causam istam nostram commendatam habeat, quam ut etiam coram magnitudine domini sui referre possint, ipsis apud eundem dominum suum benignam audientiam citra longiorem moram obtinere velit et studeat.

Caeterum, si tunc oratores nostri interrogarentur de causis tantae morae, quae expeditioni seu transmissioni responsi nostri interjecta sit, respondeant ipsum Malvezium ob adversam valetudinem in itinere, quando ad nos veniebat, multum tardasse, et satis imbecillem ad nos venisse ; et quia intelleximus, Rustanum passam, cum ad nos expediretur, istinc postulasse, ne alius cum resolutione nostra mitteretur quam ipse: nos satius duxisse expeditionem ejus, donec convalesceret, differri, quam alium tempestivius ipsius loco ablegari. Praeterea opus fuisse nobis sufficienti et amplo spatio ad deliberandum in negotio tam arduo et magno, quod non solum nos ipsos, verum et caetera regna et provincias nostras, et universam quoque christianam rempublicam concernat. Insuper cum superioribus mensibus de expeditione ejus ad principem Turcarum scripsissemus, visum fuisse nobis, expectandum esse responsum magnitudinis suae, siquidem non constabat nobis, ubinam magnitudo ejus esset, verum quia id responsum magnitudinis suae tarde accepimus, nam datas quidem fuisse illas litteras Aleppi ultima Februarii, sed nobis 11.a primum mensis Maji redditae, adeoque ex istiusmodi causis negotium demum usque ad finem praeteriti mensis Maji protractum fuisse. Cum autem tunc, allatis illis litteris, Malvezius jam discessisset, talia ex improviso de Transsylvaniae negotio et conatibus contra eam susceptis nobis nunciata exstitisse et intercidisse, propter quae eum Comaromii subsistere jussissemus, donec ad serenissimum imperatorem Turcarum scriberemus, et a magnitudine ejus certi redderemur, nobis ante finem horum tractatuum et oratorum nostrorum reditum nec in Transsylvania nec alibi quidpiam

impedimenti vel negotii exhibitum iri; allato autem optato a serenissimo Turcarum principe responso intervenisse infirmitatem Malvezii, ita quod hasce ob causas res citius expediri nequiverit. Ideoque petant et rogent oratores nostri sua ex parte magnitudinem ejus, ne quidquid ex hoc dilationis graviter aut aegre ferat. His itaque apud successorem Rustani passae gestis, oratores nostri debebunt reliquos etiam passas, tam illos, qui nuper facti sunt, quam antiquos nomine nostro, suo loco et tempore visitare, eorumque opem et favorem et auxilium aptis et idoneis verbis post redditas unicuique litteras nostras credentiales, saluteque convenienti modo dicta, requirere et cuilibet seorsim ostendere, quodsi operam et auctoritatem suam adhibuerit, effeceritque, ut negotium pacis juxta vota et optata nostra, etiam ratione Transsylvaniae, aliarumque regni partium una cum Transsylvania ad manus nostras receptarum, et ad praesens in potestate nostra existentium conficiatur et concludatur, nos ei singulis annis, quoad pax vel induciae duraverint, munus annuum mille ducatorum transmissuros et daturos esse, quantum nimirum oratores nostri etiam antea eis offerre in mandatis acceperunt, si pax ad aliquot annos, restitutis nobis nonnullis arcibus suporiore anno per Turcas occupatis atque ademptis et in priore instructione expresse nominatis, firmaretur.

Porro impetrata benigna audientia ab imperatore Turcarum, oratores nostri in ipsius conspectum et praesentiam deducti, exhibitisque condecenti honore litteris nostris credentialibus magnitudini suae, tamquam amico, vicino et confoederato nobis honorando

salutem, rerumque suarum omnium prosperitatem verbis nostris officiose et reverenter precentur.

Postea vero magnitudini ejus exponant, nos intellexisse tum ex litteris et nunciatis ipsorum dominorum oratorum nostrorum, episcopi Quinqueecclesiensis et Frascisci Zay, tum viva voce Joannis Mariae Malvezii, responsum, quod magnitudo sua ad legationem seu propositionem ipsorum nostro nomine factam dederit, et omnia ea, quae oratores ipsi nostri eatenus cum magnitudine sua et passis ac consiliariis suis egerant, videlicet quod magnitudo ejus contenta sit nobiscum veterem amicitiam et inducias iis conditionibus, quibus antea quinquennales induciae firmatae et initae fuerunt, renovare et confirmare, et quod propterea omnibus et singulis suis passis, zansachis, praefectis, officialibus, militibus et subditis firmissime mandaverit, ut donec haec tractatio pacis ad finem deducatur, nostrique oratores ad nos revertantur, inducias inviolabiter ubique locorum in omnibus finibus observent. Eam itaque magnitudinis suae animi propensionem et amicam erga nos voluntatem nobis gratissimam accidisse, nosque eo nomine magnitudini suae ingentes gratias agere, et vicissim nostra ex parte illico ad omnes capitaneos, officiales, milites et subditos nostros ubilibet in confiniis existentes seria mandata dedisse, ut ipsi quoque inducias istas sancte et inviolabiliter observent. Cujus rei in posterum quoque diligentem curam habituri sumus. Cum igitur etiam nunc cupiamus tactarum induciarum, de quibus cum magnitudine ejus per ipsos oratores nostros agere coepimus, optatum effectum sortiri, et cum ejus magnitudine non fictam sed sinceram amicitiam renovare et confirmare; nos paratos existere magnitudi-

nem ejus post conclusionem negotii, quot annis munere honorario pro illis regni nostri Hungariae partibus, quas a magnitudine ejus in isto tractatu obtinuerimus, prosequi et recognoscere, et omnia alia facere, quae ad declarandam magnitudini suae integritatem nostram, et conservandae stabiliendaeque cum eadem mutuae amicitiae propensissimam voluntatem pertinere videbuntur. Sed nos cum maxima admiratione audivisse, quod illustris Rustanus passa ipsis oratoribus nostris respondit, scilicet, ipsum serenissimum principem Turcarum omnino velle, ut Transsylvaniam quondan Joannis regis filio restituamus. Etenim nostro judicio magnitudo sua ex tot informationibus, iisque verissimis, quas magnitudini suae per litteras et ipsum oratorem nostrum Joannem Mariam Malvezium significavimus, facile cognoscere potuerit, quod provinciam illam non vi aut dolo aliquo, vel in praejudicium magnitudinis suae ad manus receperimus, sed jam ab initio regiminis nostri hungarici, tamquam membrum Hungariae jure optimo obtinuerimus ac pacifice possederimus, et postea ratione illius cum serenissimo quondam rege Joanne tractaverimus et concordaverimus, quin etiam eandem novissime a serenissima regina Isabella atque ejus illustrissimo filio, necnon quondam Fratre Georgio et Petro Petrowith nobis, haud quaquam coacte sed spontanee et libere oblatam ac traditam, multotiens et instantissime rogati, rursus in fidem nostram receperimus, et quod propter illam amicabilem cessionem vel resignationem praefatos, reginam Isabellam et illustrissimum filium ejus, quondam Fratrem Georgium ac Petrum Petrowith plene et integre contentaverimus, assecurata nimirum et assignata ipsi serenissimae reginae

dote sua, illustrissimo autem filio ejus datis et colla tis duobus ducatibus cum non spernenda annuorum redituum summa, quos nunc pacifice teneant possideantque; et quod pro majoris quoque nostrae erga illum benevolentiae testificatione eidem unam ex serenissimis filiabus nostris nuptui elocare spoponderimus, ita quod eadem serenissima regina se una cum illustrissimo filio suo optime contentam esse, et nunciis et litteris aperte professa sit nobis, quin immo in signum et robur tractatuum nobiscum initorum coronam regalem, qua hactenus reges Hungariae coronari consueverunt, ad manus nostras libere transmiserit. Insuper posse ipsum saepedictum serenissimum Turcarum principem recordari, quod ista omnia magnitudini ejus a nobis saepe scripta et nunciata fuerint, et nos non semel obtulerimus magnitudini ejus pro saepe dicta provincia Transsylvaniensi ac inferioribus regni partibus annuatim idem tributum pendere, quod antea magnitudini ejus tempore dictorum quondam regis Joannis, reginae Isabellae, ejusque illustrissimi filii, olim fratris Georgii et Petri Petrowith inde persolvi consueverat. Quin etiam, quod statim postquam Transsylvaniam receperimus, dictus quondam frater Georgius, tunc noster officialis et minister, id nostro permissu et consensu ad portam magnitudinis suae transmiserit, prout idem inposterum etiam singulis annis pendere parati sumus. Praeterea ipsi serenissimo Turcarum principi et hoc constare posse, quod in dicta provincia ab eo tempore, quo illam a praefatis serenissima regina Isabella et illustrissimo ejus filio recepimus, nullam innovationem contra magnitudinem ejus fecerimus, sed superiore anno officiales tantum mutaverimus, quandoquidem spectabilis et ma-

gnificus Andreas de Bathor officium illud vajvodatus diutius propter adversam valetudinem suam non potuerit gerere. Et quamvis vajvoda Moldaviae regnum illud nostrum saepius infesto Marte invaserit, nobis vero seu officialibus nostris haud leves occasiones oblatae fuissent, ipsum armis et vi feliciter reprimendi, noluisse tamen nos, ut aliquid nostra ex parte contra ipsum susciperetur prius, quam serenissimum principem Turcarum ea de re certiorem faceremus. Quae cum ita se habeant, nunciata illa magnitudinis suae per dictum Rustanum oratoribus nostris exposita, merito quidem nobis mira accidisse. Atque idcirco magnitudinem ejus rogare, ne causa Transsylvaniae in tractatione istius pacis, quam non alio quam sincero et candido animo exoptamus, sese difficilem exhibeat, sed nobis petentibus pro liberalitate sua benevole concedat, quod etiam alioquin pro summa animi sui aequitate non petenti jure concessura esset, maxime cum hoc magnitudinis ejus honorem ac famam nullo modo laedat sed potius valde illustret, ex quo eidem longe gloriosius futurum sit, a nobis tantae majestatis rege, quam a foemina et puero, de quibus propter sexus et aetatis imbecillitatem nulla certa spes concipi queat, annuum censum percipere. Ut autem magnitudo ejus certum signum habeat, nos candido animo amicitiam ejus expetere, nec quidquam in praejudicium magnitudinis ejus de Transsylvania egisse aut statuisse, nos magnitudini suae pro dicta Transsylvania nunc quoque solitum tributum misisse, missuros etiam pro reliquis regni partibus id, quod mittendum erit, simul atque tractatus iste conclusus fuerit.

Haec igitur oratores nostri in divano coram serenissimo Turcarum principe, quatenus ratio loci et temporis tulerit, succincte, proponere poterunt, eaque postea inter tractandum apud successorem Rustani dilatare, aliisque novis argumentis et rationibus extendere, ac pro optata desuper conclusione instare.

Inprimis autem oratoribus nostris curae esse debebit, ut Achmat passam, vel quicunque fuerit successor Rustani, promissis et largitionibus aggrediantur, et ad praestandum rebus nostris favorem inducere studeant. Quando autem ad tractationem deventum fuerit, eadem utantur arte in respondendo ac replicando, qua Turcae uti solent in interrogando et objiciendo, qui si acrius viderentur urgere negotium Transsylvaniae, specie commiserationis dicendo, puerum illum non tam indigne cum matre sua tractari debuisse, neque nostrum fuisse, ut nos in provinciam imperatoris Turcarum intruderemus, sicuti hactenus fecerunt: ipsi quoque oratores nostri replicent, nos puerum illum regium cum serenissima matre sua non vi e Transsylvania expulisse, neque ipsius opprimendi causa, sed frequentissimis precibus ac postulatis praefatorum serenissimae reginae Isabellae, quondam fratris Georgii et Petri Petrowith quodammodo compultos, tales tractatus suscepisse, vel potius tractatus ante annos aliquot cum quondam serenissimo rege Joanne ad ejus instantiam inchoatos et conclusos ad executionem atque effectum perduxisse, ita, quod ea ratione dicti quondam regis Joannis filio bene et prorsus paterne a nobis prospectum atque consultum fuerit, ipseque nunc extra omne periculum, omnemque molestiam positus, quietam, eandemque honestam et principe dignam vitam agere queat. Ad haec serenissi-

mam reginam Isabellam Petro Petrowith expresse commisisse, ut nobis vel commissariis nostris Temesvarinum, Lippam, Solmos et Dezkerke (?) aliasque quasdam finitimas inferiorum regni partium arces traderet, idque ab eo citra tergiversationem libenter factum: nisi enim id voluntarie fecisset, multo facilius et commodius ea loca Turcis dare potuisset, quos cum exercitu in propinquo, scilicet Nandoralbae, aliisque vicinis Turcicis locis habebat. Cum itaque praedictos, serenissimam reginam, quondam Fratrem Georgium ac Petrum Petrowith nihil eorum, quae commemorata sunt, invitos agere perspexissemus, nobis equidem persuasum omnino fuisse, serenissimum Turcarum principem tales illorum tractatus nobiscum agitatos non graviter laturum, nec admodum curaturum esse, quicunque provinciam illam teneret, modo ipse solitus census annuatim inde percipiendus pro conservatione authoritatis et reputationis suae singulis annis ad cameram suam imperialem pendi non intermittetur; qui si nunc post talem conclusionem et contentationem . . . voluntarie initos tractatus retractare aut irritos reddere vellent aut conarentur, adeoque se gravatos esse apud serenissimum Turcarum principem conquererentur, cur toties et tam vehementer expetiverint, cur demum iniverint tales tractatus? cur statibus, ordinibusque regni Transsylvanici, cum illinc excederet, in publica regni diaeta juramentum fidelitatis et obedientiae, quo sibi et filio suo illustrissimo obstricti erant, relaxaverat, eosdem adhortando et monendo, ut in futurum nos pro rege et domino suo recognoscerent, ac nobis debitam fidem et obedientiam praestarent? quam ob causam coronam regalem nobis transmiserit ac restituerit? quare Cassoviam etiam,

ubi aliquamdiu morata est, libere ad manus officialium nostrorum consignaverit, illis quoque civibus a debita sibi et illustrissimo filio suo fide et obedientia absolutis, eosdemque ad praestandam nobis fidem et obedientiam perinde ac Transsylvanos hortata sit? quare acceperint assignata a nobis dominia? quam ob rem erectos jam tractatus litteris suis obligatoriis approbaverint et confirmaverint? quis eos coëgerit, ut talia facerent? Sed non dubitare nos, quin serenissimus princeps Turcarum rei istius statu penitius cognito serenitati ejus non adhibiturus sit fidem, si illa, ut dictum est, conquereretur, et magnitudinem ejus contra nos incitare conaretur, ne pacem nobiscum, nisi restituta ipsi ac illustrissimo filio suo Transsylvania, iniret. Nam nullam serenitati ejus justam conquerendi de sua contentatione causam existere; sed si injuriam sibi illatam putet propterea, quod summa ducatorum centum millium, quam serenitati ejus pro sua dote ad proxime praeteritum festum epiphaniarum Domini solvere debebamus, numerata non sit, eam injuriam non nobis sed serenitati suae adscribendam esse, siquidem parati fuerimus hujusmodi pecuniam ad terminum constitutum solvere, nisi Petrus Petrowith practicas et motus illos bellicos, de quibus manifeste constat, sub nomine et auspiciis serenitatis suae, filiique sui excitasset. Rem itaque absurdam futuram fuisse, imo fidelibus subditis nostris maximopere etiam perniciosam, si serenitati ejus data tanta pecuniarum summa vires ad prosequendum adversus nos bellum subministrassemus. Et hanc ob causam solutionem illius pecuniae nonnihil dilatam esse, ex qua dilatione ad serenitatem ejus nullum damnum redundavit, ex quo fructum et reditum juxta morem et consuetudinem

ubique per universam Christianitatem observari solitam, annuatim percipiat inde. In promptu tamen fore pecuniam illam, et serenitati ejus ad terminum, de quo cum serenitate ejus tractaverimus, numeratum iri, non attento, quod causa componendorum et supprimendorum talium motuum, serenitatis suae ac filij sui nomine et sub eorundem auspiciis contra nos agitatorum, longe majorem pecuniarum summam, quam haec contentatio et solutio dotis efficiat, exponere coacti fuerimus.

Quandoquidem autem ex litteris, quas serenissimus princeps Turcarum ad nos praeterito mense ex Alepo dedit, cognovimus, magnitudinem ejus ob id maxime graviter ferre nos Transsylvaniam possidere, quod ipse provinciam illam jure belli, gladio scilicet a se occupatam serenissimo quondam Joanni regi tradiderit, et eo defuncto ipsius quoque illustrissimo filio concesserit, et putet, nunc honori, famae et reputationi magnitudinis suae aliquid detrahi per id, quod nos ipsam ad manus nostras acceperimus: idcirco oratores nostri omni loco et tempore in hoc maxime incumbant, ut et magnitudini suae et passis talem opinionem et persuasionem eximant, dicentes, quod cum eam provinciam non vi aut armis ex potestate et manibus magnitudinis ejus eripuerimus, sed eandem multoties rogati voluntarie et libere nobis a praedicta serenissima regina cessam atque resignatam, sicuti superius memoratum est, receperimus: id in labefactationem aut diminutionem honoris et reputationis magnitudinis suae cedere non posse, quin maximo ipsi fore honori et gloriae, tam apud omnes principes hujus saeculi quam apud posteritatem, si nobis tam liberaliter, ut serenissimo quondam regi Joanni conce-

dat, et annuo munere a nobis, tanto Christianitatis rege, honoretur, mutuamque cum sacra imperatoria majestate ac nobiscum amicitiam habeat, maxime cum nunquam intellexerimus, quod magnitudo sua aliquid juris sibi in Transsylvaniam praetenderit, et propterea non nos sed dictam serenissimam reginam ac Petrum Petrowith incusari et ingratitudinis coargui debere, qui accepta competenti recompensatione, quodammodo in contemptum serenissimi Turcorum principis, beneficia a magnitudine ejus liberaliter accepta aspernati, nobis vendere non dubitaverunt: non ita enim affectum esse animum nostrum erga magnitudinem ejus, quod illius honori quidpiam derogare, sed potius plurimum addere cupiamus, utpote cujus amicitiam candide exoptemus.

Caeterum, quo certius serenissimo Turcarum principi de talibus tractatibus non solum cum ipsa serenissima regina Isabella, ejusque illustrissimo filio, verum etiam cum serenissimo quondam Joanne rege initis constare queat, oratores ostendant, consuetudinem esse principum christianorum, pacta et conventa litteris obligatoriis, sub sigillis suis emanatis, ultro citroque dandis confirmare, eaque ratione et praedictos tractatus confirmatos fuisse, eorundemque se exempla habere, ipsis a nobis non aliam ob causam data atque transmissa, quam ut magnitudo ejus omnem hujus negotii statum ac qualitatem exacte et vere cognoscat, quae inde etiam facile perspicere queat, quam honorificam mentionem magnitudinis suae dicta regina in exordio tractatuum illorum fecerit, et an talem magnitudinis suae benevolentiam mereatur, necne; et quomodo magnitudo sua serenitati ejus et instrumentis ejus, ut Petro Petrowith fidere

queat, qui et ipse tradita nobis Temesvarii et inferiorum regni partium possessione, arcem Munkacs cum non contemnendis reditibus in compensationem a nobis acceperit, nobisque fidelitatem et obedientiam juraverit, ac litteris etiam manu sua et sigillo roboratis confirmaverit, nihilominus tamen immemor datae fidei, paulo post a nobis defecerit, ac varia contra nos et fideles subditos nostros machinari et moliri ausus sit. Posse igitur serenissimum Turcarum principem, si magnitudo ejus de illis dubitet, mittere unum vel plures ex suis, qui tum litterarum illarum originalia, coronamque nobis transmissam, tum quod jam in pacifica possessione dictorum ducatuum constituti sint, praesens videat, et de iis magnitudini suae postea fidem faciat, quandoquidem non tutum foret talia litteralia monumenta per tam longum iter mittere, modo magnitudo ejus interpretem suum Mahmuth, quem certas quasdam ob causas merito suspectum habemus, non mittat. Nam cum superiore mense Aprili magnitudo sua mandata illa, de quibus conquesti eramus, et quorum causa Malvezium Comaromii consistere jusseramus, tam ad status Transsylvaniae, ut filium serenissimi quondam regis Joannis in regnum reducerent, quam ad vajvodas, zansakos, officiales et milites suos in finibus existentes, ut in ejusdem pueri regis auxilium cum universis copiis suis moverent, dedisset, interpres ille magnitudinis suae Mahmuth hujusmodi mandata in latina traductione sua manu scripta, ut antea saepe alia, falsare, et contra verbum et promissum magnitudinis suae, partim diversas intolerabiles sententias et clausulas addere, partim vero demere ausus sit, utpote qui multa inter alia expresse scripserit, quod magnitudo ejus filium Joannis

regis in regem Hungariae elegerit, quodque magnitudo sua nobis tam in Hungaria quam Transsylvania nec tantillum terrae, quantum pugno teneri possit, concessura sit, etiamsi universos thesauros nostros exponeremus; cum tamen tam gravia verba in litteris turcica lingua scriptis nusquam reperiantur, sed potius a scriptis et oblationibus magnitudinis suae, eoque responso, quod per Malvezium nobis allatum est, plane diversa existant, quae nimirum Trassylvaniam tantummodo a nobis exigit, et pro Hungaria munus annuum postulat, sicuti magnitudo sua vel passae sui id ex hujusmodi litteris et traductione, quas ipsi oratores nostri originaliter exhibere queant, liquido cognoscere possit, et satis causae habeat, ut talem interpretem propter ejusmodi falsum puniat, prout etiam apud nos nullam amplius fidem merebitur.

Sin autem disputatio oriretur de quantitate census annuatim pro Transsylvania et inferioribus ac trans Tibiscum existentibus partibus pendendi, velletque princeps Turcarum a nobis plus pendi, quam hactenus solvi consueverit, tunc licitum esto oratoribus nostris, gradatim ascendendo, in duplo majorem censum offerre, immo etiam ad 25. millia ducatorum ascendere, si hoc modo principem Turcarum placari, firmamque cum eo et sinceram pacem constitui posse spes aliqua certa affulgeret. Atque non omittant diligenter etiam in eo incumbere, ut quo minimo poterit censu res transigatur, innitentes illi argumento, quod jam Temesvarium, Lippa, dictrictus Karansebensis et Lugasiensis et alia plura loca a Transsylvania distracta sint; tum afferentes etiam alias rationes, quae ad rem facere videbuntur. Nam de altero munere de caeteris regni partibus singulis ad excelsam principis

Turcarum portam mittendo, jam plane conclusum et transactum esse videtur.

Si itaque serenissimus princeps Turcarum isti honestae petitioni nostrae benevole annuerit, et pacem seu inducias nobiscum, Transsylvaniae quoque et inferiorum atque ultra Tibiscum existentium partium nomine acceptaverit, oratores nostri eas juxta articulos instructionis nostrae ipsis antea datae concludere studeant: maxime vero instent et laborent, ut serenissimus princeps Turcarum vajvodis Moldavo ac Transalpino firmissime mandet, ut ab omni hostilitate sese contineant, et cum fidelibus subditis nostris sibi conterminis in bona vicinitate et quiete vivant, nec ulli turbae aut discordiae occasionem praebeant. Quodsi autem oratoribus nostris querelae adversus nostros milites et subditos de induciis non satis firmiter observatis objicerentur, aut alioquin occasio de hac re agendi nullo modo praetermittenda offerretur, tunc poterunt moniti seu interpellati respondere, non moniti autem sponte etiam proponere, nihil quidem ex parte nostra neglectum vel praetermissum hactenus esse, quod ad firmissimam pacis et tranquillitatis conservationem pertinere visum sit, idque inde constare, quod non solum ab officialibus nostris violatores induciarum capite plecti jusseramus, sed etiam cuidam insigni militi ad instantissimas, frequentissimasque multorum militum humillimas preces non pepercerimus, quin vinctum, quod nullo jure nec ullis pactis tenebamur, ad passam Budensem transmiserimus, ut de eo meritas violatarum induciarum poenas sumeret, qui ipsum tandem ad intercessionem plurimorum militum tam Turcarum quam Christianorum liberum dimiserit; eoque severitatis et diligentiae no-

strae exemplo nos consecutos esse, quod nunc induciae ex nostra parte firmiter observentur, vel ipso passa Budensi teste, qui in litteris XV. Januarii praesentis anni ad nos datis fateatur, milites nostros in istis confiniis existentes inducias firmiter observare, quas litteras oratores nostri in specie, si opus fuerit, ostendere poterunt, siquidem hanc ob causam eas ipsi Malvezio eo perferendas dari jussissemus. Sed quantum ad illam stragem attinet, de qua oratores nostri episcopus Quinqueecclesiensis et Franciscus Zay sese audivisse aliquantum ad nos scripserant, si ea de re illis aliquid molestiae exhiberetur, respondeant, illos Turcas praeter scitum et consensum passae Budensis hostiliter in ditionem nostram excurrisse, ubi cum milites nostros, qui in auxilium fidelium subditorum nostrorum, concurrerant, adorti essent, victi ac profligati fuerint, prout ex diversarum litterarum ea de re ad nos datarum extractu, ipsi Malvezio consignato, apparet, idque passae Budensi bene constare, qui apud nos tum temporis conqueri utique non praetermisisset, nisi militibus nostris defensionem suam, non obstantibus etiam induciis, licitam fuisse scivisset. Nos itaque sedulo semper laborasse, ut per milites et fideles subditos nostros induciae sancte servarentur, nec unquam aliquid molestiae ditioni et ministris principis Turcarum nostro consensu aut voluntate datum, nisi quid per praedones factum et militibus nostris adscriptum sit, nam in tam amplo regno, diuturnis bellis agitato, non omnia tam facile, etiamsi summa adhibeatur diligentia, praecaveri posse. Attamen per diligentiam nostram non stetisse, quin omnia tuta passim et secura existerent. Id vero ex parte Turcarum minime observatum, quippe qui nunquam per ple-

rasque fere regni nostri Hungariae partes igne ferroque, caedibus ac rapinis, miserorumque colonorum oppressione grassari destiterunt. Et licet de his passam Budensem saepius benigne commonefecerimus, proponentes ei modum, quo damna hinc inde illata compensarentur, et qui sub induciis utrinque capti fuerint, dimitterentur, ac imposterum omnis dissidiorum materia praecideretur, locum tamen tam honestam petitionem et propositionem nostram apud eum non habuisse. Ipsum enim passam non modo paucissimos, qui sub induciis capti fuere, dimisisse, verum nec violatores induciarum punivisse, adeoque mandatis firmissimis principis Turcarum de observandis induciis non prorsus satisfactum fuerit, quae a serenissimo Turcarum principe dictus passa Budensis eo nomine acceperat, id quod clare officialium, capitaneorum atque militum turcicorum facta recentia testentur. Quia cum praeterito mense Septembri zansakus Zecheniensis Hamzabeg superiorem partem arcis Filek furtim cepisset, passam quidem nobis scripsisse, rem valde sibi displicere, et Hamzabegum male egisse, qui talia sub induciis moliri ausus esset: caeterum inducias inter nos et potentissimum dominum suum nihilominus firmas ac infractas durare. Sed his non attentis, nec consideratis benignis nostris monitis, ut Hamzabegum ad cedendum ea arce cogeret, ipsummet cum exercitu in subsidium dicti Hamzabegi profectum esse, et non solum inferiorem ejus arcis partem, sed oppidum quoque et aliam vicinam arcem Salgo nominatam occupasse, et demum magnam quoque partem finitimorum comitatuum, qui antea nunquam Turcis censum aut servitium praestare consueverunt, subegisse, nec veritum ea per semet facere

quae antea in alio culpabat. De qua re etiamsi ad eum perscripsissemus, revocantes ei in memoriam et jam memorata sua scripta priora, et quod non licuerit Hamzabego privatam injuriam tali modo ulcisci, nihil tamen obtentum fuisse. Praeterea villas ex utraque parte Danubii indies a Turcis occupari, et ad deditionem sollicitari; colonos, qui hactenus ad utramque partem censum et servitium conferre soliti sunt, nimii census exactione, aliisque tot et tam gravibus, intolerabilibusque oneribus, servitiis et solutionibus gravari, quod nobis vel fidelibus nostris subditis nihil solvere queant; et hujusmodi villarum occupationes ac ad deditionem sollicitationes jam etiam ad civitates nostras montanas penetrasse, et ex illis quoque partibus sub denunciatione ac comminatione captivitatis et depraedationis et saevae mortis tributum seu censum exigi, quod antea nunquam vel belli tempore factum sit; eaque nobis omnia ex ipsorummet officialium turcicorum litteris, quas passim hoc nomine per villas disseminant, quarumque plures ad manus nostras devenerunt, constare. Porro arcium finitimarum vel nobis ipsis vel subditis nostris pertinentium occupationem quotidie fere tum aperto Marte tum per insidias tentari, sicuti nuper de Csabancz arce atque de Ticonio actum sit, et ad earum portas a Turcis insultus fieri, ac hastas frangi, hominesque capi et abduci, quin etiam prohiberi nostros tum a defensione subditorum nostrorum, tum ab administratione censuum, ac continue per fraudes in insidias pellici, quia haud ita pridem XXX equites reverendissimi domini archiepiscopi Strigoniensis pro defensione oppidi Farnad ex Oláhvár emissi, per Turcas violenter ac hostiliter oppressi sunt. Item Agrienses simili fraude deceptos

et per Turcas profligatos fuisse. Nam cum zansakus Hatvaniensis Velibegus propulatores in quasdam villas circa Porozlo immisisset, ut illos ad ferendam fidelibus nostris subditis opem eliceret, eisdemque in opportuno loco insidias tetendisset, accidisse, quod capitaneus tum noster Gregorius Litteratus et Stephanus Zolthay cum militibus nostris Agria egressi, volentes ditionem nostram defendere, nihil minus quam fraudem hoc induciarum tempore timentes, circumventi et profligati, ac partim capti, partim vero trucidati fuerint. Et nuperrime quoque XIII equites, qui ad recipiendos proventus emissi fuisse dicantur, capti, Budam deducti sint: cujusmodi sane excursiones a Turcis etiam ad Tatam et Jaurinum usque indesinenter fiant, quae omnia recenseri, litterisque comprehendi ac explicari nequeunt, ex illo tamen extractu, qui oratori nostro Augerio datus fuit, paulo apertius cognosci possunt, juxta quem hujusmodi querelae fusius enarrandae et proferendae erunt.

Cum igitur haec scriptis et oblationibus serenissimi Turcarum principis nequaquam conveniant, qui induciarum observationem passae Budensi, caeterisque officialibus suis tam stricte demandavit et fines pacatos conservari jussit, nosque a passa nec arcium villarumque occupatarum, nec hominum sub induciis captorum restitutionem et dimissionem obtinere potuerimus: ideo oratores nostri apud ipsummet imperatorem Turcarum et supremum ejus passam instare et omni studio adniti debebunt, ut magnitudo ejus jubeat primum omnium nobis citra omnem moram arces Filek et Salgo, tam inique et injuste, uti dictum est, occupatas, una cum ditione et toto tractu, quem passa Budensis subjugatum arcibus illis addixit et submisit, nec non

bombardis et munitionibus in iisdem repertis restitui. Deinde quod magnitudo sua praecipiat, ut Christiani et fideles nostri sub induciis capti, praecipue vero Agrienses libere dimittantur, prout nos quoque multos Turcas tam belli quam induciarum tempore, et maxime Hamzabegum, qui jam nobis pro accepto beneficio gratiam etiam retulit dimiserimus. Item, ut miseri coloni, qui ad utramque partem censum tempore initarum induciarum praestare consuevere, majore quam consueto censu, aliisque oneribus, servitutibus et exactionibus non graventur, ab illis vero, qui eo tempore, quo induciae conclusae fuerunt, Turcis nullum censum aut servitium exhibere soliti sunt, nunc quoque Turcas abstinere, et quae jam occupata et subjugata sunt, restitui mandet.

Poterunt autem oratores nostri his quoque adjungere eas querelas nostras de damnis hinc inde sub induciis illatis, quas antea Joannes Maria Malvezius apud passam Budensem proponendas in mandatis a nobis acceperat, et quarum nunc Augerio quoque copia data fuit. Inprimis autem non debebunt etiam silenter praeterire gravamina nostra, ratione arcium illarum desertarum, quas Turcae in partibus regni nostri Croatiae occupare et communire praesumunt, non attento, quod arces illae immediate in nostra ditione positae sint, easdemque ipsis occupare vel communire vigore induciarum nullatenus liceat.

Praeterea cum oratorem nostri ex instructione nostra antea ipsis data mentem nostram abunde cognoverint, quid de ratione censuum a colonis utriusque partis praestandorum concludi et observari cupiamus: idcirco sedulo operam dare debebunt, ut miserorum colonorum respectus habeatur, ne nimis gra-

ventur, aut ultra solitum et ordinarium censum compellantur, sicuti ad praesens fieri in praecedentibus demonstravimus; sed quemadmodum jam dictum est, ut ab illis, qui ad utramque partem censum solvunt, Turcae dimidia, et nostri quoque officiales dimidia soliti ac consueti ordinarii census parte recepta contententur, prout Budae in tractatu induciarum conclusum esse constat. Nihil enim nimiae et immodicae ejusmodi exectiones miserorum colonorum serenissimum Turcarum principem juvare possunt, obesse vero plurimum, aufugientibus nimirum ipsis colonis et loca deserentibus propterea, quod tot ac tanta onera sustinere nequeant, prout magnitudini ejus facile constare potest. Quo quidem in loco poterit proponi duplex ille modus exigendorum censuum ex istis villis communibus, quem Augerius apud passam Budensem proponere in mandatis accepit, si modo apud dictum Budensem acceptatus fuerit, prout haec superius latius explicantur.

Verum quia etiam summe necessarium est, ut constituta cum serenissimo Turcarum principe pace vel induciis cum magnitudine ejus seu passis ejus, expresse etiam concludatur de terminis atque limitibus utrique parti praefigendis, quos militibus utriusque partis hostiliter transcendere non sit licitum; nisi enim illi constituantur, nunquam sperandum est, quietos fore milites, aut violentias irruptionesque utrinque cessaturas esse, sed tam serenissimus princeps Turcarum et passae sui, quam nos et supremi capitanei nostri indesinenter querelis et gravaminibus molestabimur, videatur autem negotium magnitudini suae recte concludi non posse: idcirco oratores nostri laborent et obtinere studeant, ut magnitudo sua ido-

neos et expertos aliquos viros, commissarios cum plena et ampla potestate sua ex parte deputet, qui cum nostris commissariis, quos etiam ad hanc rem deputaturi sumus, conveniant, et ubique in confiniis certos terminos et limites constituant. Ita namque sublata alienam ditionem pervagandi occasione, inter utriusque partis subditos et milites mutua pax, tranquillitas, amicitia ac bona vicinitas commodissime retinebitur, quin in dies magis magisque stabilietur et augebitur.

Quoniam autem princeps Turcarum fortassis a Gallis plurimum sollicitabitur, ne pacem nobiscum ineat, nisi et caesarea majestas, frater et dominus noster charissimus, cum rege Franciae in gratiam redeat et pacem constituat: ideo petente magnitudine ejus, ut pacem inter jam dictam majestatem caesaream et Franciae regem procuremus et promoveamus, respondeant oratores nostri: nos libenter in ea re operam nostram interposituros esse, ut juxta desiderium magnitudinis suae pax etiam inter dilectionem et majestatem ejus, et praefatum regem Franciae coalescat.

Quodsi vero serenissimus princeps Turcarum, postulatis nostris non attentis, Transsylvaniam omnino filio quondam regis Joannis restituendam contenderet, interrogarenturque oratores nostri, num hoc casu ulteriorem de pace vel induciis tractandi facultatem aut commissionem habeant, et an provinciam illam derelicturi simus: tunc oratoribus nostris aliquamdiu caute per indirectam quodammodo viam respondendum erit, et quatenus fieri poterit, prorsus subterfugiendum, ne statim ad propositum respondeant, sed per varias et diversas excusationes in priori

petitione Transsylvaniae omnino persistant, eaque ut nobis pacifice dimittatur, tum praedictis rationibus tum aliis quoque persuasionibus, quas oratores nostri pro sua solertia et industria excogitare poterunt, acriter instent et laborent, ubi multum fortassis proderit, si ipsi oratores nostri praedicaverint etiam maximam et memorabilem magnitudinis suae liberalitatem, quod scilicet non dubitarit, Budam cum aliis locis, quae tunc occuparat, serenissimo olim regi Joanni elargiri et tenenda possidendaque concedere. Item utrique vajvodae, Moldavo et Transalpino, Moldaviam ac Transalpinam, recipiendo ab eisdem annuum munus seu tributum. Item illustrissimo Venetorum dominio regnum Cypri, Januensibus Chium, Ragusinis vero Ragusium; et deinde urserint vicissim et sedulo inculcaverint nostram quoque singularem fiduciam, quam de magnitudine ejus conceperimus, siquidem omnino nobis persuasum habeamus, immo petamus quoque et optemus, quod magnitudo sua non minori nos benevolentia prosequatur, quam eadem olim regem Joannem et alios supranominatos prosequuta sit. Ultimo tamen, omnibus subterfugiis necquidquam attentatis, dicant, quod nihil minus expectaverimus, quam quod tam justa, tam aequa et tam benevola postulata nostra magnitudo ejus rejectura esset, ideoque se nullam etiam a nobis ulterius procedendi commissionem accepisse, siquidem plane confisi fuerimus, magnitudinem ejus, postquam perspexisset, neque sibi, neque illustrissimo filio regis Joannis injuriam fieri, si nos Transsylvaniam, quae ab Hungaria tamquam potissimum membrum ejus distrahi nequeat, nec unquam separatum regnum fuerit,

MAGYAR AKADEMIAI

LEGÚJABB KIADÁSOK.

MAGYAR TÖRTÉNELMI TÁR. Kiadja a Magyar Tudományos Akadémia Történelmi Bizottmánya. *Első kötet:* X és 260 l., egy pecsét-fametszettel. — *Második kötet:* 215 l., száz rézmetszetű pecsétmással. — *Harmadik kötet:* 264 l. s egy címerrajz. — *Negyedik kötet:* 260 l. — *Ötödik kötet:* XVIII és 231 l. Pest, 1855—8. Az I., II. k. ára együtt 4 ft., a III., IV. és V-diké külön 1 ft. 20 kr.

Tartalmuk. I. kötet: Előszó (a munka terve). 1. A palóc nemzet és palóc krónika, orosz és lengyel évkönyvek nyomán, *Jerney Jánostól.* 2. Budai Regesták, a magyar történet legrégibb idejétől 1511-ig. Első közlés, *Wenzel Gusztávtól.* 3. A mohácsi ütközet, török forrásokból, *Repiczky Jánostól.* 4. A soproni kapitányság és királyi adóról szóló oklevelek, *Ráth Károlytól.* 5. Két magyar kőiratú pecsét 1500. évből, két fametszettel, *Lugossy Józseftől.* 6. Liptay Imrének török követsége 1619-ben, *Nagy Ivántól.* 7. Gr. Rhédei László naplója, *Vass Józseftől.* 8. Martinuzziának. *Podhradczky Józseftől.* — II. kötet: 1. A magyarországi káptalanok és konventek, mint hiteles és hiteles helyek története, *Jerney Jánostól.* 2. Okmányi kalászat, I—XXXII. 1102—1702. *Wenzel Gusztávtól.* — III. kötet: Gritti Alajost illető eredeti emlékiratok, *Nagy Ivántól.* 2. Mihály vajda jelleme s tetteire vonatkozó okmányok, *gr. Kemény Józseftől.* 3. Az 1397-ki országgyűlés végzeménye, *Knauz Nándortól.* 4. Kisebb közlések: a) Kivonatok Révay László naplójából, *Dualszky Jánostól;* b) Magyar történeti adatok Svédhonban, *Nagy Ivántól;* c) Adalék a magyar kőiratú pecsétek ismeretéhez, *Ráth Károlytól;* d) Egy névtelennek évjegyzetei 1427—1554. *Toldy Ferenctől.* — IV. kötet: 1. Liptói regestrum 1391-ből, *Érdy Jánostól.* 2. Sárospataki magyar krónika, *Toldy Ferenctől.* 3. Budai Regesták az Anjouk korában, *Wenzel Gusztávtól.* 4. Oklevelek Bethlen Gábor 1619—20-ki hadjáratai történetéhez, *Szilágyi Sándortól.* 5. Római magyar regesták, *Nagy Ivántól.* — V. kötet: Cserey János magyarországi krónikája 1682—1704. *Vass Iván.* — VI. kötet sajtó alatt.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA. Magyar Történelmi Emlékek. *Első osztály: Okmánytárak:* I. II. kötet; *Magyar Történelmi Okmánytár* a brüsszeli országos levéltárból és a burgundi könyvtárból. Összeszedte s lemásolta *Hatvani Mihály.* I. II. kötet: 1441—1553. Pest, 1857—8. XXI és 387, meg VIII és 387 l. — *Második Osztály: Irók.* I. kötet: *Szerémi György.* II. Lajos és János királyok házi káplánja Emlékirata Magyarország Romlásáról 1485—1543. Közli *Wenzel Gusztáv.* 459 l. — II. III. IV. kötet: *Verancsics Antal,* m. kir. helytartó, esztergomi érsek *Összes Munkái.* Közli *Szalay László,* 400, 380, 472 l. Pest, 1857—58. A négy kötetes folyam ára 10 ft.

BUNYADIAK KORA MAGYARORSZÁGON. Írta *gr. Teleki József.* Történetrész I—V. kötet: 528, 584, 563, 508, 546 ll. számos arcképekkel. Okmánytár X—XII. köt. 642, 584, 500 ll. arcképekkel és hasonmásokkal. Pest, 1852—57. Minden kötet ára egyenként 3 ft. 20 kr.

HUNYADI JÁNOS UTOLSÓ HADJÁRATA Bolgár- és Szerbországban 1454-ben, és Nandorfejérvár fölmentése a török táborítástól 1456. A nandorfejérvári diadal negyedik százados napján jul. 21. 1846. előterjesztette a M. Akadémiában *Kiss Károly.* Pest, 1857. N. 8-r. 117 l. és 2 abrosz. Fűzve 1 ft.

ERDÉLYBEN TALÁLT VIASZOS LAPOK. A Magyar Akadémia elébe terjesztette *Dr. Érdy János.* Hat kőnyomattal. Pest, 1856. kir. 8-r. 21 l. Fűzve 1 ft. 30 kr.

RÉGISÉGTANI KÖZLEMÉNYEK, *Érdy János* m. akad. r. tagtól. 1. A Pannonia és Dacia térein akkorig talált hazaállati bocsátványok. 2. A verebi pogány sír. Buda, 1858. n4r. 27 l. tíz rajzos táblával. Fűzve 1 ft.

A BOSZNA ÉS SZERB RÉGI ÉRMEK. Ismerteti *Érdy János.* 63 rézmetszettel és 1 körajzzal. Buda, 1858. N. 4-r. 41 l. Fűzve 1 ft. 20 kr.

MAGYAR LÁSZLÓ DÉLAFRIKAI LEVELEI és naplókivonatai. Kiadta *Hunfalvy János.* Egy abrosszal. A M. Akad. költségein. Pest. 1857. 92 l. Fűzve 40 kr.

MAGYAR LÁSZLÓ DÉLAFRIKAI UTAZÁSAI 1849—57. években. A M. Tud. Akadémia megbízásából sajtó alá egyengette és jegyzetekkel ellátta *Hunfalvy János* m. ak. lt. I. kötet, egy földképpel, 8 kőiratú táblával. Pest, 1859. Nőr. XVI és 161 l. Fűzve 4 ft. ujp.

Pest 1859. Emich Gusztáv könyvnyomdája.

